

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-836857-p0002-4

1,2

J. JACOBI ZIMMERMANNI,
S. THEOLOGIÆ IN GYMNASIO TIGURINO PROFESSORIS,
REG. BORUSS. SOC. SCIENT. SODALIS

OPUSCULA

THEOLOGICI, HISTORICI ET PHILOSOPHICI ARGUMENTI.

TOMI PRIORIS

PARS II.



TIGURI,
TYPIS GESSNERIANIS.

AN. MDCCLI.



NB. Bericht an die Buchbinder.

Dieser Titul gehört vor Pagina 549.

Avis aux Relieurs.

Ce Titre doit être placé contre la Page 549.

MEDITATIO
DE
PRÆSTANTIA
RELIGIONIS CHRISTIANÆ,
COLLATÆ CUM PHILOSOPHIA SOCRATIS.

Viro, Pietate, Eruditione. Meritis in Rem Sacram & Literariam, Candore denique,

PRÆCELENTISSIMO

JOHANNI JACOBO HULDRICO,
IN ILLUSTRI GYMNASIO TIGURINO
Eth. & Juris Nat. Professori Clarissimo

S. P. D. (*)

JACOBUS ZIMMERMANNUS.

Sect. I.

ACcuratam, rerum olim inter Philosophos gestarum, sententiarumque, quas profitebantur, cognitionem, multum conferre ad Eruditionis & Sapientiæ profectum, nemo est Eruditorum, qui temere in dubium vocet: ut enim taceam, omnia, quæ de laudibus *Historiæ* in Universum dici possunt, *Historiæ Philosophicæ* competere; multa sunt, quæ singulari quadam ratione, ejus *præstantiam* demonstrant. Refert *Illa* veterum

(*) In secundo Volumine nostrorum opusculorum brevis comparebit præstantissimi hujus Viri βιογραφια.

ac modernorum Eruditorum cogitata, de Deo, ejus virtutibus, mundi adspectabilis origine, ingenii humani viribus, imbecillitate ; *describit fata* & veri nominis Philosophorum & insanientis Sapientiæ Consultorum ; *istorum* præclara inventa, mores ad virtutem compositos ; *horum* linguæ prælia, superbiam, ingenii lusus &c. Hæc omnia autem ita comparata sunt, ut animo veri cupido plus adferant utilitatis, quam ea, quæ in *Historia Civili* quam maxime spectantur. In *hac* enim Vita *Imperatorum*, *Belli Ducum*, res pace belloque aut bene aut male gestæ, utramque paginam faciunt. Pauciſſimi autem illorum, qui literis operam navant, si vel maxime omnia rite perpendunt, solidum exinde fructum percipere possunt. Quælibet vitæ conditio, priva sibi vindicat prudentiæ adminicula, & præcepta. Homini, qui per omnem vitam literis operam dat, Exemplum viri docti & pii, plus utilitatis conferet, ad personam, quam sustinet, rite tuendam, quam contemplatio vel eminentissimarum virtutum, quibus hic vel ille Belli Dux, nobilitatus fuit. *Historia* vero *Philosophica* veritatis amanti, ut multa suppeditat argumenta, animum a pravis studiis & erroribus abducendi, virtutem & veritatem amandi ; ita animum mirifice perficit, & voluptate perfundit. *Qui veterum Philosophorum* (ut de recentioribus jam nihil dicam) *Scripta evolvit*, vel me tacente, de iis, quæ dixi, persuasus erit, & probarunt hoc satis, Viri in his literis versatissimi, *Cudworthus*, *Stanlejus*, *Menage*, *Jonsius*, *Heumannus*, *Brukerus* aliique, quorum pervulgata sunt nomina. Nullum autem gravius est argumentum, quam quod *Illa* mirum quantum conferat ad *Religionis christianæ Excellentiam* & *divinam originem demonstrandam* & *defendendam*. Solent Increduli summis laudibus extollere *rationem*, & *ejus vim*, laudare perpetim *Philosophiam*, quæ nulla mysteria, i. e. ut illi putant, dogmata rationi contraria credenda imponat, profiteri, nil in *Revelatione* præclare dictum, quod ipsa ratio invenire non potuit ; ad *hanc* igitur *solam* in rebus credendis recurrendum, cætera aut ignorantiæ, aut superstitioni, aut Sacrificulorum fraudibus deberi. At qui *Historiam Philosophicam excolit*, *quantum ratio valeat*, & *quæ ejus vis sit simul* & *imbecillitas*, *clarissimis exemplis edocetur*. Non *provocamus* hîc ad plebem, quæ levissimis etiam suspicionibus ducitur ; non ad immanes ritus Gentium ; non Sacrificulorum decreta insulsa ; sed ad virorum summa ingenii vi præditorum, hominum per omnem vitam veritatis inquirendæ studio deditorum, sententias & dogmata. Imo *provocamus* ad eos inter Christianos, qui ingenii acumine & philosophi-

carum

carum rerum peritia, omnium confessione celeberrimi sunt, simulque acerrimo studio, Religionem christianam examinarunt. *Fatentur Illi omnes*, se divina Revelatione adjutos accuratiores de rebus divinis notiones adeptos: *Hanc solidissima argumenta* suppeditasse, veritates natura cognitas, illustrandi, demonstrandi; imo se sæpissime adactos fuisse ad *divinam Revelationem* tanquam ad sacram quandam anchoram in rebus dubiis confugere. Legant, qui hac de re dubitant Summorum Virorum, *Werenfelsii*, *Lokii*, *Clarkii*, *Leibnizii*, *Turrettini*, *Clerici*, *Stillingfleti* ut de multis aliis nil dicam, scripta, & si quo pollent ingenii acumine, veritatisque amore, sentient, quid *Revelatio* conferat ad *rationem perficiendam.* Placuit & mihi pro ingenii viribus specimen hujus rei exhibere *Exemplo Philosophiæ Socratis cum Religione christiana collatæ.* Præterquam autem quod argumentum hujus disquisitionis sit *gravissimum*; singulari quadam occasione ad illam instituendam invitatus fui, quam breviter narrabo. Incidit aliquando in itinere, inter eos, qui communi vehiculo utebantur, sermo, de libro quodam tum temporis edito, in quo auctor Excellentiam Religionis christianæ demonstrare voluit. Unus ex Comitibus, Vir Juvenis, sed erecti Ingenii, haud inscite de eo judicabat; *addidit tamen frustra omnes illos esse, qui libros ejusmodi conscriberent; neminem hactenus repertum, qui Revelationis alicujus necessitatem perspicuis argumentis probasset; rationis præcepta & culturam Philosophiæ sufficere, ad bene beateque vivendum. Provocabat præprimis ad Philosophiam Socratis, hanc omnia in se complexam, quæ ad emendandam hominis mentem facere possent; Incomparabilem illum Philosophum non solum Rectorem & Gubernatorem hujus Universi agnovisse; sed & saluberrima præcepta ad generis humani emendationem apprime necessariâ, in medium protulisse, & ad virtutem deamandam cunctos adhortatum; homines, siquidem vacivas illi præbuissent aures, & dictis ejus obtemperassent, æternum felices futuros fuisse. Religionem Christianam efficaciora argumenta ad virtutem colendam non attulisse; fortunæ & superstitioni tribuendum, quod tanta hominum multitudo illius decreta adprobaverit, cum in ea præter præcepta, quæ ratione innotescunt, nihil sit, quod perspicaci ingenio satisfacere possit; sermonem ibi esse de miraculis, Mysteriis, quæ cum rectæ rationis principiis manifeste pugnent.* &c. Multa, ut in ejusmodi familiaribus colloquiis fieri solet, ad hæc regressi, quibus ille alia reposuit, quæ hîc repetere animus non est. Alte animo, quæ ille dixit infixi, & non semel de hoc argumento meditatus fui. Cum autem ab aliquot annis diligentius quam antea

tea Veterum Philosophorum de rebus divinis Systemata evolverem; in animum induxi, singulari quadam dissertatione, controversiam illam examini subjicere; *non eo certe animo*, quasi crederem, me majori demonstrationis vi, quam hactenus factum, Religionis christianæ Præstantiam probaturum; meo enim memet pede metior, & quam paupertini ingenii homo sim, pulcherrime scio; sed ut ostendam, me inter eos esse, qui existimant, nihil Religione Christiana excellentius esse, aliosque ad eam amandam pro viribus inducam.

Hoc autem *qualecunque* & *periturum* forsitan (quod tamen tanquam non periturum scripsi) *Specimen Tibi Cl. Huldrice* offero, tanquam Amoris & Venerationis qua Te complector, τεκμηριον. Gravissimæ mihi hujus rei sunt rationes. *Nihil dicam de singulari favore, quo me ab ineunte adolescentia complexus es; nihil de egregiis præceptis & consiliis, quibus animum meum imbuisti; nil de paterno affectu, quem mihi a longo jam tempore exhibuisti, & adhuc exhibes. Non referam egregia tua in Rem Sacram, & Literariam merita. Omnes enim norunt, Te inter præcipua Helvetiæ nostræ Ornamenta numerandum. Hoc tantum dicam, paucissimos, si a Te discessero, esse, qui Religionis christianæ divinam vim & excellentiam altius introspexerint, præceptorum Christi præstantiam & admirabilem efficaciam majori argumentorum robore probaverint, & animis hominum infixerint. Testes sunt omnes qui Te publice dicentem non sine stupore audiverunt, qui κεντρον illud, quod in eorum animis reliquisti, non semel senserunt: Testes Sermones illi Sacri ponderosissimi, qui omnium manibus teruntur, & late per Orbem Eruditorum & piorum adplausu excepti sunt. Quis igitur melius de præstantia divina illius Religionis judicare? quis præceptorum excellentiam certius pervidere posset, quam qui publice, & privatim id unice agit, ut homines ad eam amplectendam, & amandam, gravissimis argumentis instiget, ipsoque operæ se Ducem exhibeat? Nolo ulterius virtutes tuas ingenii mei culpa deterere; novi modestiam tuam, quæ omnium tuarum virtutum præcipuum Ornamentum est, nihil enim soles ad ostentationem, Omnia ad conscientiam referre. Prohibere tamen non potes, quo minus quavis data occasione in laudes tuas eam, & quanti æstimem Cl. Huldricum ostendam.* Accipe igitur, serena fronte, hoc qualecunque mei in te adfectus, specimen. *Gallum offerre debet, cui Hecatombe deest.* Sicubi autem cespitavero, aut minus recte ratiocinatus fuero, *Tu* me in viam reduces. Ego placide monentem sequar. Sed jam ad rem.

II. Ante-

II. Antequam autem Comparationem inter Religionem christianam, & Philosophiam *Socratis* instituamus, quædam in anteceſſum monenda sunt. *Primum est, hanc collationem instituta esse æquissimis legibus*; non quæritur, quid hic vel ille Eximius Philosophus Revelationis luce adjutus, præstare potuerit, in explicandis & demonstrandis Religionis Naturalis principiis & dogmatibus; sed quid præstiterit Vir perspicacis ingenii, qui Revelatione destitutus, ingenium tamen quantum potuit excoluit. Fatemur modernos Philosophos, divina Revelatione adjutos, Systemata Theologiæ Naturalis conficere posse, quæ exacte cum rationis præceptis conveniant; qui enim ab initio juventutis, christianæ Religionis principia imbiberunt, simulque rationem omnibus viribus excoluerunt, notiones, quas S. Literæ de Deo, rebusque divinis, suggerunt, ita apte cum iis, quæ sola ratione innotuere, connectunt; ut tandem existiment, se hæc omnia solius ratiocinationis ope invenisse. Talis est plerorumque qui *Deistæ* vocantur Religio. Religionis christianæ dogmatibus & præceptis innutriti, capita Theologiæ naturalis examini subjiciunt, & immemores eorum, quæ aliunde acceperunt, omnia tribuunt rationis suæ viribus. Æquum autem est, ut in hac *collatione* eos audiamus, qui diligentissime quidem rerum divinarum contemplationi vacarunt; Revelationis tamen alicujus luce destituebantur. II. Increduli contendunt, ad vitam bene beateque transigendam, sufficere, si quis rationi convenienter vivat: non opus esse, ut quis insolita quædam Sacrorum Antistitum decreta credat, requiri tantum probitatem vitæ, quantum in hac rerum caligine fieri potest, exactissimam; identidem sibi objici Philosophorum Superbiam, vitilitigandi de rebus nullius momenti pruriginem, prava animi studia &c. Sed tales veri Nominis Philosophos non esse. Opponemus ergo iis Virum præstantissimum, & Philosophum rectioris exempli, *Socratem* nempe. *Is Philosophiam è cœlo in terram devocavit: non disputavit de rebus abstrusis, & ingenii humani vim superantibus; non subtilis Geometra, aut Metaphysicus fuit, non terminorum faber*; sed qui omni studio id egit, ut hominum emendaret mores. Is non multa dogmata discipulis credenda imposuit, aut auctoritate sua, quos rationibus non potuit, in suam perduxit sententiam. Philosophus præterea, non voluptati, non ambitioni, non avaritiæ, aut aliis pessimis animi adfectionibus deditus. Talem autem aptissimum esse, ad rationis præcepta investiganda, explicanda, probanda, confitentur omnes rerum æqui arbitri. *Socratis Vita, inquit M. Erasmus, nihil aliud mihi vide-*

videtur, quam temperantiæ & tollerantiæ Exemplum. Quod si igitur probare possumus Socratis Philosophiam, longe infra dignitatem Religionis christianæ subsistere, *æquum est, ut illi agnoscant*, nihil Religione christiana excellentius esse, nihil denique ad mentem mortalium perficiendam & emendandam, hac Religione aptius. III. In hac comparatione non imitabor Rhetores, qui ut adsequantur, quod intendunt, nulla habita æquitatis & veritatis ratione, aut in cœlum tollunt laudibus, quod defendere volunt, silentio autem involvunt, quæ scopo, quem quærunt, contraria videntur; aut quæ vituperare in animum inducunt ita deprimunt ut nullum plane modum teneant, nec ullam mentionem faciant eorum, quæ verum decus adferre possent. *Confitebor* igitur, *Socratem fuisse virum eminentissimarum virtutum*, Virum optimum, sapientissimum, excellentissimum. Aut silentio involvam, aut fidem non habebo iis, quæ quidam minus æqui Judices, *Athenæus*, *Epicurei*, *Aristophanes*, contra eum in medium protulerunt. Laudes è contra, quas Viri Cordati in eum congesserunt, minime reticebimus, ut omnes, quotquot sine partium studio rem examinant, fateantur, nos candide egisse, neque quicquam eorum oblitos, quæ ad famam & virtutes viri illustrandas, quantum per brevitatem licet, facere possent. IV. Denique Philosophiam *Socratis* conferemus cum Religione christiana, quatenus in V. & N. T. libris, non hoc vel illo Theologiæ Systemate, continetur. Postquam enim Christiani in partes iverunt, multa hinc inde ex variis principiis Religioni adjecta sunt, quæ a primæva simplicitate recesserunt. Postulamus igitur, ut dicta nostra ex limpidissimis Revelationis fontibus repetantur, & ad rectæ interpretationis regulas, quæ de doctrina Christi & Apostolorum in medium proferimus, exigantur. Neque enim in brevi hac disquisitione singillatim loca omnia, quibus nitimur, adferre potuimus. (*)

III. Comparemus igitur primo *methodum docendi Socratis*, cum *ea, qua usus* est *Christus & Apostoli*. Observandum hic ante omnia, scopum Socratis fuisse, uti homines emendaret, & ad præstantiorem vivendi rationem transferret. Breviter, sed more suo eleganter hoc monet

(*) Conferenda cum iis, quæ de *Socratis* vita & doctrina disseruit, *Celeb. & Amicissimus Brukerus Hist. Crit. Philosoph. Tomo I.* Huic adjungi debet doctissimus Anglus Joh. Gilbertus *Cooper* qui vitam Socratis conscripsit quæ Londini 1750. in 8. edita est. Compendium hujus libri exhibuit Cl. *Maty* Auctor du Journal Britannique Tom. I. mensis Martii Anni 1750. Huic Auctor Anglus videtur in laudando Socrate modum excessisse.

monet Plutarchus περὶ πολυπραγμοσυνης p. m. 307. ἡς (de Philosophia Socratis loquitur) ἦν τέλος ἐπιγνωναι τα ἑαυτε κακα καὶ ἀπαλλαγηναι. Hîc sane si ullibi summa opus est prudentia & arte. Plerique Athenienſium artem rectè ratiocinandi ignorabant; neque quælibet homines persuadendi methodus æque est apta; præterea, non plebs tantum Athenienſis sed & nobiliore genere nati, præjudiciis religionis imbuti erant, cultuique publice recepto pertinaciter adhærebant. His igitur præconceptæ opiniones de patrio cultu eximendæ, & genuina Religionis principia methodo perspicua, omniumque captui accommodata, instillanda. At *Socrates* perpetua fere semper *Ironia* usus est. Hæc methodus autem *primo difficilis captu, neque apta ad plebem convincendam.* Probe tenendum est, non quæri, utrum hæc methodus ad retundendos Sophistas apta sit; sed utrum illa methodus adhibenda sit Ei, qui quosvis ab erroribus revocare, & ad veritatis cognitionem virtutisque amorem, perducere vult, quod negamus. Vel enim is, qui ita ratiocinatur, *ex conceſſis* tantum argumentatur, vel ex *principiis evidentibus & immotis.* Si *prius*, ejusmodi argumentatio nihil aliud probat, quam conceſſa quadam propositione, consectarium aliquod inde elici posse, quod alter cum quo disputatur, aut nondum perspexit, aut hactenus admittere noluit. Interim tamen ille, qui ad propositionem ejusmodi concedendam, vel invitus cogitur, nondum videt, ubi erraverit, aut cur huic potius, quam alii sententiæ, album calculum adjiciat ignorat: Si *posterius* est, omnia principia exactiſſime sunt cognoscenda, & continuus propositionum nexus attentiſſime est perpendendus, cum facile is, qui ad concedendam aliquam propositionem nos adducere vult, hiatum in ratiocinando committere possit; præterea ad omnia consectaria attendere debent auditores, & instituta comparatione eorum, quæ conceſſerunt, cum iis, quæ alter inferre vult, singula non semel in animo volvere & revolvere coguntur. Imo non solum ad singularum propositionum vim & totius ratiocinationis nexum attendere debent, sed & ad ipsa verba, quæ errorum non minima causa sunt. Ad ejusmodi autem Examen instituendum, plerumque plebs inepta est, neque etiam tempus habet ejusmodi ratiocinationes perpendendi: clara & nuda veritatis propositio sine longioris ratiocinationis ambagibus, magis plebis animos convincit, quam arte quæsita argumentatio. Experiuntur hoc omnes, qui ejusmodi hominibus instituendis animum adjiciunt; non semel vel clariſſimæ propositiones repetendæ, inculcandæ,

infigendæ sunt. Hinc *Viri illi Magni*, qui ante duo Secula Religionem a Superstitione, quæ orbem quasi inundavit, purgarunt, nuda & aperta veritatis propositione, plus effecerunt, quam Philosophi longis ratiocinationibus. Quod si igitur *Socrates* emendare voluit genus humanum, & Semina veritatis & virtutis hominibus instillare, faciliori quadam via uti debuisset, imprimis si plebi hac ratione quam maxime consulere voluit. 2. *Hæc methodus hominum præsertim superborum animos potius irritat quam emendat.* Ejusmodi Ironica ratiocinatione ex scopo ejus, qui ea utitur homines vel inviti eo reducuntur, ut se errasse sentiant. Sophistæ autem, quorum causa hanc methodum adhibuit, ingenio non destituebantur quidem, sed superbia & propriæ laudis opinione turgidi erant. Hi argumentis ad silentium redacti, irritabantur & ignominia quadam se adfectos putabant: quamprimum autem hæc opinio animo insidet, mentis acies turbatur, & ad iram, vindictam, ejusque, cum quo disputatio intercessit, contemtum abripitur: experientia hoc satis confirmat. Plerique Eruditi *gloriæ animalia* sunt, altos gerunt spiritus, neque ad confessionem erroris facile adduci possunt: quod si hoc in illis rebus fiat, quæ Religionem non concernunt, quid putemus factum fuisse, si *Socrates* eos persuadere voluit, insanas esse publice receptas de rebus divinis sententias? hinc etiam paucissimi Sophistarum hac ratione emendati & a pravis studiis abducti sunt. Ipse *Socrates* testatus est, hac disputandi ratione, non semel irritatos hominum animos. Unus nobis sufficit locus, qui in Apologia Platonis pag. m. 9. extat. ubi ita loquitur. Προς δε τουτοις οἱ νεοι μοι ἑπακολουθουντες, οἱς μαλιςα σχολη ἐςιν, οἱ των πλουσιωτατων αὐτοματοι, χαιρουσιν ἀκουοντες ἐξελεγχομενων των ἀνθρωπων. Και αὐτοι πολλακις ἐμε μιμουνται, εἰτα ἐπιχειρουσιν ἀλλους ἐξεταζειν. Καπειτα οἰμαι ευρισκουσι πολλην ἀφθονιαν, οἰομενων μεν, εἰδεναι τι των ἀνθρωπων. εἰδοτων δε ἡ ὀλιγα, ἡ ὡδεν. ἐντευθεν ὰν οἱ ὑπ' αὐτων ἐξεταζομενοι, ἐμοι ὀργιζονται, ἐχ' αὐτοις. Και λεγουσιν ὡς Σωκρατης τις ἐςι μιαρωτατος, και διαφθειρει τους νεους, i. e. *præterea adolescentes maxime opulenti, quive a negotiis vacant, me ultro sequentes, delectantur, cum refelli a nobis homines spectant. Quin etiam ipsi nonnunquam me imitati, alios deinde confutare contendunt: qua quidem in re, plurimam reperiuntur turbam hominum aliquid se scire putantium, cum aut nihil sciant, aut perparum. Qui vero ab his convincuntur, non tam illis quam mihi redduntur infensi, clamantque esse Socratem quendam sceleristissimum, Juventutisque corruptorem.* Hinc etiam factum, ut non tantum veteres, sed & multi modernorum existimarint

rint *Socratem*, ambitione commotum, perpetua ejusmodi Ironia usum fuisse. *Perrault dans ses Paralleles des Anciens & des Modernes* Tom. IV. p. 139. ubi *le Chevalier: J'ai toûjours haï l'air mocqueur & ironique, avec lequel Socrate parloit aux gens:* p. 141. inquit *l'Abbé: Ces ironies sont offençentes, comme c'est leur nature de l'être presque toûjours, & si elles nous plaisent dans les Ouvrages de Platon, c'est, que nous sommes bien aises, de nous divertir avec Socrate, aux depens de ceux, à qui il parle, lesquels au moins que d'être bien stupides, devoient en être très malcontents. Chevalier. Si ces Ironies m'offençent après deux mille ans, moi, qu'elles ne regardent point, quel chagrin & qu'elle indignation ne devoient-elles point causer aux personnes interessées? vous en dirés ce qu'il vous plaira, mais il n'est point d'un homme véritablement sage & vertueux, de se divertir de la sorte. L'Abbé. Je suis persuadé, qu'en cela Socrate contrevenoit à la Loi naturelle, qui nous defend, de faire en autrui, ce que nous ne voudrions pas qui nous fut fait.* Idem sentit auctor libri cui titulus: *La fausseté des vertus humaines*; nimirum superbiam & ambitionem hujus rei causam fuisse contendit. Sed in horum tamen sententiam, ambitionem quod attinet, concedere non possum; quamquam credam, hac ratione Sophistas aliosque irritatos fuisse: & licet sine dubio hominem vanæ sapientiæ laude turgidum, ejusmodi quæstionibus retundere. Ratiocinantur hi, inprimis postremus, ex intentione *Socratis*, quæ methodus actiones hominum examinandi periculosa est. Vel optimorum Virorum actiones in vitia mutari possunt, si perversum iis finem subesse posse, sufficiat dixisse. Notum est Eruditorum judicium de *Tacito*. Æquitati proin, & præceptis Religionis christianæ contrarium mihi esse videtur, ejusmodi Judicium: aliter sane Paulus I. Cor. XIII. v. 7. alibique loquitur, quam auctor libri supra citatus. Cum *Socrates* ubique professus sit, se eum in finem Ironia illa uti, uti superbos Sophistas retunderet, acquiescendum puto, licet concedam, minime hac ratione *Socratem* consecutum, quod intenderat. 3. *Hæc methodus ideo apta non erat ad Athenienses a pravis studiis & erroribus abducendos, quod tum temporis Eruditi Athenienses artem Sophisticam excolebant, & utramque in partem de quavis re disputabant.* Novimus autem plebem plerumque parum curare Eruditorum disputationes; perinde ipsi est, quid illi in Scholis inter se litigent; præterea cum multi, præsertim illo, (quanquam & nostro) tempore, de rebus nullius momenti, de lana caprina, imo aliquando, non de rebus sed de verbis, inter se litigent, paulo perspicaciores e plebe credi-

crediderunt, sine dubio, aut omnes, aut plerasque eorum concertationes, nullius ponderis esse; disputare illos potius, quis doctior, perspicacior, loquacior sit, quam quid Societati & hominum Saluti conducat. Saltem plebs Sophistam, a veri nominis Philosopho, qualis *Socrates* erat, vix distinguere potuit. Qua ratione igitur fieri potuit, ut plebs Atheniensis, *Socrati*, perpetua fere Ironia utente, vacivas aures præberet, & dictis ejus obtemperaret, si & cæteri Sophistæ, quorum ingens numerus erat, identidem strophis suis obstrepuere? Sine dubio credidit, si forte ejusmodi disputationi interfuit, utrosque loquaces esse homines, aut nos, quid verum falsumque sit, scire non posse. Haud obscure fatetur hoc ipsum *Socrates* apud *Platonem in Phædone* pag. 37. postquam enim dixit homines facile eo adduci posse, ut & rationes, & homines odio habeant, ita pergit: Καὶ μαλιστα δη οἱ περι τας ἀντιλογικας λογας διατριψοντες, οἰσθ' ὁτι τελευτωντες οἱονται σοφωτατοι γεγονεναι τε καὶ κατανενοηκεναι μονοι, ὁτι ἐτε των πραγμάτων ἐδενος ἐδεν ὑγιες, ἐδε βεβαιον; ἐτε των λογων. Ἀλλα παντα τα οντα ἀτεχνως, ὡσπερ ἀν Ἐυριπω ἀνω. καὶ κατω σρεφεται, καὶ χρονον ἐδενα ἐν ἐδενι μενει. Παυ μεν ἐν, ἐφην ἐγω, ἀληθη λεγεις. Ὀυκ ἀν ὠ Φαιδων ἐφη, οἰκτρον ἀν εἰη το παθος, εἰ οντος δη τινος ἀληθους, καὶ βεβαιε λογε, καὶ δυνατε κατανοησαι. ἐπειτα δια το παραγιγνεσθαι τοις τοισι λόγοις τοις αὐτοις, τοτε μεν δοκουσιν ἀληθεσιν εἰναι, τοτε δε μη, μη ἑαυτον τις αἰτιωτο, μη δε την ἑαυτε ἀτεχνιαν: ἀλλα τελευτων δια το ἀλγειν ἀσμενος ἐπι τας λόγας διατελοι των δεοντων της ἀληθειας τε, καὶ ἐπιςημης ςερηθειη. i. e. *Præcipue vero illis id evenit, qui plurimum rationes contradictorias agitant Hos enim scis putare tandem se sapientissimos evasisse, solosque animadvertisse, neque in rebus neque in rationibus esse sanum aliquid, aut firmum; sed omnia revera tanquam in Evripo sursum deorsumque jactari, nullumque tempus in aliquo permanere. Vere nimirum loqueris, inquam. Nonne inquit ægritudo hæc Phædo miserabilis esset, si cum ratio aliqua vera firmaque sit, comprehendique valeat, postea autem auditis hujuscemodi rationibus, quæ modo afferre vera, modo falsa videntur, aliquis hinc in ambiguitatem deductus, non se ipsum, neque ejus inertiam ob id accuset, sed tandem velut ager culpam omnem a se ipso, in ipsas transferat rationes, & in reliqua vita eas odio habeat, atque vituperet, rerum ipsarum veritate scientiaque privatus.* Hinc etiam *Aristophanes* ansam arripuit *Summum Virum* publice traducendi; quam comœdiam, uti Veteres perhibent, æquissimis auribus accipiebant Athenienses. Num autem credibile est, omnes ita occœcatos futuros, si *Socrates* nuda & aperta

aperta Veritatis professione usus fuisset, & perpetua illa Ironia abstinuisset? Orta tandem etiam a Socrate *Academicorum Secta*, quæ singularem voluptatem quærebat, in oppugnandis & defendendis quibusvis, sive veris, sive falsis Sententiis. Verum equidem est, *Socratem* Scepticum non fuisse, secus ac contendit *Illustris Huetius*, cujus rationes alibi examinamus: verum etiam est, ipsum perpetua Ironia non semper usum, sed aliquando aperte amicis interrogantibus, mentem suam aperuisse. Testatur hoc *Xenoph. mem.* L. IV. p. 503. Ed. Bas. quæ brevitatis causa latine tantum dabo. *Multi eorum, qui sic a Socrate redarguebantur, non amplius eum adibant, quos ideo molliores putabat: Euthydemus vero, non aliter arbitratus, se posse laude dignum evadere, nisi quam sæpe versaretur cum Socrate, nunquam amplius aberat ab eo, nisi aliquid urgens cogeret: nonnulla etiam imitabatur illorum, in quibus Socrates studebat. Qui, cum sic eum videret affectum, minime turbabat argutus, clarissime vero ac simplicissime omnia ei exponebat, quæcunque opinabatur oportere hominem scire, ac in eis studere: Igitur subtiles & industrios & ingeniosos efficere suos auditores non festinabat, sed ante ista putabat oportere moderatos eos facere, cum eos, qui absque moderatione in hujuscemodi valeant, magis injuriosos arbitraretur, ac potentiores ad male faciendum fore.* Ex quo loco patet, 1. verissimum esse, quod dixi, multos ea, qua usus est, disputandi methodo ab eo alienatos fuisse. 2. Methodum illam ad retundendos præprimis Sophistas ab eo adhibitam fuisse, & posito demum vanæ opinionis tumore, simpliciter, quæ dicenda essent, monuisse. 3. Paucos hac ratione emendari potuisse. Quis enim nescit, *miraculo proximum* esse, *hominem Superbum* & *inflatum* ad moderati animi studium, & ignorantiæ confessionem, perducere. Ex quibus omnibus concludimus, methodum docendi, qua usus est *Socrates*, minus aptam fuisse Athenienſium animos ab erroribus revocandi, & meliores reddendi.

IV. Comparemus jam *methodum docendi Christi & Apostolorum.* Sunt viri haud indocti, qui vellent Christum & Apostolos eodem genere argumentationis usos esse, quo utuntur Geometræ; putantes, ita Religionis christianæ veritatem, solidiori fundamento suffultam fore, nec tot disputationes locum habituras. Non dicam ipsius rei naturam ejusmodi methodum ferre non posse, & miraculis Christum, quicquid minus perspicuum videbatur, satis probasse; hoc tantum dico, ejusmodi methodum minime aptam fuisse, homines ad verum Dei cultum perducendi. Pauciſſimi mortalium ea ingenii perspicacia præditi

diti sunt, ut longiorem & paulo difficiliorem ratiocinationem rite intelligere possint; temporis præterea penuria laborant, ad examen ejusmodi instituendum, districti negotiis, ad vitam hanc tolerandam spectantibus; quod si minime propter hoc impedirentur, obstaret tamen pigritia, quo minus diu ejusmodi examini inhærerent; præsertim, cum præjudicia de Religione, & pravæ animi adfectiones identidem animum a veritate rite perpendenda, abstrahant. Quod si præterea Judæorum, ad quos in viam veritatis reducendos, Servator noster missus erat, indolem contemplemur, videbimus ingenium eorum, percipiendæ accuratæ demonstrationis minime capax fuisse. Pertinaciter ritibus suis inhærebant, & ad oracula Veteris Testamenti & temere arreptas traditiones potius, quam ad subtiles ratiocinationes provocabant. Tandem, si hac methodo usus fuisset Servator noster, pro excellenti quidem Philosopho habitus fuisset, minime autem pro promisso Messia. Rectissime igitur, ac sapienter Servator noster hanc methodum neglexit. Non usus est *perpetua* illa *Ironia*, qua delectabatur *Socrates*, qua Judæorum animos potius a se abalienasset, & in censum Sophistarum relatus fuisset; cum & inter Judæos, uti observarunt Eruditi, tum temporis ejusmodi genus hominum disputax fuerit; non usus tandem est *methodo* quadam *Analytica*, & ab ideis innatis incipiens, ad id, quod intenderat, probandum progressus est; quemadmodum nonnulli, nostro tempore, simplicissimum Christi & Apostolorum sermonem, in minutissimas partes solvere & resolvere solent. Nihil hic, quod artem, nihil quod Scholam vel minimum sapiat, reperis. *Omnia* (verbis Excellentissimi Genevensium Theologi J. A. *Turrettini* utor) *plana ac facilia, non aliunde, quam ex vulgi usu, & recepto sermone desumta. Similitudines, parabolæ, ex rebus obviis, ac velut e trivio. Argumenta, ratiocinationes, non quæ doctos solos afficiant, sed quarum vim vel rusticus, atque idiota, possit agnoscere. Quæ quidem omnia ita sapienter suis quæque locis aptantur, ut res vel maxime sublimes ipsis quasi sensibus subjiciant.* Ita *divina* illa *Oratio*, quam in monte habuit, specimen hujus rei egregium est; in *qua sola*, quicquid *Socrates* & Celeberrimi Philosophorum habuere alicujus pretii, veluti in Compendium contracta, *suavi* & *pathetico* sed & *claro* & *perspicuo* sermone proponit. Servator noster aliquando *parabolis* & *similibus* ex usu vulgi petitis utebatur, ita facilibus captu, uti concipi haud possit, qua ratione homo, vel mediocriter attentus, sensum ignorare potuerit: non possum mihi temperare, quin adscribam elegantissima verba M.

Eras-

Erasmi, quæ extant in aureo libello, *methodo nempe compendio perveniendi ad veram Theologiam*, pag m. 137. *Nullum autem* (inquit) *familiarius docendi genus, nec efficacius, quam per* Similium Collationem: *ea Christus a rebus vulgatissimis sumit, qui suam doctrinam quam maxime popularem esse voluit. Quis enim non vidit jaci semen in terram? quis non conspexit piscatores jacientes retia? quis nescit palmites amputatos exarescere? atque hæc vulgata mire novat, ad suam Philosophiam accommodans. De Scotidarum argutissimis subtilitatibus paucorum est disserere: in his promtum est quibuslibet philosophari. Vides exorientem Solem, exhilararis; quid voluptatis sensurus, si cordis oculis exoriatur Sol ille justitiæ? molesta res est morbus corporis; quanto molestior animi morbus; horres contagium pestis corporalis; multo magis vitanda morum pestilentium contagio. Res elegans tibi videtur hortus omni florum & arborum genere vernans; quale spectaculum animus innocentia virens, ac virtutum omni genere exuberans? vides serpentem, habes exemplum christianæ prudentiæ; vides columbam, habes imaginem christianæ Simplicitatis; vides cervum, habes Symbolum admonens, avide sectandas divinas literas &c* ita *Erasmus.* Hæc omnia tamen pro temporum, hominumque ratione mire temperavit, nec omnia, que credenda erant, uno impetu effudit, aut omnia omnibus eodem tempore insinuavit. Quin etiam discipulis & futuris Religionis christianæ propagatoribus, per intervalla animi sui sensa, & divina Eloquia aperuit; in alia tempora, alium animi eorum statum, quædam protrahens. Imprimis vero operam dabat, ut ante omnia animos eorum præpararet, ad fata accipienda, seu, ut clarius loquar, voluit, ut præjudicia Sectæ deponerent, & pravas animi cupiditates eradicarent; persuasus tum demum mentem divinam indolem Religionis christianæ percepturam; hinc summa adhortationum ejus hæc erat: *mentem mutate, & fidem habete Evangelio meo.* Verum est, *Socratem* continuis illis quæstionibus homines ad sui cognitionem & moderati animi studium perducere voluisse; Sed cum accurata quadam ratiocinatione uteretur, ad Scholæ regulas exacta, & vel invitos ad ignorantiæ confessionem adducere vellet, factum est, ut multi, partim ratiocinationis nexum non intellexerint, partim ab eo alienati fuerint, & crediderint, id tantum eum agere, ut alios confunderet, & summam disputandi peritiam ostenderet. *Hæc* autem *divini nostri Servatoris* methodus, omnibus ingeniis erat attemperata, quam simplices adsequi, nec Eruditi spernere poterant. Discipuli, & Religionis ejus propagatores Apostoli, eandem triverunt semitam:

mitam: aliquando tamen Capita quædam Religionis momentosa, paulo accuratius multis argumentis, probarunt; præsertim, cum inter illos qui fidem dederant Religioni christianæ, multi exorti sint, qui a simplicitate divinæ illius doctrinæ recesserunt, aliosque turbare conati sunt. Quod si Apostoli allegoriis aliquando utebantur, illæ breves erant & ab hominibus istorum temporum facile intelligebantur, quæ nobis aliis disciplinis deditis, alii sermoni, moribus denique adsuetis aliis, inusitatiora videntur. Hæc qui attente perpendit, & ingenii humani indolem perspectam habet, ni fallor fatebitur, *Socratis quidem methodum, si ἀκριβεια philosophica spectetur, subtiliorem longe fuisse docendi ratione, qua usi sunt Christus & Apostoli; Christi vero & Apostolorum ad emendandum genus Humanum, multo accommodatiorem ac præstantiorem fuisse.*

V. *Præstantia Religionis Christianæ insuper patet ex eo, quod Christus & Apostoli, opiniones, cum æterna hominum salute pugnantes, minime aut silentio involverint, aut toleraverint, multo minus probaverint: Socrates vero superstitionem tum temporis grassantem, & opiniones noxias de Diis eorumque cultu, publice non rejecerit, sed suo adhuc exemplo comprobaverit.* Qui homines a pestilentissimis erroribus revocare, & ad cultum Deum decentem inducere vult, ille clare & rotunde, omnia ea proponere debet, quæ homines, quo minus recte Deum colant, impedire possunt. Rectus de Deo sensus, & genuina attributorum ejus contemplatio, fundamentum sunt, omnis cultus & religionis. Quod si igitur ejusmodi homo sciat, eos, quos emendare vult, aut Deum Summum mundi Rectorem ignorare, aut opiniones de Eo habere, quæ Sanctissimæ ejus Naturæ, & virtutibus contrariæ sunt, summa eum ope niti decet, ut illas ex animis eorum radicitus evellat, & rectiora edoceat, nulla dissentium, nulla religionis publice receptæ, nulla periculi, habita ratione. *At Socrates nec Cultum Deorum, nec Oracula, nec Sacrificia, nec divinationem rejecit*, quod jam ostendemus. *Xenoph.* initio *memorab.* p. m. 441. Ed. Bas. defensurus *Socratem* ait. Πρωτον μεν ἐν, ὡς ἐκ ἐνομιζεν, ἐς ἡ πολις νομιζει Θεους, ποιῳ ποτ' ἐχρησαντο τεκμηριῳ; θυων τε γαρ Φανερος ἡν, πολλακις μεν οἰκοι, πολλακις δε ἐπι των κοινων της πολεως βωμων. i. e. *hoc igitur primum quod non coleret Deos, quos etiam Civitas, quo argumento ostenderunt? cum sæpissime tum domi tum etiam in aris communibus civitatis eum constet sacrificasse.* Ibid pag. 450. Τα μεν τοινυν προς τους Θεους Φανερος ἡν, καὶ ποιων καὶ λογων ἡπερ ἡ Πυθια ὑποκρι-

νεται

νεται τοις ἐρωτωσι πως δει ποιειν ἡ περι θυτιας, ἡ περι προγονων θεραπειας, ἡ περι ἀλλε τινος των τοιετων. ἡ τε γαρ ἡ Πυθια νομω πολεως ἀναιρει ποιεντας ευσεβως ἀν ποιειν. Σωκρατης τε ἐτως και αὐτος ἐποιει, και τοις ἀλλοις παρηνει, τας δε ἀλλως πως ποιεντας, περιεργως και ματαιως ἐνομιζεν ειναι. i. e. *Circa igitur Deos eo modo videbatur dicere & facere, quo Pythius illis respondet, qui interrogant, quomodo oporteat agere, aut de immolationibus, aut de majorum observantia, aut de aliis hujusmodi rebus. Sicut enim Pythius de immolationibus jubet, quod recte agat is, qui consuetudine Civitatis utatur; Sic etiam Socrates ipse faciebat, cæterosque admonebat: eos vero, qui aliter agebant, curiosos & vanos arbitrabatur.* Clarius adhuc mentem hoc de negotio aperit p. 510. quæ brevitatis causa latine tantum dabo. *Dic mihi, ait, o Eutbydeme, qualem tu putas pietatem esse? at ille: Optimum quidpiam me hercule, ait. Habesne & qualem pium hominem esse dicas? mihi, inquit ille, is pius esse videtur, qui Deos veneratione prosequatur. Licetne quo quisque voluerit modo Deos honorare? Non, inquit, sed lege qua expositum sit, quid facere conveniat. Quicunque igitur secundum leges faciet, scitne, quo pacto Deos oporteat venerari? puto, inquit. Qui igitur norit Deos honorare, non aliter putat hoc oportere facere, quam quemadmodum novit? minime, inquit. Estne quisquam, qui Deos honoret aliter, quam putet oportere? non puto equidem. Qui igitur teneat leges circa divinum cultum positas, is profecto Deos secundum leges honorat? Vehementer inquit. Qui igitur Deos secundum leges honorat, is, uti oportet, honorat? quid ni? qui uti oportet honorat pius ne est? maxime. Qui ergo circa divinum cultum leges positas sciat, recte a nobis pius definiatur. Ita, inquit, videtur.* Ex quibus locis patet, *Socratem*, cultum receptum non modo subvertere noluisse, sed & insanos eos existimasse, qui aliter sentirent & agerent. Num autem hoc decet Philosophum, aut Virum probum? num abeo generis humani emendatio exspectari potest? num legi Civitatis potius, an æternis, quas de Deo habemus Ideis, attemperandus est cultus? quam præstitisset, si rotunde dixisset, soli, soli, inquam, omnium rerum Creatori & Gubernatori, cultum esse exhibendum! Sane hîc non præstitit, quod de se confessus est in *Critone*: Ἐγω, inquit, ἐ μονον νυν, ἀλλα και ἀει τοιετος, ὁιος των ἐμων μηδενι ἀλλω πειθεσθαι ἡ τω λογω ὁς ἀν μοι λογιζομενω βελτιςος φαινηται. *Ego non tantum nunc, sed etiam semper ejusmodi fui, uti meorum nemini, sed rationi parerem, quæ mihi ratiocinanti, optima videretur.* Sane si hoc Axiomatis loco ponendum est, cultum Deo νομω πολεως esse exhibendum,

vel absurdissimæ de Deo sententiæ & opiniones sunt adprobandæ, & detestandus etiam cultus nunquam est abrogandus. Ita *Atheus* quis, vel *Scepticus* esse potest, & simul tamen identidem ingeminare, cultum patrium minime esse mutandum. Ita Sext. Emp. LIX. pag. 560. Ed Fabricii de Sceptico suo ait: Ταχα γαρ ἀσφαλεςερος παρα τȣς ὡς ἑτερως φιλοσοφȣντας, ἑυρεθησεται ὁ Σκεπτικος. κατα μεν τα πατρια ἐθη καὶ τȣς νομȣς λεγων εἰναι Θεȣς, καὶ παν το εἰς την τȣτων θρησκειαν, καὶ ἐυσεβειαν, συντεινον ποιων. *Fortasse enim stabilior, ac constantior, invenietur Scepticus, quam ii qui aliter philosophantur: siquidem profitetur Deos congruenter patriis moribus & legibus, & facit quidquid pertinet ad eos pie colendos:* hinc recte ait Cl. Editor in notis: *Ineptum & ab* ἀσφαλεια *philosophica repulsum prorsus ac remotum, quod ita profitetur esse Deos, eosque se colere, non quales* ἀσφαλως *persuasus est, haud inficiandis rationibus, sed* κατα τα πατρια ἐθη καὶ τȣς νομȣς, *professurus ita Chimæram quamcunque* ἀσφαλως, *atque cultu prosecuturus, si moribus ita receptum & cautum legibus patriis esset.* Quis igitur *Socratem* non graviter peccasse fatebitur? aut enim persuasus fuit cultum publice receptum falsum esse, aut ignoravit. Si persuasus erat, cur palam hoc fassus non est; & quantum in se erat ad cultum Deo soli exhibendum, cunctos adhortatus? Si ignoravit, ineptus erat ad religionem castam hominibus instillandam. Novi *Platonem in Eutyphrone* & libro secundo de *Republica* adserere, *Socratem* improbasse, quæ de Diis finxerant Poëtæ. Sed, qui Deos ritu patrio colendos esse vult, num ille jure culpare potest eos, qui receptæ opinioni constanter adhærebant? illi enim, qui Deos, uti legibus receptum erat, colebant, dicere poterant, circa Cultum Deorum, axiomatis loco hoc tenendum: *A cultu patrio ne latum quidem unguem recedendum est.* Quid hic reponere potuisset Vir optimus, quod veri amanti satis facere potuisset? Si enim crassiores tantum plebis de Diis opiniones se rejicere dixisset, statim in promtu responsio erat, Religionem plebis, esse religionem publice legibus stabilitam, sequi ergo, vel ex *Ipsius principiis*, nihil hîc mutandum. Si aliud animo pressit, in medium erat proferendum. Ex adductis supra locis satis patet, *Socratem* Oraculorum auctoritatem non rejecisse; cultus enim normam ad Oraculorum responsa referebat. Notum autem est, multum ea contulisse ad superstitionem augendam; magnus erat hominum ad Ea concursus, magna eorum auctoritas. Omnia autem in illis Oraculis ad fraudem composita fuisse, adeo luculenter probarunt *doctissimi Viri*, v. *Dalen*, *Fontenelle*, *Basnage*, ut pauci posthac

futuri

futuri sint, qui Diabolo effata Oraculorum adscribant. Quis autem dubitet, *Socratem* sciviſſe, Oracula non Deorum providentia, aut cura edi, ſed meras eſſe fraudes verſutiſſimorum Sacrificulorum, cum noſtro tempore fallaciam eorum detexerint Eruditi, ipſe autem omnes circumſtantias noſſe probe potuerit. Sane cæteri Philoſophi, qui nec acumine ingenii, nec amore veritatis, cum Eo certare poterant, aperte ſibilis exceperunt vaniſſimam hominum de divinitate Oraculorum perſuaſionem. Scio, poſſe mihi opponi locum *Plutarchi* de *dæmonio Socratis* p. 580. in quo, poſtquam Vir πολυμαθεςατος *Socratem* laudaſſet, quod Philoſophiam repurgaſſet, addit: ἡ παν ἐπαγγελλομενῳ λογῳ ἀγαθον καὶ το συμφερον, τῳ διδασκειν εἰς Θεες ἐπαναχωρειν, της των πραξεων ἀρχης ὡς τε λογε καταφονεσα, καὶ την ἀποδειξιν ἡ δοκει διαφερειν ἀτιμασασα, προς μαντευματα τρεπεται καὶ ὀνειρατων ὀψεις. i. e. *quæ*, (ſc. Philoſophia) *cum omne bonum, atque utile, ad principia rationis referre profiteatur, eo quod ad Deum recurrere ſemper docet, principium actionum una cum ratione negligent, & demonſtrationem, in qua pretium ejus poſitum eſſe videbatur, poſtponens, ad Oracula, Somnia, atque Viſa, convertitur.* Sed quemadmodum falſum eſt, quod in antecedentibus *Plutarchus* aſſerit, *Socratem* nempe a Superſtitione philoſophiam liberaſſe, ita minime etiam probavit *Plutarchus*, *Socratem* Oracula repudiaſſe. Confirmatur hoc, ex ipſa *Platonis Apologia*, in qua ad teſtimonium amici provocabat, qui perhibuerit, Oraculum dixiſſe, *Socratem* omnium hominum Sapientiſſimum eſſe; quod ſi divinam auctoritatem illi minime tribuiſſet, malignum & ſuperbum ſe exhibuiſſet, ſi coram Judice eo provocaſſet. Quæ de Oraculis dixi, idem de *divinationibus* intelligi volo. *Xenoph.* Libro I. memorab. Περι δε Ἰων ἀδηλων, ὁπως ἀποβησοιτο μανθευομενες ἐπεμπεν εἰ ποητεα. Και Ἰες μελλονλας οἰκες τε καὶ πολεις καμως οἰκησειν, μανθικης ἐφη προσδειοθαι. i. e. *De illis vero, quorum incertus exitus eſſet, a Diis, an ſuſcipienda ſint, petere hortabatur: aſſerebatque omnibus, qui aut domum, aut civitatem recte habitaturi ſunt, opus eſſe divinatione.* Idem Lib. I. p. 450. Ει δε τι δοξειεν αὐτω σημαινεσθαι παρα Θεων, ἤπον ἀν ἐπειοθη παρα Ἰα σημαινομενα ποιησαι, ἡ εἰ τις ἀυλον ἐπειθεν ὁδε λαβειν ἡγεμονα τυφλον, καὶ μη εἰδοτα την ὁδον, ἀντι βλεποντος καὶ εἰδοτος. καὶ των ἀλλων κατηγορει, ὁι τινες Ἰα παρα Ἰων Θεων σημαινομενα, ποιεσι τι, Φυλαττομενοι την παρα Ἰοις ἀνθρωποις ἀδοξιαν. ἀυλος δε παντ' ἀνθρωπινα ὑπερεωρα, προς την παρα Ἰων Θεων ξυμβελιαν. i. e. *Si quando autem quicquam a Diis ſibi oſtendi putabat, minus perſuaſus fuiſſet præter oſtenſa facere, quam ſi quis perſuaderet ei, ducem in via cœcum pro vidente recipere, &*

viæ ignarum pro cognoscente. Illos autem, qui cavendo hominum opiniones, præter illa, quæ Dii consulerent facerent, stoliditate accusabat. Ipse vero consultationem divinam omnibus anteferebat humanis. Idem Lib. IV. p. 504. Το δε καὶ εἰ ἀδυναλεμεν μεν λα συμφερονλα προνοεισθαι, ὑπερ λων μελλονλων, λαυλην αὐλες ἡμιν συνεργειν δια μανλικης λοις πυνθανομενοις. Φραζονλας λα ἀποβησομενα, καὶ διδασκονλας, ἡ ἀν ἀριςα γιγνοιλο. i. e. *Quod autem*, inquit, *quando nobis impossibilis est futurorum Providentia, ipsi nos in hoc juvant per divinationem exitum rerum interrogantibus, manifestantes atque docentes, quonam pacto quam optime fiant, magni Amoris est.* Vides *Socratem* divinationem minime neglexisse; licet autem Ille forte aliter loquebatur, quam sentiebat; patet tamen eum publice nunquam voluisse eam taxare. Histrioniam autem illam multum ad superstitionem augendam fecisse, adeo notum est, ut nihil supra: hinc *Cicero* rectè funditus illam subvertendam putabat, licet ipso opere æque ac *Socrates* nil mutare decreverat. Quod si hæc igitur omnia in Summam colligamus, fateri necesse est, *Socratem* nec Philosophi, nec Viri Boni officia præstitisse, dum hæc Superstitionis fulcra non solum non subverterit, sed & auctoritate sua probaverit. His enim sublatis, via ad cultum puriorem strata fuisset. Stantibus autem iisdem, nulla melioris & emendatioris cultus inter homines obtinendi spes erat. Intercedit tamen, præter alios, hic Ingeniosissimus *Vayerius de la vertu des Payens* pag. 592. dicens. *On prouve très mal son Idololâtrie, par les termes, dont ses disciples se sont servis, dans leur Apologies, quand ils ont écrit, qu'il n'avoit rien innové au fait de la Religion, ayant toujours vecu pour ce regard, comme les autres, & usé des Sacrifices, selon qu'ils étoient alors en usage. Car deja leur propre interêt, & la crainte de la ciguë les peut avoir fait parler de la sorte. D'ailleurs il y a lieu de dire, que Socrate, qui n'avoit que la foi implicite, se contentoit de reconnoitre un seul Dieu dans la loi de la nature, sans vouloir pour cela troubler le gouvernement public, par l'introduction d'un nouveau culte, dont il ne pouvoit user, sans violer les loix de l'Etat: Et que, s'il a sacrifié à quelques divinités Athenienes, cela éte vraisemblablement par une nuë reconnoissance des puissances, d'un seul Dieu, qu'il adoroit, sous des noms differens.* Sed male defendit Virum alias præstantissimum Eruditus *Vayerius*: Primo enim aliunde quid senserit feceritque *Socrates*, scire non possumus, quam ex discipulorum testimoniis, unde igitur patebit, eos hac in parte tempori inserviisse? 2. Eo ipso, quod *Socrates* cultum patrium sequebatur, nec Philosophi nec Viri Cordati officium adim-

adimplevit. Et quantum videtur, doctissimus *Vayerius* ipsemet nil tentasset ad cultum Idololatricum Ecclesiæ Romanæ subvertendum. Nimirum ubi tanta est Ecclesiæ auctoritas parum valet & conscientia, & Philosophia. 3. Si vel maxime, dum Deos Athenienſium coluit, aliud animo agitavit, nondum tamen excusari potest; *nec enim in causa religionis Histrionem agere licet*, & aliud præ se ferre, aliud credere, præsertim in iis, quæ castum Dei cultum spectant, quæque sine offensione Dei & hominum tegi haud possunt.

VI. At *divinus* noster *Salvator* longissime ab hac via recessit. Cum mundo adparuit, non minus depravatus erat status Judæorum, quam Gentilium. *Judæi* equidem divinam habebant Revelationem in Scriptis *Mosis* & *Prophetarum* contentam, quam tamen adeo neglexerant, ut nonnisi tenuis umbra veræ religionis remanserit; traditionibus variis ea, quæ ad verum Dei cultum pertinebant, mire adulteraverant. Hinc spretis momentosissimis veritatibus, quæ ad vitam pie degendam, & summam felicitatem consequendam faciebant, ea sectabantur, quæ sine mentis emendatione, facile præstari possunt. Hæc autem minime tulit *divinus* noster *Servator*, provocabat denuo ad Legem & Prophetas. In purgatione animi a pravis adfectionibus, in vivendi ratione ad voluntatem Numinis exacta, veram pietatem consistere ingeminabat. Non quæri inquiebat, utrum Hierosolymis, vel in monte Samariæ, Deum adorarent, sed utrum vera mentis ad Deum ubique præsentem conversione hoc facerent. Parum juvare ipsos, quod ab Abrahamo oriundi essent: illum sibi placere, qui ad exemplum Abrahami pietatem unice sectaretur. Messiam se esse, unicam spem Fidelium, Causam unicam nostræ cum Deo reconciliationis, publice docebat, licet haud ignoraret, quam hoc ab opinionibus plerorumque alienum esset.

Cum autem Religionis etiam minime puræ Antistites ubique multum valeant, & receptas semel sententias pertinaciter defendant, eorumque etiam, penes quos rerum summa est, favorem vulgo obtineant, facile fieri potest, ut metu eos offendendi absterriti viri veritatis minus amantes, receptam publicæ Religionis professionem, minime eo, quo decet, fervore, aggrediantur, sed inter familiares tantum mussitent, eamque domi albis dentibus rideant. Sed *divinus* noster *Servator* Pharisæos, genus hominum pestilens, & ad genium Seculi totum compositum, publice taxavit, & mores eorum ad vivum depinxit, eosque præcipuam Religionis tantopere deturpatæ, morumque

que depravatissimorum Causam esse, in media etiam turba, pronuntiavit; & licet facile prævideret, versutos illos Histriones, ad Sui Internecionem omnia paraturos; nunquam tamen a sanctissimo Instituto destitit: noluit *Ille*, Deum coli νομῳ πολεως, quemadmodum *Socrates:* noluit, ea quæ Dei sunt, aliis tribui; gravius vulnus & altissime inhærens non fomentis alendum sed penitus tollendum, & vel ense resecandum esse, rebatur, ne pars sincera etiam trahatur. Similiter *Apostoli* exemplum *Ejus* sequebantur. Et ut de paganis solis jam dicam, in ipsa florentissima urbe Athenienſium *unicum mundi* Rectorem deprædicabant, cultum Deorum publice reprehendentes, frustra ringentibus insanientis Sapientiæ Consultis, qui diversissimam philosophandi rationem sequentes, in superstitione tamen & ritibus receptis defendendis, in unum conspirabant. Argumentabantur illi ἀπαιδευτοι, sed summis Philosophis candidiores, de Deo, & virtutibus ejus, de natura cultus casti, & Deo placentis, licet haud ignorarent, Philosophos illos existimare, se solos sapere, & quid verum rectumque sit, nosse. Nolebant hi tempori inservire, eaque, quæ ἀκινητα esse videbantur tolerare. Imo quod magis est, cum persuasi erant, fidem in Servatorem nostrum, aliaque, cum his connexa Religionis capita, ad consequendam salutem, creditu necessaria esse, *ea publice profitebantur*, nec ullis minis, persecutionumque æstu, ab excellentissimæ religionis professione, absterreri poterant; licet haud ignorarent, homines perversos sannis ejusmodi res excepturos esse: hinc & de resurrectione corporum nostrorum, dogmate plane Paganis ignoto, non solum præsentibus Philosophis, sed & Viris summæ dignitatis loquebantur, ea gravitate & fiducia, uti facile adparuerit, nec delusæ mentis somniis, nec subtilibus Sophisticationibus deceptos esse Viros optimos & pientissimos. Athenienses & cæteri pagani μυστηρια sua, seu potius tetra & ridicula deliramenta coram plebe velabant, & nonnisi Initiatis retegebant: *Apostoli* uti prudenter & caste Ια βαθη Ια Θεα edisserebant, sic vel ideo se a divino Servatore missos dictitabant, ut quæ Seculorum vitio obscurata essent, in lucem proferrent, & quæ hactenus orbis ignoraret, cunctis mortalibus annunciarent. Hac demum certe ratione Religio aliam induit faciem, & divina adsistente gratia, superstitio, quæ orbem inundavit, migrare, excellentissimæque Deum colendi rationi, cedere debuit, quod ne subtilissimi quidem Philosophi unquam præstare potuerunt. Verum est interim, Apostolos quædam in Judæis & Gentilibus tolerasse, neque ad ritus omnes, quibus erant, imprimis

primis priores adsueti, abjiciendos eos coegisse. Prudenter ferebant, quæ tolerari sine salutis dispendio poterant. Sed primo statim edocebant cunctos, in quo veræ Religionis indoles consisteret. Et si quando de mysteriis Religionis christianæ loquebantur, eorum θεοπρεπειαν simul ostendebant. Neque *disciplinam* aliquam *Arcani* circa dogmata & ritus observandam injunxere, quæ sequentibus demum Seculis, non sine castæ Religionis damno introducta est. Non (ut hoc in transitu dicam enim) adprobare possum quorundam Virorum doctorum sententiam, existimantium, hodierno Religionis statui, enascentibus indies tot Religionis ἐμπαικλαις conducibilem quam maxime fore hujus *disciplinæ Arcani restaurationem*. Aut enim dicendum est, dari in Religione christiana μυςηρια adversa fronte cum evidentissimis rationis principiis pugnantia, aut veritates saltem captum nostrum quidem superantes, minime autem contradictorias, sed Deo dignas. Prius nemo adseret, qui Religionem christianam sine studio partium examinaverit, neque etiam adserunt hoc Viri docti. Posterius concedimus quidem, sed nihil hîc credendum imponitur, quod homines perspicaces, & imbecillitatis ingenii humani probe gnari, admittere non possint; cum in illis disciplinis, circa quas subtilissimorum Virorum cura versatur, multa passim ejusmodi observentur δυσνοητα. Quid igitur prohibet, quo minus publice & privatim, coram plebe & eruditis, illa possint proponi? neque sublimia illa ingenia, quæ cæteros homines despectare solent, hactenus immotis rationibus demonstrarunt, μυςηρια illa in sacris revelata apertam involvere contradictionem. Loquor autem de mysteriis, quæ in S. Literis traduntur, non autem de iis quæ a Pontificiis efficta sunt. Saltem notum est, per hanc disciplinam factum, ut simplicissima gratiæ divinæ signa in ludicram quandam histrioniam commutata fuerint.

VII. Sed considerem jam ipsam *Socratis* doctrinam & recte vivendi præcepta. Calumniam fuisse atrocissimam *Aristophanis* adserentis, *Socratem* omne discrimen inter justum & injustum subvertisse & omne Numen sustulisse, notum est plerisque. Præcipua ejus dogmata recensebo, & loca tantum citabo, cum hæc omnia prolixius præstiterim in *Apologia Socratis contra Aristophanem* suscepta. Numinis existentiam agnoscit & probat, argumentis, ab universi ordine, & finibus rerum Creatarum desumtis apud *Xenoph.* Mem. Lib. IV. p. 503. Fundem Summum mundi Rectorem inconspicuum nec minus tamen colendum ibid. 505. *Incorporeum*, præter *Plutarchum* de

placitis, *Lactantius* de ira Dei cap. 12. sect. 13. *bonum* Xenoph. Lib. I. p. 450. & Lib. IV. p. 505. *omniscium* idem p. 454. *Sapientissimum* Plato in Apologia p. 471. *Omnia curare posse* idem *Xenoph.* p. 454. *omnibus rebus prospicere* Lib. I. p. 452. leges *quasdam dari divinas*, *ab omnibus observandas* ibid. p. 508. *preces ad Deum fundendas*, & *in genere tantum*, *translata in Deum*, *quid nobis quam maxime prosit*, *cura*, p. 450. *Deum Colendum & adorandum* p. 453. *adspectabilem hanc rerum universitatem produxisse*, Lib. IV. p. 505. *nobilitatem mentis & corporis pulchritudinem Dei beneficentiæ* deberi, p. 433. præterea *Socrates*, quosvis homines ad virtutis amorem, constantiam, prudentiam, temperantiam, modestiam, cæterasque virtutes colendas, adhortatus est, quæ omnia cum notissima sint, hîc adferre nolo. Concedimus igitur lubentes, *Virum Summum*, præcipua capita religionis naturalis agnovisse, & hac in parte multos alios Philosophos superasse. Quod si tamen Religionis christianæ Decreta sine studio partium contemplamur, aut fallor vehementer, aut multis modis *Socratis* Philosophiam superavit; Primo enim ea ipsa, quæ ratione sola de Deo cognosci possunt, Revelatio clarius, & evidentius ad omnium persuasionem aperit. Exhibet enim *magnificas* de Deo notiones; Deum nobis sistit *æternum*, *Independentem*, *Omnium Rerum Conditorem*, *solo nutu cuncta producentem*; *Sapientissimum*, *Omniscium*, *Æquissimum*, *Misericordem*, *Omnibus*, *maximis*, *minimis prospicientem*, *cuncta Conservantem*, *Gubernantem*, *pios imprimis foventem*, *omnia ad hominis salutem præstantem*, *leges æquissimas humano generi præscribentem*, &c. Nihil tam præclare cogitari, nedum de Deo dici potest, quod Religio christiana non identidem inculcet. Nolo hæc ipsissimis verbis Scripturæ probare, cum omnibus, qui divinam illius Originem agnoscunt, notissima sint. Conferantur Libri V. & N. T. cum *Platonis* & *Xenophontis* Scriptis, & examine instituto patebit, quæ doctrina excellentiores præbeat de Deo, & rebus divinis cogitationes. Quod si tamen Philosophia *Socratis* non minus recta, quæ de Deo cognosci ex ratione possunt, nos edoceret, quam Religio christiana; *destituta tamen est præstantissimis illis ad Pietatem Incentivis*, *quæ Religio Christiana suppeditat.* Ad virtutem amandam, adduci debent efficacissima argumenta, quibus homines ad illius studium pertrahuntur. *Præmia si tollas*, *periere virtutis amores.* Necessarium hoc est, propter voluntatis depravationem, quæ tanta est, ut, nisi præsidiis quibusdam muniatur ad virtutem sectandam, facillime in præceps abripiatur. Aut nulli enim, aut paucissimi mortalium, virtute

tute sola ejusque præstantia, moventur. Imo si verum dicere velimus, nisi certa quædam, aut maxime probabilis adsit spes præmii virtutis, difficulter concipi potest, qua ratione virtutis contemplatio, tantam vim in animos hominum habeat, ut vehementissimis adfectionibus suppressis, virtuti adhæreant. Convenienter rationi vivendum est, virtuti opera danda. Ita est: Sed cur? quia rationi conveniens est. Si denuo quæram, responsio eadem repetetur. Perquam insuper difficile est ostendere, præcepta rationis vim aliquam *juris* habere *divini*; qui hac de re dubitat, legat Consultissimi & Eruditissimi *Hombergii ICti Marpurgensis*, *Dubia* circa *Jus Naturæ*. Accedit tandem, quod nemo non videt, Virtutis amantes non semper esse omnium felicissimos. Eleganter acutissimus *Lokius* loquitur in tractatu, cui titulus: *Que la Religion Chrêtienne est très-raisonable* p. m. 326. *A là vérité*, inquit, *les Philosophes relevoient la beauté de la Vertu. Ils ornoient si bien cette divine Fille du Ciel, qu'elle attiroit les yeux des hommes, & gagnoit leur approbation; mais comme ils ne lui assignoient aucune dot, il y en avoit peu qui vouluſſent l'épouser.* Eruditus Auctor, qui tractatum illum in linguam gallicam transtulit, hîc a *Lokio* dissentit. *Je ne sai*, inquit, *si M. Loke a calculé exactement: mais il me semble, que des sectes très-fameuses & qui ont subsisté long-tems dans le monde comme l'Ecole de Socrate, les Stoiciens, & les Cyniques, ont fait profession d'estimer la vertu pour elle-même & de preferer l'honnete à l'utile.* Provocat etiam ad *Horatium*, qui Od. L. III. Od. 29. ita ait.

Fortuna sævo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno, quæ dedit, & mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quæro.

Non nego Philosophos & Poetas aliquando de se ita locutos. Sed aliud est dicere, aliud facere. Qui ingenium *Horatii* novit, difficulter sibi persuadebit, virtutem solam tantam vim in ejus animum habuisse, ut difficillima quæque propter virtutem solam perpeti voluerit. *Cicero* etiam non semel cum Stoicis adseruit, *virtutem ad bene beateque vivendum se ipsa contentam esse.* Sed audi eundem Orat. pro Rabirio:

Nemo, inquit, *noſtrum in Republica periculis cum laude ac virtute verſatur, quin ſpe poſteritatis fructuque ducatur*, & Tuſc. Lib. I. *Licuit eſſe otioſo Themiſtocli, licuit Epaminondæ, ſed neſcio quomodo inhæret in mentibus quaſi ſeculorum quoddam augurium futurorum: quo quidem demto, quis tam amens eſſet, qui ſemper in laboribus & periculis viveret?* Ita vides aliter loqui Eloquentiſſimum Conſulem, cum ſibi in porticu, aliter cum in Curia eſſe videtur. Legatur hac de re ſecunda Sectio diſſert. VII. *Opuſc. Theolog. Excellentiſſimi noſtri Werenfelſii.* Quod ſi vel maxime concederemus, Virum egregiis animi dotibus inſtructum, virtutem propter ſe ipſam, non commoda, non gloriam, non voluptatem, ſectari; fatendum tamen eſt, ejusmodi virtutem fore *excellentiorem*, *conſtantiorem*, ſi haud incerta ſpe futuræ immortalitatis, corroborata eſſet. Fatetur hoc ipſum Vir doctus, qui a *Lokio* diſſentit p. 320. in adjecta nota, quod nobis hactenus ſufficit. Pone igitur, *Socratem ſola virtutis præſtantia* commotum, convenienter rationi vixiſſe, patet tamen, pauciſſimos paſſibus æquis, in hoc virtutis ſtadio ſequi potuiſſe *Virum eminentiſſimarum Virtutum.* Quantum enim, bone Deus! temporis requiritur ad perſuadendos homines, qui nec ingenio valent, nec tempus ejusmodi res examinandi *habent*, virtute nihil excellentius, nihil amore noſtro dignius eſſe. Alia autem argumenta *Socrates* ad perſuadendos Athenienſium animos adferre non potuit, *dum ipſemet de* præmiis & pœnis poſt mortem, dubitanter locutus eſt. Quod clariſſimis jam teſtimoniis probabimus. Non fidem habebo *Luciano*, qui in *Dialogo Menippi & Cerberi* Tom. I. p. 307. ed. *Græevii* perhibet, *Socratem* ſummo cum timore mortem adiiſſe; ſed diſcipulorum & fautorum verba adducam. In fine Apologiæ Plat. *Socrates* ita loquitur: ἀλλα γαρ ἠδη ὡρα ἀπιεναι. ἐμοι μεν ἀποθανεμενω, ὑμιν δε βιωσομενοις. ὁποτεροι δε ἡμων ἐρχονται ἐπι ἀμεινον πραγμα, ἀδηλον παντι, ἠ τω Θεῳ. *Sed jam hora eſt hinc abire, me quidem ut moriar, vos autem ut vitam agatis. Utri vero noſtrum in melius eant, omnibus, præterquam Deo, eſt incertum.* Paulo ſupra in eadem Apologia ait: δυοιν γαρ, θατερον ἐςι το τεθναναι, ἠ γαρ οἱον μηδεν ἐιναι, μηδ' αἰθησιν μηδε μιαν μηδενος ἐχειν τον τεθνεωτα, ἠ κατα τα λεγομενα μεταβολη τις τυγχανει ὐσα, καὶ μετοικησις, της ψυχης τε τοπε τα ἐνθευθὲ εἰς ἀλλον τοπον, καὶ ἐιτε δη μηδεμια αἰθησις ἐςιν, ἀλλ' οἱον ὑπνος, ἐπειδαν τις καθευδων μηδ' ὀναρ μηδεν ὁρᾳ, θαυμασιον κερδος ἀν ἐιη ὁ Θανατος & paucis interjectis. ἐι δ' αὐ οἱον ἀποδημησαι ἐςιν ὁ Θανατος ἐνθενδε, εἰς ἀλλον τοπον, καὶ ἀληθη ἐςι τα λεγομενα, ὡς ἀρα ἐκει ἐισι παντες οἱ τεθνεωτες, τι μειζον

μειζον ἀγαθον τȣτȣ ἐιη ὠ Ἀνδρες Δικασαι. i. e. *duorum enim alterum mors est. Nam aut tanquam nihil omnino sit, sensum nullum ullius rei retinet is, qui decessit e vita: aut quemadmodum dicitur permutatio quædam, aut transmigratio animæ ab hoc in alium locum. Sive ergo nullus remanet sensus, sed tanquam somnus quidam est, in quo quis somnium cernit nullum, admirabile lucrum erit in morte. Sin autem mors est tanquam transmigratio quædam hinc in alium locum, ac vera sunt quæ dicuntur, videlicet in alio seorsum a nobis loco omnes defunctos esse, quidnam melius quam hoc esse potest o Judices!* In Phædone pag. 46. postquam multum de statu post mortem locutus esset, ita pergit. Το μεν ȣ̓ν ταυτα διισχυρισασθαι ȣ̓τως ἐχειν ὡς ἐγω διεληλυθα, ȣ̓ πρεπει νȣν ἐχοντι ἀνδρι. ὁτι μεντοι, ἡ ταυτ' ἐςιν, ἡ ταυτ' ἁττα περι τας ψυχας ἡμων καὶ τας οἰκησεις, ἐπειπερ ἀθανατον γε ἡ ψυχη φαινεται ȣ̓σα, τȣτο καὶ πρεπειν' ἐμοι δοκει καὶ ἀξιον κινδυνευσαι οἰομενω ȣ̓υτως ἐχειν! *Hæc igitur eo modo se habere, ut ego narravi, non decet Virum judicio præditum affirmare. Attámen vel hæc vel talia quædam esse circa animos nostros eorumque habitationes, quandoquidem animum immortalem esse liquet: hoc adserere & decere mihi videtur & dignum esse sic rem habere putantem periclitari.* In eodem Phædone ait. Νυν δε ἐυ ἐςε ὁτι παρ' ἀνδρας τε ἐλπιζω ἀφιξεσαι ἀγαθȣς, καὶ τȣτο μεν ȣ̓κ ἀν πανυ διισχυρισαιμεν. *Plutarchus*, qui *Socratem* maximi fecit, in *Consol.* ad *Apollon.* similiter inducit eum loquentem: nimirum mortem, non esse timendam, quod aut similis somno, aut peregrinationi futura sit, aut tandem morte obita cuncta destruantur. Quodnam autem Veri nominis solatium Vir probus & virtutis amans, in ejusmodi persuasione invenire poterit? scilicet post acerrimum veritatis studium, culturam rationis, virtutis studium, post tot pravas animi concupiscentias edomitas, post tolerata tot mala, ad plures abeundum est, & exacto vitæ tempore hoc unicum tandem solatium relictum, quod ad rationis normam vitam suam composuerit. Rectissime Eruditissimus *Clark. demonst. de l'Existence de Dieu.* Tom. 2. p. m. 179. ait: *Supposé qu'un homme souffre la mort, pour l'amour de la vertu, s'il n'a d'autre bonheur à attendre, que celui que lui procure le contentement interieur, qui naît du sentiment, qu'il a fait courageusement son devoir, & qu'il s'est inviolablement attaché aux regles de la justice; & s'il n'y a point d'heureux avenir, où il recueille le fruit de sa perseverance dans le bien, peut-on dire, qu'il soit plus heureux en effet, que celui qui meur martyr d'une fausse opinion, qu'il a entrepris de soutenir par caprice & par entêtement? Il faudra dire au contraire, supposé que la vertu n'ait aucune recompense à atten-*

attendre dans l'avenir, que Dieu lui a donné des charmes si grands, & qu'elle se captive si necessairement l'esprit & le cœur de l'homme, que l'homme ne peut s'empêcher de se declarer pour elle, & qu'avec tout cela, il l'a laissée destituée de motifs suffisans, pour porter les hommes à soutenir rigoureusement son parti. Erunt forsan qui dicent, immortalitatem mentis humanæ, & certam persuasionem de præmiis & pœnis post hanc vitam, ope rationis solius minime innotescere; quod si hoc vel maxime concedam, sequetur inde, summam esse Religionis christianæ præstantiam, quæ firmissime hanc veritatem stabilivit. Non solum enim Christus exemplo suo futuræ vitæ & immortalitatis certissimum adduxit argumentum; sed & promisit omnibus suis cultoribus beatæ immortalitatis possessionem. Apostoli hac fide armati, aliter plane loquuntur quam *Socrates* proximus morti. Vide Rom. 8. v. 15. 16. 2. Timoth. 4. v. 8. Confer igitur dubiam spem *Socratis*, cum immota fiducia Apostolorum, & quantum præstet Religio christiana Philosophia *Socratis*, clarissime patebit. Quod si autem *Socrates* Vir perspicacissimus & præstantissimus, ita dubie de futura vita locutus est, quam spem habuerit plebs, quæ utilitate potius, quam rectæ ratiocinationis legibus ad quælibet agenda impellitur, facile dijudicari potest. Saltem nullibi legimus, *Socratem* argumentum petiisse a *certitudine vitæ futuræ*, ad incitandos homines, ut virtutem sectentur: hinc quam languidum virtutis studium fuerit, omnes, vel me tacente, intelligent. (*).

VIII. Addam hic aliud ad Pietatis Studium *Incentivum*, quod ex *ipsa Religionis christianæ natura* emergit, ejusque *præstantiam* abunde demonstrat. Quum animus hominis difficulter Religionis præceptis pareat, omnia argumenta adferenda sunt, quibus ad virtutem amandam inducatur. *Socrates* præter ea, quæ recta docet ratio, in medium proferre nihil potuit, neque etiam, uti audivimus, probis *certam beatæ immortalitatis spem* promittere potuit. *Religio Christiana* non solum argumenta petit a *perfectionibus* Dei, *creatione* & *Conservatione* rerum omnium innumerisque beneficiis, quibus genus humanum adficitur, sed imprimis a *Magnifico Opere Redemptionis*, Lucæ 1:74. 1. Cor. 6:20. & aliis locis quamplurimis. Eum in finem in memoriam nobis revocat, *miserabilem generis humani statum*, *atrocitatem* & *pœnam peccati*, *incredibilem amorem Dei erga nos*, *Christi Servatoris nostri Sapientiam*, *Inno-*

(*) Confer quæ de hoc argumento meditatus est Cl. *Moshemius Ethicæ Christ. cap. I. pag. 109.*

Innocentiam, cruentam mortem pro homine obitam, vim & incredibile pondus hujus mortis, promissa ejus omne nostrum meritum, omnem ingenii vim superantia, Bona denique in nos redundatura, egregia, perennatura, & æternam felicitatem adlatura. Hæc *Incentiva* non simpliciter proponuntur, sed repetuntur, inculcantur, ea ratione, quæ aptissima est ad hominum animos commovendos. Latius hæc diducere & demonstrare nolo; more suo, id est solide, hoc probat Eximius *Werenfelsius, æternum Helvetiæ nostræ Decus, dissert. Theolog.* VII. Hoc tantum observandum, hæc *Incentiva* omnium captui esse accommodata, in oculos quasi incurrentia, ad animos hominum etiam perversissimorum emolliendos efficacissima, exemplisque eorum, qui illam Religionem profitebantur, vimque ejus senserunt, roborata & confirmata. *Scio quid dicturi hic sint increduli: respondebunt, hæc* Incentiva, *quorum mentionem fecerim, petita esse a Mysterio S. S. Trinitatis & Redemtionis; hæc autem superare captum humanum; e re autem, cujus notiones plane sint obscuræ, argumenta ad pietatem recte peti non posse. Socratem argumentatum esse ab iis, quæ ratio capere potest; ad impossibile autem neminem obligari.* Ad hæc sequentia noto: Ium. est: fateri nos, hæc Mysteria a nobis capi non posse, sufficit quod absurda & contradictoria non sint. Credimus Unum Deum, hoc ratio & Revelatio docet. Credimus porro in Unico hoc & perfectissimo Ente aliquid esse, quod Patrem, aliquid, quod Filium, & tandem aliquid, quod Sp. S. vocamus: modum hujus rei prorsus ignoramus. Credimus porro, Deum singulari quadam, nec satis nobis hominibus cognita ratione, manifestatum in carne, ut cum S. Scriptura loquar. 2. *Incentiva* illa, minime petuntur ex eo, quod circa naturam ineffabilem Dei & mysteriorum, ignoramus, sed ex eo, quod homines intelligere possunt. *Deus Triunus* quatenus ceu bonus, misericors, Sapiens, Justus, consideratur, est objectum adorationis, cultus, non quatenus est Ens aliquod Innenarrabile, & cujus intimam naturam cognoscere non possumus. Priore enim demum ratione Deus est σεβασμιος. Ita S. Scriptura refert, Christum nos sanguine suo redemisse, pro nobis satisfeciisse, vitam & immortalitatem adquisivisse, minime autem ex ineffabili conjunctione, quæ interceßit inter Deum & humanam naturam argumentatur. Deum Patrem velle pios per Christum æternum felices reddere, Sp. Sanctum animos hominum mutare, in adversitatibus auxilium ferre, &c. Par igitur esse, ut ad Christum confugiamus, gratiam Sp. Sancti imploremus, non autem argumentatur a modo Mysterii SS. Trinita-

nitatis. 3. Si nulla *Incentiva* ad virtutem sequendam valerent, nisi quæ petuntur a rebus, quarum naturam & modum exacte perspiceremus, sequeretur nec ipsa *Incentiva*, quæ ratio circa cultum Dei suppeditat, quicquam valere. Laudandus est Deus, inquit ratio. Cur? quia omnium rerum Creator & Conservator est. Sed num scimus, qua ratione Deus solo voluntatis Imperio, adspectabilem rerum Universitatem producere potuerit? gratiæ sunt agendæ Deo, quod innumeris quotidie nos beneficiis cumulet: num perspecta est autem ratio Conservationis & Operationis in Corpora & mentem? Ipsi illi, qui rationem solam audiendam esse putant, ex sola ratione probari posse existimant nos teneri convenienter rationi vivere, licet argumentatio illa, minime nitatur ἀκριβείᾳ Mathematica, quam tamen frequenter in ore habent. Licet igitur Mysteriorum illorum rationem & naturam, minime recte perspiciamus, sufficit tamen, quod illa *quatenus* capi possunt, in se comprehendant *efficacissima ad pietatem Incentiva.*

IX. Probavimus Præstantiam Religionis christianæ, collatæ cum Philosophia *Socratis*, ex *Incentivis ad pietatem*, quæ Religio christiana in medium profert, & quibus Philosophia *Socratis* destituta est. Patebit autem illa *Præstantia* porro, si ostendemus, Ch ist. Relig. *certissimam viam ostendere ad Deum propitium reddendum, minime autem Philosophiam Socratis.* Probo autem id inde, *quod Socrates ostendere non potuerit, velle Deum cum homine peccatore in gratiam redire.* Potuit quidem *Socrates* Deum concipere, uti Ens aliquod optimum, misericors, placabile, non iræ, non vindictæ cupidum, aut morosum: posse adeoque Deum, si velit, in gratiam redire cum errante. Sed certo eum hoc velle, unde novit? Credidit, vivendum esse convenienter rationi, oportere nos cuncta animi desideria ad nutum Numinis componere, oportere nos modestos, temperantes, placabiles, pacis studiosos esse; resistere pravis animi adfectionibus & studiis, ex animo evellere omnia desideria voluntati Numinis, quantum illa cognosci potest, contraria. Quod si in se descendit, fateri debuit, se multoties cogitationibus & actionibus suis, a vero rectoque desciviſſe. Vehementiores enim sunt animi adfectiones, quam ut vel evidentissimis ratiocinationibus infringi possint; nescivit igitur, utrum Deus velit omnes illas aberrationes sibi ignoscere. Dices, Socratem potuisse credere, *benignissimum Numen*, errores, quos parum cavet natura humana, remissurum: Sufficere, si quis pro viribus rationis decreta servet. Sed quis *determinare tuto* possit, *ad quem gradum* usque, probabilitas,

bilitas, ut sic dicam, futuræ remissionis extendenda sit? Quis *definire, quot peccata* Deus condonaturus sit, nec ne? Hoc certe illorum est explicare, qui *artem litigandi cum Deo callent.* Certam igitur, & immotis argumentis superstructam fiduciam, homo, qui rationem solam audit, habere non poterit, Deum secum in gratiam rediturum. Imprimis autem necesse hoc *ei* accedere, qui dubitanter loquitur, de præmio post mortem, quique, si conscientiam in consilium adhibuit, fateri debuit, se *pro Viribus*, cultum Numinis purum *restituere* minime laborasse. Supponamus autem, *Socratem*, multis exercitationibus ad virtutis amorem conformatum, *certis argumentis* persuasum fuisse, Deum velle secum in gratiam redire, errores commissos sibi ignoscere, & beatæ Immortalitatis se participem reddere. Hoc certe aliis, qui cum eo nulla ratione comparari poterant parum profuisset. Totius fere Antiquitatis consensu constat, *Socratem* extraordinariis animi dotibus instructum fuisse, Quod si igitur Is vel maxime eo perfectionis progressus fuisset, ut futuræ felicitatis spem habere potuisset, alii tamen ex hoc *Socratis* statu nullum Solatium percipere potuissent, præsertim cum *Ille* adsereret, virtutem proprie loquendo, doceri non posse, sed θειᾳ quadam μοιρᾳ, viris tantum magnis virtutis semina indi. Regerent quidam, cæteros eandem fiduciam habere potuisse, si eodem studio virtuti operam dedissent. Sed quis in ea temporum caligine sperare potuit, multos eo virtutis progressuros? quis omnes præconceptas opiniones de modo Deum colendi, & genuinæ pietatis studio ex animis illorum hominum evellere, voluntatis depravatæ vim frangere, excellentiam virtutis, cujus levissima quædam & evanida tantum Exempla prostabant, animis eorum instillare potuisset? Sed quid opus est verbis. Ipse *Socrates* dubiis rebus implicitus, haud obscure non semel significavit, optandum esse, ut Deus, evidentiore quadam ratione mortales edoceret, quid *sibi* quam maxime placeret. *In Alcibiade* secundo circa finem postquam docuit, Justitiam, ac Sapientiam penes homines sapientes esse, sapientes vero ac justos illos esse, qui intelligant, quid apud Deos hominesque faciendum & dicendum sit, ita pergit p. 232. Βελοιμην δ' ἀν και σε πυθεσθαι, ὁ τι ποτε ἐν νω ἐχεις, προς ταυτα. Αλ. Ἀλλ' ἐμοι μεν, ὠ Σωκρατες, ἐκ ἀλλη πη δοκει, ἠ ειπερ σοι τε και τῳ θεῳ. ἐδε γαρ ἀν εικος ειη, ἀντιψηφον ἐμε τῳ Θεῳ γιγνεσθαι. Σω. ἐκ ἀν μεμνησαι ἐν πολλῃ ἀπορια φασκων ειναι, ὁπως μη λαθης σεαυτον ἐυχομενος κακα, δοκων δε ἀγα-

θα. Αλ. Ἐγωγε. Σω. ὁρας ἀν, ὡς ἀκ ἀσφαλες σοι ἐστιν ἐλθειν προσ τον θεον ἐυξομενω. ἱνα μη δ' ἀν ἀτω τυχῃ, βλασφημηντος σε ἀκεων ἀδεν ἀποδεξηται της θυσιας ταυτης. τυχον δε και ἑτερον τι προσαπολαυσης. ἐμοι μεν ἀν δοκει κρατιστον εἰναι, ἡσυχιαν ἐχειν. τῃ μεν γαρ Λακεδαιμονιων ἐυχῃ, δια την μεγαλοψυχιαν, τατο γαρ καλλιστον των ἐν ἀφροσυνῃ γε ὀνοματων, ἀκ ἀν οἰμαι σε ἐθελειν χρηδαι. ἀναγκαιον ἀν ἐστι περιμενειν, ἑως ἀν τις μαθῃ, ὡς δει προσ Θεες και προσ ἀνθρωπες διακειδαι. Αλ. ποτε ἀν παρεσαι ὁ χρονος ἀτος, ὠ Σωκρατες, και τις ὁ παιδευσων, ἡδιστα γαρ ἀν μοι δοκω ἰδειν τατον τον ἀνθρωπον, τις ἐστιν. Σω. ἀτος ἐστιν ὠ μελει περι σε. ἀλλα δοκει μοι, ὡσπερ τῳ Διομηδει φησι την Ἀθηναν Ὁμηρος ἀπο των ὀφθαλμων ἀφελειν την ἀχλην, ἡ νην παρασα τυγχανει, τοτηνικαυτ' ἠδη προσφερειν, δι' ὡν μελλεις γνωσεδαι ἡ μεν κακον, ἠδε και ἐδλον. νυν μεν γαρ ἀκ ἀν μοι δοκης δυνηθηναι. Αλ. ἀψαμενω, εἰτε βελεται, την ἀχλην, εἰτε ἀλλο τι. ὡς ἐγω παρεσκευασμαι, μηδεν ἀν φευγειν των ὑπ' ἐκεινε προσταττομενων, ὁς τις ποτ' ἐστιν ἀνθρωπος, εἰγε μελλοιμι βελτιων γενεδαι. Σω. ἀλλα μην κακεινος θαυμασην ὁσην περι σε προθυμειαν ἐχει. Αλ. εἰς τοτε τοινυν και την θυσιαν ἀναβαλλεδαι, κρατιστον εἰναι, μοι δοκει. Σω. και ὀρθως γε σοι δοκει. ἀσφαλεστερον γαρ ἐστιν, ἡ παρακινδυνευειν τοσατον κινδυνον. Αλ. ἀλλα πως ὠ Σωκρατες; και μην τατον τον σεφανον, ἐπειδη μοι δοκεις καλως συμβεβελευκεναι, σοι περιθησω. τοις Θεοις δε και σεφανες και τ' ἀλλα παντα τα νομιζομενα τοτε δωσομεν, ὁταν ἐκεινην την ἡμεραν ἐλθσαν ἰδω. ἠξει δ' ἀ δια μακρε των θελοντων. i. e. ex verſione M. Ficini. *Cupio tamen ex Te audire, quid in iis ipſe ſentias* Al. *mihi vero o Socrates haud ſecus, quam Tibi ac Deo videtur: neque enim fas eſſet, a Deo me diſſentire* So. *Recordaris, dixiſſe te in plurima dubitatione diſcrimineque verſari, ne te ipſum falleres, cum mala quandoque pro bonis optares?* Al. *memini.* So. *an videres non ſatis tutum tibi eſſe ad orandum pergere, ne quando te Deus audiens imprecantem tua Sacrificia reſpuat, aliud vero quiddam fortuitum reportes? Mihi ergo videtur operæ pretium eſſe quietem agere: nam Oratione Lacedæmoniorum propter magnanimitatem, id enim nomen honeſtiſſimum eſt omnium, quibus Inſipientia ſignificatur, non exiſtimo uti te velle.*

Quare

Quare necesse est exspectare, donec discatur, quemadmodum ad Deum atque ad Homines habere se deceat. Al. *Quando erit, o Socrates, & quis Præceptor? Jocundissime enim hunc hominem, quisquis erit, agnoscam.* So. *Hic est, cui tu curæ es. Verum mihi videtur, quemadmodum Diomedi Minervam inquit Homerus ab oculis nebulam abstuliſſe, ut discerneret Deum ab homine, sic & ab animo tuo prius oportere caliginem, qua nunc offunditur, auferre: deinde illa propius admovere, per quæ seu bonum quid sit sive malum dignoscas, nunc enim impos esse videris.* Al. *auferat seu nebulam ille velit, sive quodcunque aliud. Etenim paratus sum nihil penitus prætermittere, quod ille præceperit, quisquis denique sit, modo ipse sim melior evasurus.* So. *atque ille mirum in modum tibi providet.* Al. *In illud itaque tempus hoc Sacrificium differre optimum fore censeo.* So. *& recte quidem; tutius enim est, quam tanto periculo se subjicere.* Al. *Sic est o Socrates. Interea tamen quoniam mihi bene consuluisse videtur, hanc tibi coronam imponam. Diis autem & coronas & reliqua omnia quæcunque decet, tunc demum offeremus, cum diem illum adventasse cognovero. Adventabit autem quamprimum Diis volentibus.* Quod si quis contendat minime hac ratione probari, *Socratem* revelationis necessitatem agnoviſſe, cum eo *de Verbis* litigare nollem. Cum enim, uti ex hoc loco constat, ut alia taceam, *Socrates* crediderit, homines felicissimos fore, si Deus, qua ratione coli vellet, ipsemet homines edoceret, satis patet, visam esse Viro Præstantissimo Revelationem quandam extraordinariam Opus Deo dignissimum. (*) Cum igitur *Religio christiana* modum *placandi Deum* aperte tradat, quis non majorem fiduciam Deum sibi propitium reddendi, habere poterit? præprimis cum non longa ratiocinatione via ad hoc præstandum quærenda sit. *Jesus enim Christus* Ipse fidem interponit suam, neminem condemnationem subiturum, qui *ad se* tanquam Sacram Anchoram confugerit, se omnibus quotquot errores suos confessuri, & deploraturi essent, veniam daturum, si modo iis in posterum nuntium miserint. Quod si Vir probus prætendat imbecillitatem suam, contestatur, se propter infinitam ὑπεροχὴν meriti, quod præstiterit, piis omnia etiam gravissima peccata, condonaturum, neminique, qui studio pietatis operam dederit, ea imputaturum: Quis autem non videt hac in parte Religionis christianæ præstantiam? recte *Lactantius*, Institut. Lib. I. cap. I. *Quia fieri non potuit, ut Homini per se ipsam ratio divina notesceret;*

(*) Mentem meam de hoc argumento melius aperui in Dissertat. de causis Incredulitatis.

ret; non est passus hominem Deus lumen Sapientiæ requirentem diutius oberrare, ac sine ullo laboris effectu vagari per tenebras inextricabiles, aperuit oculos ejus aliquando & notionem veritatis munus suum fecit: ut & humanam Sapientiam nullam esse monstraret, & erranti ac vago viam consequendæ immortalitatis ostenderet. Neque certitudinem hujus Reconciliationis hominis cum Deo tantummodo clare ostendit, sed & omnia in medium profert, quæ ad θεοπρεπειαν tanti beneficii insinuandam & extollendam, facere possunt. Eum in finem ostendit Revelatio, *miserrimam hominum Conditionem sine Christo, impotentiam virium* mentis humanæ, etiam respectu Virorum alias Sapientissimorum: provocat ad *necessitatem & utilitatem* ejusmodi reconciliationis, *infinitaque Bona* cum illa conjuncta graphice depingit. Quid autem homini peccatorum suorum atrocitatem deploranti, & conscientiæ furda verbera sentienti, gratius esse potest, quam perspicere, ad quem tuto confugere possit, rebus in arctis levamen adhibiturum? num Sacrificia, num lotiones, num alia, quæ Athenienses ex legibus cultus, quem observabant, *talem fiduciam, tantum gaudium* adferre poterant? aliter sane loquitur *Socrates* ad eos, qui soliciti erant, utrum veniam a Deo, siquidem pro viribus eum coluissent, impetraturi essent. *Xenoph. memorab.* Lib. IV. p. m. 505. cum *Euthydemus* dixisset, se non parum negligere Deos, dolere vero, quod nullus hominum beneficiis Deorum condignas retribuere gratias possit, respondet *Socrates.* Ἀλλα μη ἀθυμει ἐφη, ὠ Ἐυθυδημε. ὁρας γαρ ὁτι ἐν Δελφοις Θεος, ὁταν τις αὐτον ἐπερωτα, πως ἀν τοις Θεοις χαριζοιτο, ἀποκρινεται νομῳ πολεως. νομος δε δηπε πανταχε ἐςιν κατα δυναμιν Ἱεροις, Θεως ἀρεσκεσθαι. πως ἐν ἀν τις καλλιον καὶ ἐυσεβεςερον τιμων Θεως, ἡ ὡς αὐτοι κελευσιν ἑτω ποιων; ἀλλα χρη της μεν δυναμεως μηδεν ὑφιεσθαι; ὁταν γαρ τις τατο ποιη, Φανερος δη πε ἐςι τοτε ἐ τιμων Θεως. χρη ἐν μηδεν ἐλλειποντα κατα δυναμιν τιμαν τως Θεως, θαῤῥειν τε καὶ ἐλπιζειν τα μεγιςα ἀγαθα. ἐ γαρ παρ ἀλλων γ' ἀν τις μειζω ἐλπιζων σωφρονιη, ἡ παρα των μεγιςα ὠφελειν δυναμενων. ἐδ' ἀν ἀλλως μαλλον, ἡ εἰ τατοις ἀρεσκοι, ἀρεσκοι δε πως ἀν μαλλον, ἡ ἰσως μαλιςα πειθοιτο αὐτοις. i. e. *Non est propterea dolendum, ait, o Euthydeme. Vides namque Delphicum Deum interrogantibus, quonam modo quisquam Diis gratum faciat, respondentem, lege Civitatis. Lex vero ubique talis est profecto, ut juxta facultates quisque Deos sacrificiis placet. Quo itaque pacto aut melius, aut magis pie Deos quisque honorare possit, quam eo modo, quo ipsi præcipiunt? Oportet igitur non prætermisso quoquam possibili (quicunque enim hoc facit, is negligit Deos) hoc modo Deos honorare, spe-*

rare-

vareque maxima bona ab eis. Quis namque compos mentis a quoquam alio majora speraret, quam a Diis, qui maxime nobis prodesse possunt. Hæc vero sperare ab eis oportet illum, qui eis placet: Ille vero eis placebit, qui quammaxime illis obediat.

X. Sed nec modum tantum Deum propitium reddendi ostendit *Revelatio*, sed & *Vires sufficientes ad virtutem sectandam promittit & exhibet.* Potuit *Socrates* excellentiam virtutis demonstrare, homines variis argumentis ad eam amandam hortari, exemplum quin etiam suo, ostendere, quam vim illa habeat in animis hominum. Hæc quidem præclara sunt; sed ultra progredi non potuit Vir Summus. At plerique mortalium non ratione, sed pravis studiis & adfectionibus ducuntur, adeo ut præstantissima præcepta plerumque violentis, & præcipitibus animi desideriis, cedere debeant. Experiuntur illi hoc sæpissime, qui majori luce perfusi sunt, quam *Socrates*. Adde jam debilem cognitionem Dei, Poëtarum & Sacrificulorum commentis obfuscatam, præconceptas Athenienſium opiniones de cultu publico minime mutando, nec in casto Dei amore, sed ritibus externis quærendo, quem *Socrates* & *Plato* & præceptis, & Exemplo, confirmarunt. Hinc Viri Docti inter Gentiles miserandam illam mentium humanarum faciem aliquando confessi sunt, & deplorarunt, licet qua ratione medelam adferre possent, ipsimet ignorarent. Graphice hunc statum depingit *Cicero* Tusc. quæst. Lib. III. Sect. 2. *Natura parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravati sic restinguimus, ut nusquam naturæ lumen adpareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum: quæ, si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simulac editi in lucem & suscepti sumus in omni continuo pravitate, & in summa opinionum perversitate versamur; ut pæne cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero Parentibus redditi, demum Magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. Accedunt etiam Poëtæ: qui cum magnam speciem doctrinæ sapientiæque præ se tulerunt, audiuntur, leguntur, & inhæresunt penitus in mentibus. Cum vero accedit eodem quasi maximus quidam Magister populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque desciscimus.* Alia loca, quæ ubique prostant omitto. Qualis autem fuit *Ciceronis* ævo, naturæ humanæ indoles, talis etiam fuit tempore *Socratis*. Auxilium ergo divinum, ad sublevandam naturæ impotentiam, & duritiem cordis frangendam, promittere non potuit Vir Optimus. *Revelatione* opus est ad probandum, Deum

auxilio quodam cœlitus conceſſo, probitatis amantes adjuturum. Scio illos, qui ſola ratione duce felicitatem ſe conſecuturos ſperant, auxilium ejusmodi divinum rejicere, atque adſerere, ejusmodi adflatum cœleſtem in animos hominum ne quidem concipi poſſe. Sed oportet ejusmodi homines probare, abſolute impoſſibilem eſſe talem adflatum, quem gratiam Dei Theologi vocare ſolent, quod credo nunquam præſtabunt. Cur ipſimet concedunt, Deum Univerſum non ſolum creaſſe, ſed & adhuc dum conſervare, num melius perſpiciunt operationem Dei in plantam & animalia, quam in creaturam ratione præditam? num quod modum hujus operationis ignoramus, negandum eſt, prorſus Deum hoc facere poſſe? quot manifeſtiſſima eſſent neganda, ſi hæc ratiocinandi methodus valeret. Sane ipſe *Socrates* hac in parte eos refutare poterit. Apud *Xenoph. mem.* Lib. IV. p. 505. probat, Deum omnia, maxima, minima, curare, licet operatio ipſius inviſibilis ſit, ἀλλα μην. ita pergit, καὶ ἀνθρωπε γε ψυχη, εἰπερ τι καὶ ἀλλο των ἀνθρωπινων τε Θειε μετεχει. ὁτι μεν βασιλευει ἐν ἡμιν, φανερον, ὁραται δε ἐδ' αὐτη. ἁ χρη καταυοουντα μη καταφρονειν των ἀοραtων, ἀλλ' ἐκ των γινωμενων την δυναμιν αὐτων καταμανθανοντας, τιμαν το δαιμονιον. i. e. *Atqui hominis etiam anima, ſi quid aliud humanum natura divina participat. Nam illam in nobis, dominari manifeſtum eſt, videtur autem minime. Quæ cum quis conſideret, non negligat inviſibilia oportet, ſed ex illis quæ fiunt, potentia eorum cognita, honore Deos proſequamur.* Lib. I. p. 453. quærit *Socrates* ex *Ariſtodemo*, utrum putet elegantiſſimum ordinem univerſi a Cauſa minime intelligente ortum. Reſpondet *Ariſtodemus*: Μα δι ἐ γαρ ὁρω τες κυριες, ὡσπερ των ἐνθαδε γινομενων τες δημιεργες. ἐδε γαρ την ἑαυτε ψυχην ὁρας, ἡ τε σωματος κυρια ἐσιν. ὡσε κατα γε τετο ἐξεσι σοι λεγειν, ὁτι ἐδε γνωμη, ἀλλα τυχη παντα πραττεις. *Ita puto mehercule. Non enim video, qui ea ordinent, ſicut video, qui iſta fabricantur, quæ in hoc mundo fiunt. Nec tuum animum tu vides, qui in corpore dominatur, ita ut ſecundum hoc tibi liceat dicere, non ratione ſed caſu omnia te facere.* In *Theæteto.* p. 120. ait *Socrates*: εἰσι δε ὁι ἀμυνθοι, ὁι ἐδεν ἀλλο ὁιομενοι εἰναι, ἡ ἐ ἀν δυνωνται ἀπριξ ταις χαιρσιν λαβεσθαι. Παν το ἀοραtον ἐκ ἀποδεχομενοι ὡς ἐν ὑσιας μερει. *Profani ſunt, qui nihil aliud eſſe putant, quam quod pugno tenere poſſunt -- Quicquid vero inviſibile eſt, in eorum quæ ſunt, numero nequaquam habent.* Ita loquitur *Socrates* Vir artis ratiocinandi peritiſſimus. Cum igitur Revelatio divinum ejusmodi auxilium ad virtutem ſectandam & felicitatem conſequendam, non ſolum promittat, ſed ipſo opere exhibeat, nemo non videt, eam multis modis præſtare Philoſophia *Socratis*, quæ talia

talia promittere nunquam potuit. *Christum* autem *Ipsum* hominibus probis ejusmodi auxilium promittere, imo ipso opere concedere, nemo qui Revelationem legit, cuicunque tandem Sectæ dissentientium inter se Christianorum addictus sit, negare poterit. *Promittit Sanctissimus noster Servator idemque Benignissimus, se veritatis studiosis majorem lucem concessurum, conatus hominum proborum fluxos atque mutabiles confirmaturum, omnem veritatem scitu necessariam edoctum, benigne protecturum, debiles sed simplices atque candidos roboraturum, preces afflictorum exauditurum, spem & fiduciam eorum minime frustraturum, afflictis solatium adhibiturum, imo effecturum, ut tandem Omnia piis cedant in Salutem.* Quæ omnia etiam ipso opere præstitit, adeo ut summa rerum κατασροφη exorta fuerit, de quo infra. Quod si ergo omnia, quæ de doctrina Christi diximus, in summam colligamus, patebit Religionem christianam Philosophia *Socratis* quam maxime præstare. (*)

XI. Comparemus jam *Socratem ipsum* cum *divino nostro Salvatore ejusque discipulis*, & in hac etiam comparationis parte elucebit, singularis *Religionis christianæ* præstantia. Fatemur ante omnia, *Socratem* fuisse Virum eminentissimarum virtutum. Fatemur, Eum omnium fere Eruditorum consensu, totiusque judicio Græciæ (uti verba *Ciceronis* mea faciam) cum prudentia, acumine, venustate, & subtilitate; tum vero eloquentia, varietate, copia, quam se cunque in partem dedisset, omnium fuisse facile principem. Nihil igitur laudibus ejus detrahemus. Imo non sine Numine factum esse credimus, quod *Socrates*, corruptissimis Athenienſium moribus, missis abstrusioribus contemplationibus, virtutis ante omnia studium commendaverit. Concedamus etiam verum esse, quod ipse de se scripsit in *Apolog.* apud *Platonem* pag. 12. ἀδεν γαρ ἀλλο πραττον ἐγω περιερχομαι, ἡ πειθων ὑμων καὶ νεωτερος καὶ πρεσβυτερος, μητε σωματων ἐπιμελεισθαι, μητε χρηματων προτερον, μητε ἀλλε τινος ἀτω σφοδρα, ὡς της ψυχης, ὁπως ὡς ἀριστη ἐσται. λεγων ὁτι ἐκ ἐκ χρηματων ἡ ἀρετη γινεται, ἀλλ' ἐξ ἀρετης χρηματα, καὶ τ' ἀλλα ἀγαθα τοις ἀνθρωποις ἀπαντα, καὶ ἰδια καὶ δημοσια. Interim negare non possum, quosdam mihi videri ultra modum in laudes *Socratis* excurrisse. M. *Ficinus* eum Christi præcursorem (**) esse dixit: notum est illud *Erasmi* in Convivio Sobrio dictum: Vix mihi tempero quin dicam:

(*) Præstantiam cultus divini a Christo præscripti circa preces in medium allata formula orationis dominicæ & cum Socratis de hoc argumento datis præceptis, collata, ostendit *Nobilissimus Steele* Tom. II. libelli cui titulus: *Le Spectateur* Disc. 70.

(**) Et typum. vid. Amœn. liter. Tom. I. pag. 84. sqq.

dicam: *O Sancte Socrates ora pro nobis.* T. *Faber* in Vita Aristippi, quam e græco Laërtii in gallicum idioma transtulit, & notulis quibusdam illustravit, postquam dixisset, *Socratem* pro institutione pecuniam non accepisse, hæc addit. *C'est justement ce que Jesus Christ disoit à ses chers Amis*, δωρεαν ἐλαβετε, δωρεαν δοτε. *Aussi n'y a-t-il jamais eu d'homme, je dis homme simplement homme, qui ait si bien ressemblé à J. Christ, que Socrate.* Aliorum immodicas laudes referre nolo. Imprimis autem provocant Viri Docti ad *Oraculum Delphicum*, cujus effato *Socrates* omnium hominum Sapientissimus vocatur; provocant ad *Genium* illius divinitus concessum, perpetuumque vitæ Comitem, ex quo adpareat, eum ultra sortem humanam evectum fuisse; addunt denique, *Socratem pro gloria Unius Dei* mortem obiisse constantissimo animo & serena fronte. Hæc autem prius paulo exactius sunt indaganda, antequam comparationem illam rite instituere liceat. Et primo quidem, quod *Oraculi* effatum attinet, dubium quammaxime, utrum Pythia hæc pronuntiaverit. De fide Oraculorum melius jam edocti sumus, quam ut divino Dei consilio quicquam adscribere possimus. Sacerdotum fraudulentorum Ora hæc Oracula erant, ultra nihil quærendum. Ipse *Socrates* in Apologia adserit, *Chærephontem* amicum suum, sed tum temporis jam mortuum a Pythia hoc effatum audivisse. Nec credibile, si Sacerdotum illorum genium perpendamus, ejusmodi testimonium *Socrati* exhibitum fuisse. Solent enim illi minus favere illis, qui a Religione publice recepta, vel hilum recedunt, & morum probitate excellunt; unde verisimilis mihi non videtur Nobilissimi *Mothei Vayerii* sententia, qua putat, ideo hanc laudem tribuisse Oraculum *Socrati*, quod doctrinam de moribus melius excoluerit, omnesque ad virtutis studium inflammaverit. Crederem potius, Sacerdotes incredibilem animi vim perspicientes eum laudasse, quod viderent, eum Oracula ipsa minime contemnere, nec intercedere, quo minus Athenienses cultui publice recepto inhærerent. Sed conjecturis opus non est, dum de narrationis fide jure dubitari potest. Quod postremum eleganter ostendit politissimæ Eruditionis Vir Ch. A. *Heumannus. Act. Philosoph. Tom. 3.* Quicquid sit, non negamus, *Socratem* Virum fuisse, *suo tempore* Sapientissimum, quod sine Oraculi responso, omnes, (*nec enim futiles rhetoricationes Lactantii* curamus,) qui Viri Magni cogitata expenderunt, fatebuntur. Secundo. De *Genio* ipsius multa in medium proferre animus non est: erudite hanc materiam excussit *Theologus Eximius*, G. *Olearius* ὁ νυν ἐν ἁγιοις in *erudita*

disser-

dissertatione de *genio Socratis* conscripta : referam tantum Sententiam illorum, qui putant, *Socrati bonum Dæmonem* cælitus concessum fuisse, ut comparatio nostra eo illustrior sit. *Max. Tyr.* dissertat. XXVI. initio sic loquitur: Θαυμαζεις ει Σωκρατει συνην δαιμονιον, Φιλον, μανλικον, ἀει παρεπομενον, ἀνδρι καθαρῳ μεν το σωμα, ἀγαθῳ δε την ψυχην, ἀκριβει δε την διαιταν, δεινῳ δε φρονειν, μεσικῳ δε ειπειν, εις δε το θειον ευσεβει, ὁσιῳ δε τα ἀνθρωπινα. i. e. *Miraris Deum quendam adfuisse Socrati, amicum & futuri præscium, comitem vitæ individuum, mentisque illius hospitem : homini, qui & corpore purissimus, & animo optimus, & vivendi ratione perfectissimus, & in dicendo esset Suavissimus : qui pie cum Deo, sancte cum hominibus versabatur.* Dæmonem autem illum fuisse mediam quandam inter Deos hominesque Substantiam *Maximus* perhibet. Quam autem utilitatem *Socrati* attulerit comes ille divinus, ita describit *Maximus*. *Si vero homo* (inquit) *qui indole sit generosissima & institutione apte temperata, veræque semper additus sapientiæ, nec fortunæ destitutus subsidio, hoc a Deo Immortali sit consecutus, ut dignus hujus, de quo agimus, Dei consortio haberetur, mirumne videbitur aut fide indignum, & hunc quantum sibi satis esset, divinare potuisse? Non ut Athenienſibus de malis Græciæ deliberantibus Oracula redderet, aut Lacedæmoniis de expeditione consulentibus, aut si quis in Olympicis ludis aut in judicio certaturus de Victoria quæreret, aut avarus de divitiis, aliisque ejusmodi parvæ rei negotiis, pro quibus Deos quotidie obtundunt homines. Non quod fortasse hæc ignoraverit Deus Socratis, siquidem futurarum non ignarus esset rerum --- Sed hoc præ reliquis e Dei hujus colloquio, quem contemplabatur mente, consecutus erat Socrates, ut primo vitam suam honeste, tanti Comes Numinis institueret : aliis deinde, quoties necessitas ferret, sine invidia se se exhiberet.* Et paucis interjectis. Το μεν Σωκρατες δαιμονιον ἐν καὶ ἁπλεν, καὶ ἰδιωτικον καὶ δημοτικον, ἡ ποταμον διαβεινοντα ἀνακαλεμενον, ἡ ἀποθνησκειν προαιρεμενον ἐ κωλυον, ἡ Ἀλκιβιαδε ἐρωτα ἀναβαλλομενον. i. e. *Ille de quo loquimur Dæmon Socratis simplex erat, privatus, popularis : qui cum aut fluvium transire cogitat Socrates, revocare eum solet, aut cum Alcibiadem amare instituit, differre suadet, aut cum defensionem parat, non permittit, aut cum mori statuit non repugnat.* Postea *Maximus* omnibus Virtute præstantibus, ejusmodi genium concessum esse perhibet. *Hi sunt* (inquit) *quibus divina assistit natura, quorum vitam promovet, quos manu sua protegit & defendit. Alios namque ominibus, alios auguriis, hos insomniis, hos monitis, hos sacrificiis conservat. Fieri enim non potest, ut humana mens, quæ est ejus imbecillitas,*

præsertim cum secunda hac vita, densissima in caligine, multoque & assiduo præsentium malorum in tumultu versetur, ac strepitu, a quibus perturbari eam necesse est, rationis vi omnia consequatur. Tandem ad finem hujus dissertationis ita ait *Maximus. Magnus eorum est numerus.*

Ter sunt mille etenim per terræ uberrima regna
Gens immortalis, famuli Jovis.

Horum alii morbis medentur, alii in rebus dubiis consilium dant, alii occulta nuntiant, alii in exercendis auxilio sunt artibus; alii iterum sunt Comites. Rursus alii urbani, alii sunt rustici: alii sunt marini, alii sunt terrestres. Alius rursus aliud corpus habitant. Hic Socratem, ille Platonem, ille Pythagoram, Zenonem ille, ille Diogenem: Quot denique hominum sunt ingenia: tot & Dæmonum sunt genera.

Namque Dei similes peregrinis sæpe colonis
Quodlibet induti percurrunt corpore terras.

At vero si animam mihi ostenderis impiam, scias illam neque Incolam, neque Vitæ suæ habere præsidem. Hactenus *Maximus.* Non inquiram in ea, quæ de variis Angelorum generibus narrat Maximus: conferantur hac de re *Joh. Clerici Viri Summi adnotata ad Genes.* 18. & Sect. VII. dissert. de *subversione Sodomæ*, *Magnus* item *Grotius ad Matth.* XVIII. 10. nec in dubium etiam revocabo, quæ de *Socratis* Genio narrat *Maximus.* Credideram aliquando *Socratem, qui* θεια quadam μοιρα Viros ingenio præstantes nasci putavit, ex singulari, qua pollebat ingenii acie, virtutisque studio, animo quin etiam quælibet tolerandi apto concluſisse, vix sine Numinis cura Dæmonisque custodia, ea omnia sibi contigisse, cæteros etiam facile in eam sententiam adductos, quod viderent, se adhibito omni studio longe infra virtutes Magni hujus Viri subsistere. Confirmatus sum in ea opinione, quod noverim *Virum quendam Celebrem & magnæ auctoritatis*, circa *ultimos* vitæ dies firmissime credidisse, omnem successum negotiorum non ingenio, aliorum favori, aut auctoritati suæ, sed Angelo cuidam familiari, adscribendum. Sed mittam hanc Conjecturam, & supponam in gratiam eorum, qui *Socratem* non sine causa magni æstimant, Summo Viro contigisse Dæmonem quendam bonum, vitæ Comitem. In quam sententiam etiam concessit Vir *Summus J. Clericus Sylv. philolog.* cap. 3. p. 214. sq.

XII. Quod si hæc omnia concedamus, patebit tamen ex collatione Christi & Apostolorum, summa Præstantia Religionis christianæ.

næ. Primo enim ipse *Maximus* concedit, non *Socrati* tantum, sed omnibus Viris præstantibus, *Platoni* v. gr. *Zenoni*, aliisque, ejusmodi Genium concessum fuisse. At *Plato* ille, *Zeno* ille, non obstante perpetuo illo Dæmonis comitatu, in multis misere halucinabantur, mira ingenii portenta edebant, & gloriæ animalia tantum erant, nec generis humani emendationi animum adjecere. Secundo. Ipsius Genii *Socratis* ea erant munia, quæ *Socrates* ope ingenii præstare potuisset, exceptis paucis, quæ tamen tanti non erant, ut cælitus Genius concederetur. Scilicet non permittit transire fluvium, jubet amorem *Alcibiadis* differre, &c. *Plutarchus* de genio *Socratis* pag. 831. ita inducit loquentem *Theocritum*: *Genium vero Socratis, mi homo, an pro fabula habebimus? mihi vero sicut Homerus Ulyssi Minervam in omnibus arumnis facit præsentem auxilio esse, ita videtur genius Socrati vijum quoddam vitæ quod anteiret, ab initio statim adjunxisse; quod visum præcedens Socratem, lucem rebus obscuris inferret, & humana ratione non penetrabilibus: sicut & sæpe genius illum allocutus est, divino quodam instinctu proposita animi ejus dirigens. Horum pleraque & præcipua e Simia licet, aliisque Socratis sociis cognoscere, me autem præsente, quum ad Eutyphronem vatem irem, jam Socrates, ut meministi Simia, superne apud Symbolum & Andocidis domum ambulabat, simul & interrogans Eutyphronem, subito autem subsistens, reliquisque etiam ut starent persuadens, diu sane commoratus, deinde conversus per vicum arcas fabricantium abiit: & socios, qui præcesserant revocavit, indicans se a genio monitum, ut hac diverteret. Ac plerique quidem una cum ipso converterunt se, inter quos & ipse fui Eutyphroni adhærens. Quidam autem Adolescentuli recta procedentes, nimirum ut Socratis genium redarguerent, Charillum tibicinem sibi adjunxerunt, qui & ipse mecum Athenas ad Cebetem venerat. Cum autem ambularet per vicum Sculptorum juxta curias judiciarias, turba iis suum occurrit cœno oppletarum, quæ ob multitudinem sese trudentes, cum decedendi spatium hominibus non esset, alios impetu suo prostraverunt, alios commaculaverunt. Venit etiam Charillus domum crura & vestes luto plenus, ut cum risu genii Socratis mentionem facere libuerit, nusquam hominem relinquentis, nusquam negligentis.* Hactenus *Plutarchus*. Num autem hæc res tanti momenti fuerit, ut genius ille hic intercederet, quilibet facile videt. Quicquid autem de hoc sit, certum est, *Socratis* illum Genium nihil fecisse, quod ad generis humani emendationem conferre quidquam posset, ut adeo de hoc Dæmone præclare sentire non possim. Cur enim non impulit *Socratem* ad præconceptas de Diis,

cultuque recepto opiniones subvertendas, & generi humano Salutaria proponenda? cur *Aristophanem* insignem nebulonem in ipso comœdiæ actu non morbo aliquo adfecit, uti omnes perspicerent, *Socratem* propiore Numinis commercio uti? aut quæ tandem utilitas in Genus humanum ex constanti illo Dæmonis comitatu redundavit? num tandem per eum factum, ut pestilentissima Superstitio, quæ tabis instar omnium animos invaserat, aut penitus evanesceret, aut minus grassaretur? num discipuli ejus hoc ipso non solum de divina *Socratis* missione aut persuasi, aut ad Superstitionem subvertendam commoti fuere? Tertio. Si Christum & Apostolos hac in parte conferamus, longe præstantiora audiemus. Christus Servator noster non sine *miraculo* natus est; natus ex voluntate Dei, natus ita, ut longe antea non Oraculo quodam fallaci, sed Revelatione divina admirabilis ejus adventus annunciatus fuerit. Deus ipse stupenda miracula ad Illustrem hunc adventum significandum effecit, qualia sunt adparitio, & cursus, inusitatæ stellæ, Magorum eum in finem excitorum adventus, &c. natus ex Virgine modo nobis homuncionibus inexplicabili, minime tamen impossibili. Imo aut falsissima est tota narratio de Christo, aut non sine Numine fuit ille adventus. Nulla hic locum habent dubiæ fidei Oracula, ipsi enim hostes Christi infensissimi, Judæi, vim prædictorum labefactare non poterant. Sed nolumus huic argumento insistere. *Socrates* genium habuit, perpetuum Comitem Vitæ, & surdum monitorem. Christus erat æterna Sapientia Dei, ὁ λογος non fictitius ille *Platonis*, sed æternus, ipsis Angelis præstantior, imo *Deus Ipse*. Sed necesse non est, ut in hac comparatione gravissimam illam veritatem supponamus. Sufficit Christum singulari & perfectissima Sapientia instructum fuisse, quod ne ipsi quidem hostes negare poterant. Non opus habuit genio ejusmodi. Ipse enim intimas, easque abstrusissimas hominum cogitationes novit: non erat multarum rerum ignarus: nullis pravis animi adfectionibus ad aliquid agendum impellebatur: omnis labis & criminis expers provocare poterat ad conscientiam omnium Joh. VIII. ut se alicujus peccati, si quidem possent, reum peragerent. Num *Socrates* si ex animi sententia loqui voluisset ad hoc provocare potuisset? num ope Genii sui cogitationum humanarum decreta novit? recte *Lactantius* Lib. IV. Sect. 23. pag. 423. Ed. *Walchii*. *Philosophi putant, neminem adhuc perfectum extitisse Sapientem, id est, in quo summæ doctrinæ ac scientiæ Summa Virtus & perfecta justitia consenserint, quod quidem verum fuit. Nemo enim post mundum condi-*

conditum talis extitit nisi Christus, qui & verbo Sapientiam tradidit & doctrinam præsenti virtute firmavit. *Galenus* de curandis animi affectionibus: ἐιπὲῳ ἀναμαρτητος ὁ σοφος, ἐδ' ἀνθρωπον ὑπαρχειν αὐτον, ἀλλα Θεον. *si Sapiens Omni vitio careat, non esse eum hominem ordinariæ notæ, sed plane extraordinarium, & Deum verius, quam hominem.* Talis autem erat Christus Salvator noster. Quarto. Quandoquidem autem vel excellentissima præcepta & Exempla, ab iis, qui veri amantes haud sunt, parvi æstimantur; pauciſſimi etiam sint, qui vera rerum pretia norint, & ad præstantissimorum Virorum monita attendant, aut stupiditate, aut pravis studiis impediti; *Servator noster miracula* patrabat quam plurima in media turba, præsentibus non amicis tantum, sed & hostibus, atque ita homines vel inviti cogebantur fateri, Eum cœlitus missum, ad emendandum genus humanum. Nemo ignorat autem, miracula, veri nominis puto, ab hominibus præstari non posse. Non quæram jam, utrum illa a substantiis Deo inferioribus effici possint, quæ multorum doctissimorum Virorum sententia est: sufficit, quod hi Ipsi fateantur, non sine Numinis voluntate ea fieri, eademque, nonnisi ad veritatem & pietatem confirmandam permitti a Deo posse. Quod si igitur vel maxime concederem, Deum permittere, ut ope Angelorum miracula patrentur, patet tamen, Christum longissime superasse *Socratem.* Platonici Juniores, *Jamblichus, Porphyrius, Pythagoræ* adscribunt multa miracula; Si *Philostrato* credimus, *Apollonius* multa etiam præstitit: nunquam tamen vel *Plato*, vel *Xenophon*, discipuli *Socratis* & maximi Admiratores ejusmodi quid de eo memoriæ prodiderunt, minime silentio pressuri, si quid simile Athenis contigisset, cum genii ipsius non uno in loco mentionem fecerint. Si genius autem ille divinitus concessus fuit, minime tamen potuit Athenienses eo adducere, ut *firmiter* de hoc negotio persuasi fuerint; quilibet genium aliquem privatum sibi adscribere potest, quod verum an falsum sit, non solum difficile est aliis perspicere, & cognoscere; verum illi ipsi, qui ejusmodi res jactant, si cuncta subtilius rimantur, tantum non ad ἐποχην confugere tenentur. Difficile est imprimis plebi, cui insolitis ejusmodi rebus Deus quammaxime consulere vult, accuratum examen instituere. Hinc factum etiam, ut ipsi Veteres inter se de hoc Dæmone disputarent. *Miracula* autem, qualia *Salvator noster* præstitit multa, ita sunt comparata, ut in admirationem summam, & veritatis confessionem, rapiant non minus doctos quam plebem. Hinc ille cœcus qui visum recepit, Joh. IX. usus hoc argumento

contra Phariſæos, qui ſcrupulum movebant, qui tamen ipſi, cum Dæmoni cuidam maligno adſcriberent hæc miracula, non ſolum impudentem prodiderunt audaciam, ſed & hac ipſa deteſtanda calumnia confeſſi ſunt, miracula Chriſti ope humana majora eſſe nec arte ficta. Scio *Spinozam* adſerere, miracula fieri non poſſe, quod illa contra leges naturæ, id eſt, ex mente Spinozæ, contra Deum ipſum ſeu mundum eſſent neceſſitate naturæ exiſtentem. Sed *Tenebrio* ille demonſtrare non potuit, leges quas Philoſophi vocant naturales, abſolute eſſe neceſſarias, ita ut alius mundi ordo, aliæ leges circa motum Planetarum, &c. eſſe non poſſent. Quod ſi leges illæ arbitrariæ ſunt, licet ſapientiſſime inſtitutæ, quid impedit, quo minus aliquando contra illas agat, præſertim ſi ipſo opere videamus, Deum habuiſſe graviſſimas cauſas, cur illas mutaret. Si *Socrati* divina ſorte contra conſuetum ordinem contigit Genius, vel eum tantum in finem, ut a nocituris quibusdam abſtineret, num minus Deo dignum eſt, *inſolitis rationibus* uti, ad Idololatriam extirpandam, & caſtiſſimum cultum inſtituendum inter homines tetra caligine obſeptos? Ita ſane Deum oportuit agere, non aliter. Vir prudens & Sapiens, ſi quidem ſcopum excellentiſſimum, quem intendit, trita via conſequi haud poteſt, generoſo quodam impetu commotus, inſolitum hactenus iter quærit, nec quicquam inexpertum omittit, ut laude digniſſimum obtineat propoſitum. Deus ſine dubio Sapientiſſimus, poſtquam præceptis, quæ ratio ſuppeditavit, nil apud gentiles effeciſſet, non ſolum ipſe extraordinaria quadam ratione voluntatem ſuam declaravit, ſed addidit ſtupenda miracula, ad excellentiſſimam doctrinam confirmandam aptiſſima, quibus qui fidem non habuit, *inter portenta numerandus erat.* Sed quid multis probo, Chriſtum multis modis ſuperaſſe *Socratem*, *Ipſi diſcipuli Chriſti*, homines nullis diſciplinis exculti, argutiarum Philoſophicarum ignari, piſcatores, opera manuum vitam tolerantes, multis modis Præſtant *Socrate*, *non quidem ingenii perſpicacia & acumine; ſed donorum cœlitus donatorum copia, miraculis, vitæque innocentia*, quæ omni doctrina præſtat. Antequam nomen dediſſent Chriſto, & diſciplinæ ejus ſe totos commiſiſſent fingendos, a cætera hominum turba minime erant diſtincti; ſed quamprimum divinæ ejus diſciplinæ ſe tradebant, toti mutati ſunt. Initio quidem in quibusdam errabant, nondum per omnia cœleſtis doctrinæ intelligendæ capaces. Non quidem genio quodam ſe inſtructos gloriabantur; ſed virtute miracula patrandi erant inſtructi, quæ vehementius oculos hominum perculerunt, quam neſcio

cujus

cujus genii comitatus, aut accuratissima ratiocinandi methodus, quæ a plebe rite perpendi non possunt. Præterea genii loco φερόμενοι, erant ὑπο πνευματος ἁγιε, cujus licet operationes difficulter intelligamus, negare ideo tamen non licet. Exeruit se se inprimis divinæ hujus Operationis vis, *cum subitanea quadam & inusitata* ornati essent facultate, linguas, quas nunquam didicerant, stupentibus omnibus, intelligendi & loquendi. Bone Deus! in quam admirationem rapti fuissent Athenienses, si *Socrates* præter vitæ probitatem, miraculis instructus fuisset, ipsoque opere demonstrasset, quem in finem Deus sibi ejusmodi Dæmonem concessisset? Ope autem horum miraculorum discipuli illi maximo cum successu cœlestem illam doctrinam propagabant, & non minus Idololatras, quam cæteros a vero castoque Dei cultu aberrantes, revocabant. *Divinus ille*, quem acceperunt, *Spiritus*, eos non tantum, quo minus certa loca peterent, inhibuit, sed adhortatus est, ut huc illuc difficillima instituerent Itinera. *Hujus impulsu* commoti, nihil non pro Religionis christianæ propagatione tentabant, patiebantur & exequebantur, spretis etiam violentissimis, & exquisitissimis doloribus. Invigilavit tamen etiam Divina Providentia eorum conatibus ita, ut angelorum etiam præsidio muniti, e præsentissimis vitæ periculis liberarentur. Confer igitur, ut de doctrina nihil amplius dicam, *genium Socratis ejusque operationes*, cum Apostolorum miraculis, donis linguarum, custodia Dei, qua fruebantur, & aut fallor vehementer, aut clarissime constabit, *Socratem* Virum alias magnum, longe inferiorem esse Apostolis.

XIII. Sed alia adhuc sunt, quæ hoc ipsum probant. *Primo enim Socrates non potuit loqui tanquam Legislator, cujus præcepta vim obligandi haberent.* Ratiocinabatur ille de virtutum præstantia, easque Athenensibus commendavit, earum etiam utilitatem, honestatemque probavit. Sed teneri Athenienses his præceptis, ostendere non potuit. Obstabant aliorum Philosophorum decreta, quibus Athenienses multum tribuebant: illorum ratiocinationes minus pondus non habebant, quam *Socratis*. Nullus eorum potuit *auctoritate* sua hominibus persuadere, se cœlitus ad emendandos homines missum, legesque, quas commendabat, considerandas tanquam divinas. Verum est, pleraque *Socratis* præcepta fuisse æquissima, & rationi convenientia, & hactenus omnes, qui vim eorum perspiciebant, obligabantur, ut mores suos ad ea componerent; Sed cum *Auctoritas*, illa præcepta non tantum injungendi, sed & illa tanquam Numinis voluntatem cœlitus

conceſſam præcipiendi, *Socrati* defuerit, neque Auctoritate ſua, & præmia promittere, & pœnas inferre potuerit, multum roboris deceſſit excellentiæ horum præceptorum. Accedit etiam huc ſententia *Socratis* de virtute. Adſerebat ille, uti notum eſt, virtutem doceri non poſſe, ſed θειᾳ quadam μοιρᾳ hominum animis virtutis ſemina inſita, quæ tamen pauciſſimis tantum a Diis concedantur. *Protagoras* vero Celebris Sophiſta, qui *Socratis* tempore Athenis vixit, contrarium docuit, quod ex *Platonis* dialogo, qui *Protagoræ* nomen præ ſe fert, patet; in eo aperte ait: Athenienſes putaſſe, virtutem non natura inſitam, aut ſponte, ſed doceri potuiſſe, & cura iis partam eſſe, quibus aderat. ὁτι ἀρετην ἐ φυσει ἡγενται εἰναι, ἐδε ἀπο τε ἀυτοματε, ἀλλα διδακτον τε καὶ ἐξ ἐπιμελειας παραγιγνεσθαι, ὡ ἀν παραγιγνηται. Non quæram, utrum hæc ſententia cum cæterorum Philoſophorum opinionibus conveniat, nec ne. De eo agit Cl. *Clericus* Sylv. philolog. pag. 166. Sufficit, quod idem Vir Summus fateatur, multis, qui *Protagoræ* cogitata legerint, viſum iri, *Protagoram* melius ratiocinari, quam *Socratem*. Patet ſaltem ex hoc, aut *Socratem* a communi & recepta ſententia diſceſſiſſe, aut ſaltem ita loqutum, ut cæteri exiſtimarent, eum longe aliter ſentire quam Athenienſes. Et hac ratione *Socrates* vel invitus effecit, ut illi, qui jam vitiis immerſi erant, aliquod præſidium inde caperent; nihil enim libentius ejusmodi homines audiunt, quam ea, quæ ſummam difficultatem in virtute colenda probare poſſunt; ita enim neceſſario inferri poſſe putant, in ſua poteſtate ſitum haud eſſe virtutem ſequi; ſaltem hoc certum eſt, plebem Athenienſem litem illam inter *Socratem* & *Protagoram* dirimere non potuiſſe. Et erat tamen res non nullius momenti: Speciem Viri probi & virtutis amantis hac adſertione præbere potuit *Protagoras*, *Socrates* autem Sophiſtæ, ad convellenda quælibet parati. Præterea depravatiſſimi erant mores Athenienſium, & nihil magis neceſſarium erat, quam ut opiniones, quæ virtutis ſtudio adverſabantur, animis eorum eximerentur, & contra ſummum quoddam deſiderium virtutem ſectandi injiceretur. Hoc autem inter alia etiam obtinetur, ſi oſtendatur, præcepta rationis rite perpenſa *obſervatu facilia eſſe*. At ſententia *Socratis*, ſaltem ſpecie, virtutis ſtudium ſufflaminabat. Non quidem negavit *Socrates*, quod ex *Xenoph.* patet, educationem & inſtitutionem, aliquid ad virtutis ſtudium conferre; Sed qui ſemel vitia amavit, potius ea credit, quæ cum deſideriis animi conſpirant, quam quæ dicuntur. Si autem *Socrates* generis humani emen-

emendationem, quantum in se erat, promovere studuisset, omnia vitare debuisset, quæ aliquod erroribus & vitiis præsidium dare poterant. Secundo. *Socrates, si verum fateri volumus, mortem perpessus non est ob confessionem unius Mundi Rectoris.* Plerique ideo magni faciunt *Socratem* & in cœlum tollunt laudibus, quod constantissimo animo mortem obierit, & quidem ob amorem Numinis. Sed qui attente legerit accusationis capita, & defensionem ipsam *Socratis*, observabit, hanc minime fuisse mortis causam. In superioribus jam observavimus, *Socratem* cultum publice receptum, non tantum non rejecisse, sed sequendum etiam adstruxisse. Ex Apologia, quæ apud *Platonem* legitur, patet; ei duplex fuisse Accusatorum genus: *priores* accusabant, quod curiosius rimaretur, quæ in cœlo & sub terra sunt, & quod ratiocinando efficeret, ut deterior causa melior videretur. Inter hos referendus videtur *Aristophanes*, cujus accusationis capita præcipue eo redeunt: *posteriores* dicebant, eum Juventutem corrumpere, & Deos novos inducere. Priores non moramur, sed quid ad postremum responderit *Socrates*, dispiciemus. *Plato* in Apologia defensionem ejus adducit, quæ tamen ita æquivoca est, ut satis pateat, noluisse ipsum ingenue, quid sentiret, aperire: omnia huc redeunt, illum Deos negare non posse, qui Dæmones coleret. Cur autem aperte magnus ille Philosophus, qui salutem civium tantopere sibi curæ esse dixit, non *Scaphan Scaphan* adpellavit? cur confessus non est, se Unum tantum & Summum mundi Dominum agnoscere, & paratum esse pro hac sententia extrema quæque pati? asserit quidem p. m. 12. Apologiæ, se ad finem usque vitæ homines ad virtutis studium cohortaturum. Και ἑως περ ἀν, ἐμπνεω καὶ οἱος τε ὠ, ἐ μη παυσωται φιλοσοφων. Και ὑμιν παρακελευομενος τε καὶ ἐνδεικνυμενος: ὁτῳ ἀν ἀει ἐντυγχανω ὑμων, λεγων οἱαπερ ειωθα. ὁτι ω ἀριστε ἀνδρων Ἀθηναιος ὠν, πολεως της μεγιστης καὶ ἐυδοκιμωτατης εἰς σοφιαν καὶ ἰσχυν, χρηματων μεν ἐκ αἰσχυνὴ ἐπιμελομενος, ὁπως σοι ἐσαι ὡς πλειστα, καὶ δοξης καὶ τιμης Φρονησεως δε καὶ ἀληθειας, καὶ της ψυχης, ὁπως ὡς βελτιστη ἐσαι, ἐκ ἐπιμελη, ἐδε Φροντιζεις &c. i. e. *quamdiu spirabo, viresque suppetent, philosophari non desinam exhortans & docens quemcunque nactus fuero, sicut soleo, hunc in modum. Quid tu, o Vir optime, cum Civis sis Atheniensis, civitatis amplissimæ ac sapientia ac potentia præstantissimæ, non erubescis in eo omnem operam ponere, quo tibi pecuniarum & gloriæ & bonoris quamplurimum sit: ut autem prudentia & veritas & optimus animi habitus in te sit, neque cogitas, neque curas* &c. Sed si tantum studium virtutem propagandi, in

eo fuit, cur ipsemet de cultu Unius Numinis, sine quo nulla veri nominis virtus esse potest, altum hic coram Judice silet. Scio multos errores dari, de quibus acerrime inter se Eruditi disputant, qui nullum tamen saluti detrimentum adferre solent. Sed absurdæ de Deo opiniones, penitus animis sunt evellendæ, antequam castum Dei cultum iis implantare licet. At *Xenophon* initio memorabilium & ipse in Apologia *Platonis* testatur, *Socratem* Deos minime spreviſſe. Joh. quidem *Clericus* conatur eum hac in parte aliquatenus defendere, dicens pag. 205. Sylv. philolog. *Ego vero existimarim, Socratem & Platonem aliosque Philosophos sub nominibus Deorum Græcorum, licet turpibus fabulis deboneſtatorum, coluisse naturas sanctas & æternas, prout eas intelligebant, easque humana multo præstantiores, quibus nomen Dei vere convenire putabant. Ergo nomine Jovis in eorum sermonibus, intelligendum Summum illud Numen, de quo in Timæo* pag. 350. *ubi se dicit Creatorem esse aliorum Deorum: nominibus vero reliquorum Deorum, eos, qui ab eo orti sunt, hoc est, inferiores omnes Deos. Numina vulgi nihil erant, præter mera Numina Commenticiorum Deorum, qui nec erant Dii, hoc est, humana natura meliores, nec fuerant; ideoque se iisdem nominibus abuti posse putabant Philosophi, ad significandas inconspicuas & sempiternas mentes, quæ omnia, ut credebant, providentia sua complectebantur, sapienterque administrabant, & benevolæ humano generi erant.* Hactenus Vir Summus, *Clericus*. Sed quis non videt, hanc excusationem esse levem, & publicum Deorum Cultum ita stabilitum esse? nec video, qua fide *Socrates* vocabulis illis abuti potuerit, si credidit, Deo soli cultum competere. Si autem Deorum nomine inferiora ejusmodi Numina intellexit, cur aperte confessus non est? cur cultum simul publicum quavis ratione retinendum clamavit? num dici potest, eum *Zelo quodam pro Dei gloria flagrasse*, qui æquivocationibus in re graviſſima ludit? præsertim autem mirum hoc est, quod cum in Apologia, non tanquam reus, aut supplex, sed Judicum Magister, ac Dominus locutus fuerit, atque ita hac ratione Judicum animos contra se concitaverit, altum tamen voluerit silere, de iis, quæ, ne exquisita quidem tormenta, quo minus in medium proferret Vir veritatis & virtutis amans, prohibere possent. Quid dicam de *Gallo*, quem proximus morti offerri justit *Æsculapio?* Sunt qui putant, eum hac ratione recepto cultui voluisse insultare. *Dacierus* p. 328. versionis suæ Ita ait: *Ici le coq est le Symbole de la vie. Esculape est l'emblême du Medecin. Socrate veut dire par là, qu'il remet son ame entre les mains du veritable Medecin,*

cin, qui vient le purifier & le guerir. Idem fere sentit *Mothæus Vayerius.* Doctissimus *Havercamp.* in eruditis Observat. ad *Tertulliani Apologet.* p. 380. affert imaginem gemmæ insculptam, quæ referre videtur *Socratem* super aram immolantem gallinaceum. Sententia autem *Havercampii* de hoc Sacrificio *Socratis* hæc est. *Certe* (inquit) *quare illi gallum immolari voluerit Socrates patet, utpote qui jam convaluisset, primum ad meliorem vitam ex caduca hac & morbida emigraturus, inimicorum existimatione punitus, suo judicio finitus, ut eleganter de Theramene Val. Max. L. 3. cap. 2.* Sed si vel maxime benignam hanc interpretationem admitterem, nondum tamen video, qua ratione excusari posset *Socrates.* Erat ille in confinio mortis, præsentes tantum erant amici. Hi sine dubio sciebant, quid de Diis sentiret, quem ergo in finem celabat animi cogitata & obscure loquebatur ? num credimus, plebem Athenienſium, si mandatum hoc *Socratis* amicis datum, percepit, credidisse, id intendisse *Socratem*, quod Viri illi docti vellent ? an non hac ratione credidit potius, *Socratem* in cultu recepto ad finem vitæ permansisse? num decuit Philosophum, qualis *Socrates* erat, ludere in re seria ? quam præstitisset, si in carcere omni argumentorum robore amicos cohortatus fuisset, ut cultum uni Deo exhiberent, nec unquam ab hac sententia defendenda se se abduci paterentur? vera igitur damnationis causa non erat confessio constans unitatis Dei. Fatetur causam mortis ingenue Cl. *Clericus* loco citato pag. 217. dicens: *Athenienses offenderat, quod eos, qui se doctissimos putabant, imperitiæ sæpius arguisset, moresque aliorum depravatos reprehendisset, & tum verbis tam factis damnasset. Juventutem colloquiis suis eo adduxerat, ut multa a majoribus minus prudenter instituta in administratione Reipublicæ, multaque perperam eo tempore fieri intelligeret. Fabulas denique Poëticas, quibus priscæ religiones nitebantur, moribus exitiales esse ostenderat.* Ita *Clericus.* Non jam dicam, quod *Socrates* mea opinione pessime fecerit, quod se defendere noluerit, & hortantibus amicis viamque elabendi monstrantibus, vacivas aures præbere noluerit. Sed hæc singulari dissertat. sunt excutienda & contra M. *Tyrium* vindicanda.

XIV. Plane autem alia etiam hac in parte Christi & Apostolorum fuit ratio. Christus non solum leges rationi convenientissimas inculcavit, omnesque ad eas sectandas adhortatus est; *sed & tanquam Legislator præcepta & doctrinam suam proposuit. Ego vero dico vobis,* solebat ad Judæos sensum oraculorum divinorum male interpretantes ingeminare. Imo aperte quibusvis denunciabat, Deum olim, cum adscriptus

judicii dies venturus esset, quemvis judicaturum secundum præscriptum, quem promulgaverat, sermonem. Se cœlitus missum esse, ad salvandos homines perhibebat. Provocabat ad doctrinam oraculis divinis consentaneam. Confirmavit eam miraculis stupendis. Locutus est ut Legislator, qui Jus in homines omnes haberet Summum, ob infinitæ perfectionis ὑπεροχην, Creationem & susceptum Opus Redemtionis. Spiritibus ipsis imperitavit, seque Dominum eorum esse, ostendit, & ut hoc facilius crederent, non semel probavit, vel ipsas hominum cogitationes sibi perspectas esse. Publice quin etiam professus est, se pro æterna felicitate hominibus adquirenda, mortem perpessurum ignominiosam, simul autem suis viribus superas evasurum ad auras. Præstitit autem hoc ipsum. Hinc summo jure quosvis ad doctrinam suam amplectendam adhortari potuit, omnesque, qui divina sua Decreta spernerent, damnationi subjicere, severissimaque judicia in perversos exercere. Quis autem modus Deo dignior excogitari potest ad homines emendandos? quid vehementius mortales ad virtutem stimulare, quam præsentia ejusmodi Legislatoris, qui & salvare & perdere potest? quis Auctoritati ejus non cedet, qui vitæ innocentia, doctrina admirabili floret, qui & miraculis sua dicta confirmat, & Universitati rerum imperat; qui ad generis humani utilitatem mortem oppetit; & resurrectione sua fortissimum missionis divinæ argumentum exhibet, tandemque, quantam vim habeat in animos hominum, eorumque actiones miraculis cœlitus fidissimis suis comitibus concessis, demonstrat, & præsentissima judicia in hostes exercet? Omnium testor conscientiam, utrum in Eo major vis non sit, ad homines a perversis studiis abducendos, & virtutem promovendam, quam in Philosopho acuto & probitate morum conspicuo? Præterea aliis argumentis *divinus noster Servator* demonstrabat, quantopere sibi curæ sit Salus hominum. Non solum ad castissimum Deoque dignissimum cultum omnes adhortabatur, *sed & zelo pro gloria Dei flagravit*, quem in *Socrate* frustra quæres. Eum in finem hinc inde ad lucrandos a veritatis via aberrantes profectus est. Postulavit ab hominibus non tantum mores ad rectæ rationis leges conformatos, sed & candorem, pietatem exactissimam, & totos per artus diffusam. Divinæ enim, quam promulgavit Philosophiæ genus, ut M. Erasmi verba mea faciam *in affectibus situm verius quam in Syllogismis, quæ vita magis esset, quam disputatio, affiatus potius, quam Eruditio, transformatio denique magis, quam ratio.* Hinc factum, ut Religionis Antistites, in meram

meram histrioniam castissimum Dei cultum mutantes, gravissime non semel perstrinxerit, & iram divinam iis intentaverit. Etiam non semel tangi se misericordia tot hominum aberrantium, effusis lachrymis ostendit. In eo enim summam voluptatem percepit, cum, quæ divinitus imposita erant, exequeretur, & incrementum veri castique cultus Dei, oculis cerneret. Mortem denique non pro se, quippe innocentissimo, sed pro aliis perpessus est, pro hostibus oravit, ipsoque opere ostendit, se divinitus missum esse, cœlo terraque cohorrescentibus, & auctoritatem ejus comprobantibus. Idem dicendum de discipulis. Non quidem ipsi se Legislatores esse dicebant, sed Legatos tantum summi rerum omnium Domini. Ejus nomine loquebantur: Eum in finem provocabant non solum ad doctrinam cœlitus acceptam, & dona linguarum, sed imprimis ad *miracula*, divinæ missionis certissima argumenta. In cultum publice receptum & Judæorum & gentilium invehebantur gravissime, magnaque auctoritate docebant & Judæos & Gentiles modum Numen præstantissimum colendi ignorare; ponendas igitur hactenus præconceptas opiniones, alios mores induendos, alia Deum propitium reddendi adhibenda media. Hæc frequentissime ingeminarunt, inter promiscuam turbam, in foro, in Conventibus, in Curia: denique hanc divinam sententiam constantissime inter mille tormenta defenderunt & morte confirmarunt. De quo mox plura.

XV. Tandem consideremus vim, quam habuit doctrina *Socratis* in animos hominum; & conferamus simul incredibilem efficaciam doctrinæ Jesu Christi. Præcipui discipulorum *Socratis* erant *Plato*, *Aristoteles*, *Xenophon*, *Æschines*, *Cebes*, *Aristippus*, *Zeno*, &c. *Cleombrotus* & *Aristippus*, teste *Laërtio* in hujus vita, apud *Laidem* nobile scortum versabantur, cum *Socrates* in vinculis esset. Post mortem ejus in diversas sectas abiverunt, & nobilissimam de moribus doctrinam, inutilibus quæstionibus deturparunt. Quidam perplexis disputationibus inhiabant, & in Syllogismis potius conficiendis, quam moribus emendandis occupati erant, regulas etiam recte vivendi tales excogitabant, quæ a quovis Agyrta præstari possent: alii deceptricis imaginationis ludibria sequentes, quæstiones in medium proferebant, quas ipsi non intellexerunt. *Plato* ille ingenium habuit ad *fanaticismum* aptissimum, nec puduit eum, Præceptorem suum de *amore* ita loquentem inducere, ut castæ aures vix sine offensione transmittere possint; alii voluptatem sectabantur, alii denique ingenium exercebant in eno-

dandis causarum naturalium principiis ; singuli autem mentis emendandæ, aut nullam, aut exiguam curam habebant. Tantum abest, ut virtutis studium, ad quod singulos adhortabatur *Socrates*, excolerent ipsi, omnibusque commendarent, ut potius nobilissima hæc Philosophiæ pars tantum non penitus neglecta sit. *Plato* & *Aristoteles* ita obscure de summo rerum omnium Domino locuti sunt, ut difficulter eorum sententiam capere possimus. Idem *Plato* cultum publice receptum mutandum esse minime existimavit. In *Epinomide* exerte hoc profitetur, τουτων παντων (inquit) ὁ νομοθετης, ὁστις νυν κεκτηται καὶ τον βραχυτατον, ἐποτε μη τολμησῃ καινοτομων, ἐπι θεοσεβειαν, ἡτις μη σαφες ἐχει τι, τρεψαι πολιν ἑαυτε, καὶ μην ἐσ' ὠν ὁ πατριος νομος εἰρηκε περι θυσιων ἀποκωλυσει, μηδεν το παραπαν εἰδως, ὡσπερ ἐσ' ὁν δυνατον εἰδεναι τι θνητὴ φυσει των τοιουτων περι. i. e. *horum omnium Legislator, qui vel minimum mentis habeat, nunquam aliquid innovabit. Cavebit enim, ne ad novum minus certum religionis cultum civitatem suam vertat. Nec, quæ patria lege vel consuetudine de sacrificando firmata sunt, movere audebit. Scire namque debet, mortali naturæ non esse possibile, certi quicquam de his cognoscere.* In *Aristippo* evanida sunt illarum veritatum, quæ omnium momentosissimæ sunt, vestigia. Nemo ex iis aliquo pro gloria Dei Zelo flagravit ; sed aut voluptatibus inhiabant, aut literis ad delectationem vacabant. Cæterum ea, quæ ad emendationem generis humani facere possent, turpiter neligebant. Hinc ipse *Socrates* discipulis suis & propagationi doctrinæ suæ diffidebat. Audi eum coram Judicibus ita loquentem in *Apologia* apud *Platonem* pag. 12. Ἐαν γαρ με ἀποκτεινητε, ἑ ῥαδιως ἀλλον τοιουτον ευρησετε. ἀτεχνως, εἰ καὶ γελοιοτερον εἰπειν, προσκειμενον τῃ πολει ὑπο τε Θεε. ὡσπερ ἱππῳ μεγαλῳ μεν καὶ γενναιῳ, ὑπο μεγεθος δε νωθρωτερῳ, καὶ δεομενῳ ἐγειρεσθαι ὑπο μυωπος τινος. Οιον δῃ μοι δοκει ὁ Θεος ἐμε τῃ πολει προστεθεικεναι τοιουτον τινα, ὁς ὑμας ἐγειρων καὶ πειθων καὶ ὀνειδιζων ἑνα ἑκαστον, ἐδεν παυομαι, την ἡμεραν ὁλην πανταχε προσκαθιζων. τοιουτος ἀν ἀλλος ἑ ῥαδιως ὑμιν γενησεται. i. e. *Si enim me interfeceritis, haud alium talem reperietis, vere quidem, & si forte id dictum ridiculum est, civitati vestræ a Deo adhibitum, velut equo cuidam magno & generoso, sed ipsa mole pigriori, atque a tabano aliquo excitari indigenti : qualem videtur me Deus civitati addidisse, qui singulos exuscitans & monens & objurgans non cessō diem totam vobis assistere. Talem vero alterum non facile nanciscemini o Viri Athenienses.* Verum est, pœnituit mox Athenienses, talem virum interfecisse : verum etiam, quosdam eam ob causam pœnas dedisse.

Plutar-

Plutarchus de *invidia* & *odio* p. 556. ita ait: *Eos, quorum calumnia Socrates fuit oppressus, ut extreme malos ita oderunt, itaque aversati sunt Cives, ut neque ignem eis accenderent, neque interrogantibus responderent, neque in balneo aqua uterentur eadem, sed qua illi lavissent, eam tanquam pollutam juberent a ministris effundi: donec illi impatientia odii se suspenderunt.* Hæc quidem *Plutarchus* gravissimus auctor. Sed nec ipse, nec alii testantur, Athenienses alios mores induisse, cultum Deo digniorem recepisse. Verbo, doctrina *Socratis majorem vim in animos hominum non habuit, quam alia quædam philosophandi methodus.* Certe, quantum ex historia constat, Athenienses superstitionem minime rejecerunt. Discipuli & Sectatores *Socratis*, quisque pro ingenii indole, philosophabantur, & inanibus disputationibus tempus misere perdebant. Nemo, nemo, inquam, ad cultum castum Deo exhibendum cæteros adhortabatur: nemo mortem pro *unius Dei* gloria oppetere volebat. Plerique erant adsentatores, animalia gloriæ, molles & disputaces. Quis autem credat, cæteros homines virtuti operam daturos, pravis studiis valedicturos & mentem mutaturos esse *talibus ducibus?* quis spem meliorum temporum a Sacrificulis, hominibus, ut rerum divinarum ignarissimis, sic pestilentissimæ Superstitioni addictis exspectare poterat? hinc teterrima Superstitio orbem inundavit, & omnia ad interitum vergebant, usque dum divina Bonitas extraordinario quodam auxilio generi humano medelam afferret.

XVI. Præstitit hoc Ipsum Salvator noster. Non solum enim vitam vixit sanctissimam, & Deo dignissimam, non solum potentiam suam per miracula, & vim quam exerebat in animis hominum, ostendit; sed & prædixit, fore ut nec portæ inferorum, nec Tyrannorum violentia, nec tormentorum æstus, progressui Sanctissimæ Religionis, prævalerent. Hac spe meticulosos, & de futuro anxios discipulorum animos erexit, & infinitum præmium constantiæ promisit. Illi, quanquam initio timidi erant, quidam etiam eorum Magistri optimi proditor, alter viribus plus æquo fidens turpiter lapsus, omnes tamen Unico excepto, in unum conveniebant, disciplinam a Magistro traditam forti animo tuentes, neque ulla minarum, aut persecutionum vi, a sanctissima Religione defendenda se se abripi patiebantur. Ille Ipse *Petrus*, qui paucis ante diebus turpiter Magistrum metu mortis deseruerat, ad Synedrium Judæorum vocatus, Antistitibus illis Sacrorum in faciem dixit. *Hic ipse Jesus, quem cruci adfixistis, a morte revocatus est, & hujus rei nos sumus testes. Omnes* autem dono miraculorum, &

& linguarum cœlitus donati, quaquaversum iter faciebant, & generoso impetu incitati, inter mille labores, & persecutiones, nullo habito gloriæ, aut utilitatis respectu, cunctos ad amplectendam divinam Religionem invitabant. Quæ doctrina etiam tantam vim habuit in hominum animos, ut Senes & Juvenes, Docti & indocti & utriusque Sexus homines certatim ad eam profitendam & defendendam ruerent, vitamque Deo & ratione dignissimam instituerent. Non obstabant præconceptæ opiniones, veluti cum lacte materno haustæ, non charissimorum pignorum lachrymæ, non commoda hujus vitæ, non exilium, quo minus Religionem illam tuerentur; imo, quod magis est, ne quidem exquisitissima tormenta eos perterrefacere poterant. Hinc ad martyria serena fronte, animoque imperterrito, properabant, & citius quidem aliquando, quam ipsa necessitas postularet. Scio, quosdam dicturos, superstitionem multum etiam ad hoc contulisse: provocabunt ad rationes, quas in medium protulit Eruditissimus *Dodwellus* in dissertat. de *Causis martyrii*. Concedam, si ita velint, quosdam aut pertinacia, aut nimio martyrii desiderio abreptos, sine sufficientibus rationibus, tam intrepido animo mortem perpessos; at omnes, vel plerosque solis his rationibus commotos, eo constantiæ processisse, vix credere permittit humanæ naturæ indoles, quæ dolores exquisitos sine causa sibi concitare non solet. Eadem olim fuit natura humana, quæ nunc est. Quæ dolorem excitare solent fugimus, præsertim si nulla adjuncta est utilitas. Historia Ecclesiastica satis docet, multos persecutionis æstu aut fuga sibi consuluisse, aut aliud locutos, quam quod animo præferant. Sine ratione plerique Religioni addicti sunt, iis in locis, in quibus sine persecutionis metu secure vivere possunt; at ut homines exquisitissima tormenta, quæ facile evitare possent, perpetiantur, difficulter credi potest. Recte Lactantius Lib. V. cap. XIII. *Si feminæ sexus infirmitate labuntur, (nam interdum isti muliebrem & anilem superstitionem vocant) Viri certe sapiunt. Si pueri, si adolescentes improvidi sunt per ætatem, maturi certe ac senes habent stabile judicium. Si una Civitas desipuerit, ceteræ utique innumerabiles, stultæ esse non possunt. Si una provincia, una natio providentia caret, cæteras omnes habere intelligentiam recti necesse est. Quum vero ab ortu Solis usque ad occasum lex divina suscepta sit, & omnis sexus, omnis ætas & gens & regio unis ac paribus animis Deo serviat, eademque ubique sit patientia, idem contemtus mortis; intelligere debuerant, aliquid in ea esse rationis, quod non sine causa usque ad mortem defendatur, aliquid fundamenti*

menti ac soliditatis, quod eam religionem non tantum injuriis & vexatione non solvat, sed augeat semper, & faciat firmiorem. Verum est, multos ex Christianis & magnam eorum partem fuisse homines simplices & ἀπαιδευτους. Sed illi homines sæpe minore præconceptarum opinionum mole obruti esse solent, quam Eruditi. Hi enim plerumque inani disputationum ϛρεβλωσει capti, variisque dubiis circumsepti, mille elabendi rimas quærunt, nec tanto Zelo pro Dei gloria ardent. Ipse, *Magnus* alias Vir, *Erasmus* in Epistolis suis fatetur, ingenium suum ad martyrii gloriam reportandam ineptum esse. Supponit autem illorum hominum objectio, ad salutem consequendam, & veram Religionis indolem perspiciendam, opus esse systematica quadam cognitione omnium illarum propositionum, de quibus Eruditi inter se disputant, quod minime credo. Purgatio animi a pravis adfectionibus, solida quædam persuasio de divinitate Religionis christianæ, ejusque natura & indole: amor virtutum Christianarum, studiumque ardens Deo placendi & convenienter huic Religioni vivendi plus efficit, quam notitia omnium rationum & objectionum de certis Religionis capitibus, quæ inter dissidentium Christianorum familias agitantur. Quæ ipsa etiam primis & antiquissimis temporibus, rariora erant, quam nostro Seculo, quo nulla fere ætas sufficeret, ad cognoscendas, nedum examinandas controversias, quæ sensim sensimque ortæ sunt. Loquor autem de plebe non de Doctoribus, qui majori rerum divinarum cognitione instructi esse debent. Quod si jam addas, primos veritatis hujus cœlestis Doctores homines fuisse, nullis disciplinis excultos, artis recte ratiocinandi secundum leges philosophorum imperitos, nulla humana auctoritate, aut præsidio munitos, magis patebit, admirandum plane fuisse progressum hujus Religionis. Si enim homines fuissent, summa ingenii acie instructi, variis linguis & disciplinis exculti, ad genium Seculi compositi, haberent quod objicerent illi, quibus Sanctissima Religio displicet; dicere possent, ejusmodi homines facile posse decipere simplices. At alios Deus pro infinita sua Sapientia elegit. Eleganter *Lud. Vives* Lib. II. de veritate fidei de hoc argumento loquitur. *Misit* (inquit) *Deus pauciss. ad quamplurimos, rudes ad peritissimos. Erat enim mundus ingeniis atque artibus excultus, si unquam alias, ne quis fucum factum, aut dolo captos homines posset suspicari; misit infantes ad disertissimos atque eloquentissimos, misit simplices ad astutos, inermes ad armatos, imbelles ad bellicosos, inopes ad imperium populi Romani. Expediebat tantam esse in primis illis ædificii hujus exstructoribus humilitatem, ne ipsi humanis viribus*

artibusque aliquid tribuerent, ut in iis spei quicquam aut fiduciæ collocarent; Sed sibi penitus diffisi, ab ope ac præsidio penderent Dei. Tum ne quis stulte ac dementer aliquid ex iis, quæ facta essent, humanæ potentiæ attribuerent. Hactenus *Vives*. Christo Jesu ergo Salvatori nostro debemus, quod melior orbis pars habeat religionem Deo convenientissimam, Deo dignissimam, cultum castum & ab omni superstitionis labe purgatum. Hæc Religio etiamsi hinc inde a male feriatis hominibus variis ingenii humani scoriis obtegatur, emicat tamen satis, si rite perpendatur, divina illius Origo & admirabilis pulchritudo, adeo ut ea nihil excellentius, nihil ad perficiendam hominis mentem aptius excogitari possit. Miramur & stupemus igitur merito, βαρβαροφωνες ἀνθρωπες την ἑλληνικην ευγλωττιαν νενικηκοτας, καὶ τες κεκομψευμενες μυθες παντελως ἐξεληλαμενες, καὶ τες ἁλιευτικες σολοικισμες τες ἀττικες καταλελεκοτας ξυλλογισμες i. e. *homines barbari Sermonis græcæ Eloquentiæ facundiam superasse, sciteque ornatas fabulas, penitus profligatas, piscatorumque solœcismis dissolutos fuisse atticos Syllogismos*, verba sunt *Theodoreti* p. 552. Ed. *Sirmondi*. Sine Christo & Apostolis, religio omnis in meras ineptias, tenebras, & otiosorum hominum deliramenta degenerasset: sine his præstantissimi Philosophi frustra ratiocinando, pertinacissimo morbo, qui venas omnes pervasit, medelam attulissent. Sive igitur Bonitati divinæ, sive doctrinæ ipsius præstantiæ, adscribas felicem illum successum Religionis christianæ, satis patet, majorem vim eam in animis hominum habuisse, quam *Socratis* & Celeberrimorum Philosophorum accuratissimas ratiocinationes. Scio difficultatem haud levem quosdam proposituros. Provocabunt nimirum, ut hanc efficaciam Religionis christianæ extenuent, ad *Vitam plerorumque, qui Christiani vocantur*, quæ adeo est vitiis contaminata, ut difficulter credamus, Religionem illam radices egisse in animis eorum. Utinam tam facile rem ipsam negare possemus, quam facile ostendere possumus, causas hujus perversitatis minime impedire, quo minus admiranda sit efficacia in Religione christiana ad animos hominum in melius mutandos. Sed cum hæc loci quæstio hæc gravissima examinari haud possit, ablego illos, qui hanc quæstionem movent, *ad Eximii Theologi Werenfelsii diss. quintam*, in qua hanc ipsam objectionem proponit & discutit, & *addo Excellentissimi hujus Viri, Amicum Osterwaldium, Theologum itidem & Pium & Perspicacem, qui in aureo libello, a quibusvis Theologiæ Candidatis sedulo evolvendo, de corruptionis fontibus, inter Christianos grassantis* ad hanc ipsam objectionem prolixe respondet.

det. Hoc unicum addimus, nos ideo Philosophiam *Socratis* minime deprimere, quod paucissimi ad ejus normam vitam exegerint: Sed contendimus, quantacunque fuerit ejus præstantia, longissime tamen eam infra Relig. christianæ dignitatem positam esse, non solum respectu efficaciæ, quæ ex ipsius Religionis indole petitur, sed & propter auxilium Divinum, quod Deus suppeditat illis, qui ex animo Religioni illi convenienter vivere volunt. Interim & nos *dolemus*, in tanta Veritatis luce, tam paucos reperiri, qui ad excellentissimam hanc Religionem vitam componant; *dolemus*, homines quidem de Religione disputare velle, ipsius autem præcepta sanctissima observare nolle? *dolemus*, nos hodierno tempore minime, quod olim tamen factum legimus, provocare posse, *ad emendatissimos Christianorum* mores, *tanquam ad certissimum Religionis christianæ Argumentum*. Sed hæc tamen non impediunt, quo minus divina illa Religio vim suam exerat in multorum animis. Sunt enim, Deo sit laus, non pauci, qui divinam illius vim sentiunt, & qui nondum sentiunt, fatentur tamen ipsam Religionem, in se spectatam, omnium præstantissimam esse. Unde concludimus tandem, Religionem christianam, sive indolem doctrinæ & præceptorum, sive Auctorem & discipulos, sive denique Successum ejus perpendamus, præstare multum *Philosophia Socratis*. Et hæc sunt, Venerande *Huldrice*, quæ de hoc argumento meditatus sum, non alium certe in finem, quam ut præstantiam Religionis christianæ, de cujus divina origine persuasissimus sum, extollerem, & si fieri posset, homines ad eam amandam, inducerem. Satis enim me vixisse arbitrarer, si tenuis ille labor unum tantum ab erroribus liberatum ad iter cœleste direxerit. Si minus recte præstiti, quod præstandum erat, laudabis saltem Voluntatem. Sed verbum non addam. Vale.

DIALOGUS (*)
DE
NATURA IDEARUM,
IN QUO AUCTOR PROBARE VULT,
NOS NESCIRE, QUID SINT IDEÆ.

SErena tempestas, qua Deo volente per aliquot dies usi sumus, in campum me invitavit, ut animum libris perpetim affixum jucunda deambulatione recrearem; vix autem urbis portas egressum offendit me *Paulus*, & heus, quo tendis, inquit, dulcissime rerum? Sylvam, ego inquam, & rus peto, ut oculos mentemque pascere possim: tum ille me ad villam suburbanam invitare, eodem venturos *Frontonem*, *Lælium*, & *Beatum*, Eruditos omnes, & disertos viros: assentior sine mora, & dum loquimur, ecce adsunt amicorum suavissimi. Salutamus invicem, lentoque pede progressos excipit tandem villa. Eximus in pratum, ibique ad radices arborum, molli aura flante, in circulo sedemus; jam aderant crateres cerevisiæ, & divina illa herba Nicotiana. Post varios, ut fieri solet, sermones, tandem exclamat *Beatus*: O stupendam Dei bonitatem, quæ nobis tot tantaque objecta contemplanda offert, sine quibus miserum transigeremus ævum! quam admirabilis, quam beneficus ille Deus est, in quo pura mentis acie cuncta hæc videre possumus, qui tamen passim hujus rei immemores sumus! tum *Lælius*, ut est disertus, recte admiraris stupendam Dei bonitatem ubique conspicuam;

(*) Auctor philosophandi methodum Celeberrimi *Lokii* secutus est, atque hodienum, etiamsi de Auctoribus philosophiæ recentioris præclare sentiat, magni tamen facit Illustrem Anglum.

spicuam; at in eo sapientia Ejus, & bonitas, maxime elucent, quod menti nostræ facultatem dederit, omnium objectorum ideas producendi, qua si destituta esset, frustra in exiguum hoc domicilium missa videretur; adde, inquiebat *Fronto*, quod species ab objectis ad sensus delatæ ne hilum quidem minuantur, sed cum objectis mire conspirent; tum *Phileleutherus*, qui ætate & ingenii acumine nos superat, subridere, & nescio quid tacite secum mussitare: quod ægre ferens *Beatus*, qui fit, inquit, ut in re seria rideas. Ego vero non ideo hoc facio, reponit *Phileleutherus*, quod putem rem, de qua loquimini, attentione nostra indignam esse; sed quod ex iis, quæ hactenus dixistis, ingenii humani imbecillitatem pulchre videam, dum ea, quæ quotidie menti nostræ ingeruntur ignorantes, certissime tamen scire existumamus. Vos enim, qui miram Dei bonitatem recte deprædicatis omnes, causas tamen diversissimas vestræ admirationis assertis. *Beatus* enim nos objectorum ideas in Deo contemplari, *Fronto* ab ipsis objectis species quasdam ad nos transmitti, *Lælius* ideas a nobis formari putat; parum abest, quin *Poëtæ* illud ingeminem: *tres mihi Convivæ*, cætera nostis. Ad hæc *Paulus*, aliam ego sententiam de hoc argumento foveo, cæteris ut puto omnibus magis probabilem; tum *Phileleutherus* in sinu gaudere, cæterosque cunctos diligenter intueri, tandem vero ita loqui. Video vos in viridi hoc prato per bihorium quieturos, agite ergo jucundissimum tempus amica confabulatione fallamus; non deerunt nobis objecta, licet, qua ratione menti præsentia sint, forte ignoremus; cum autem opinionum inter vos divortium sit, dividemus operas, loquendique vices ordine partiemur; tum omnes arridere, & ad colloquium hoc parati videbantur. *Phileleuthero* officium, quemlibet ordine interrogandi, propositasque in medium sententias examinandi, imponebant.

Phileleuth. Ex iis quæ hactenus dixistis omnes, colligo, vos in eo convenire, quod *Ideam* adpelletis, proximum contemplationis nostræ objectum, seu id quod menti proxime obversatur, cum de re aliqua cogitat. Hoc unum autem jam quidem quæritur, quid illa *Idea* sit; utrum substantia, an accidens; intellectualis, & ab omni materiæ mole secreta, an vero corporea; num in mente, num extra eam? Audiamus ergo, quid cuilibet vestrum de hoc argumento videatur, & ne diutius moremur, ex te *Fronto* quæro, quid de ideis illis sentias.

Fronto. Ego puto, *simulacra quædam ex ipsis objectis emanare, quæ objectis per omnia sint similia: Hæc simulacra deferuntur ad sensum com-*

communem. Sed cum ſpecies illæ corporeæ ſint, debent illæ primo ab intellectu agente ſpirituales reddi, quo facto offeruntur intellectui patienti, atque ita intellectus patiens rerum corporearum *Ideas* habet.

Phileleuth. Percepi ſententiam tuam; ſed cum non omnia ſatis intelligam, permittes, ut de ſingulis curatius quæram.

Fronto. Libere interroga.

Phileleuth. Suntne ſimulacra illa, quæ ex objectis manant, partes objectorum. v. gr. num ſimulacrum arboris, quam heic contemplaris, pars eſt ipſius arboris?

Fronto. Ita videtur.

Phileleuth. Qui fit ergo, ut arbor ad compita viarum poſita non minuatur, cum ſingulis diebus magna ſimulacrorum multitudo ex ea ad videntes deferatur?

Fronte. Tanta eorum eſt copia, ut decrementum vix aliquod animadverti poſſit.

Phileleuth. Ego certe non capio, qua ratione quotidie ſubſtantiæ alicui partes detrahi poſſint, ſine totius detrimento.

Fronto Valde minutæ ſunt illæ ſpecies.

Phileleuth. Quod ſi tam minutæ ſint ſpecies illæ, qui fit, ut objecta ipſa vere referre poſſint. v. gr. videmus omnes arborem hanc heic ante oculos poſitam proceram ſatis eſſe.

Beatus. Forte illa ſimulacra loqui poſſunt, mentique annunciare, ſe minutiſſima quidem forma prædita eſſe, at maxima tamen ſimul repræſentare objecta.

Phileleuth. At tum mentirentur.

Fronto. Noli mihi inſultare *Beate*, philoſophamur enim.

Phileleuth. Nonſolum minutiſſimas, ſed & velociſſimas oportet eſſe ſpecies illas, cum breviſſimo temporis ſpatio aliquot milliaria conficiant. Cogito jam quidem de Viro quodam erudito in Anglia degente; hoc ipſo ergo momento ſpecies illa, ne vocata quidem, trajecto mari, & peragrata Germania ad me advolavit.

Fronto. At radii cœleſtes ſimiliter celerrime moventur.

Phil. Mirum autem eſt, ſpecies illas tot terræ ſpatia emetientes, nullibi impediri, aut cum aliis quaquaverſum volitantibus miſceri.

Fronto. Multa vera ſunt, quorum rationes reddere non poſſumus.

Phil. At puto te nondum demonſtraſſe ſimulacrorum illorum exiſtentiam; at ponam jam quidem quod poſtulas: quæram ex te, utrum miſericordiæ, vel temperantiæ ideam habeas?

Fronto.

Fronto. Imo vero.

Phil. Num igitur simulacra quædam e gremio, ut ita dicam, harum virtutum prosiliunt?

Fronto. Non putaverim.

Phil. Idea tamen misericordiæ animo tuo est infixa.

Fronto. Ita.

Phil. Ergo ideas rerum possumus adipisci sine simulacris: vel enim ideam temperantiæ ut ideam abstractam contemplaris, vel ut ideam ex multis singularibus compositam; si priori modo, tum nescio qua ratione species illa rem nonnisi in intellectu existentem referre possit; si posteriori, plane concipi non potest, quomodo ex multis simulacris singularibus nihil inter se commune habentibus idea composita temperantiæ animo præsens sisti possit.

Beatus. Forte plane alius generis simulacra ad *Frontonem* deferuntur, quam ad nos.

Phil. Non male videris conjecisse, *Beate;* ego intellectum agentem mihi adesse hactenus ignoravi, eidem tamen *Fronto* mirabilem adscribit vim atque potentiam; ego res concipere debeo, ut sunt, neque in mea potestate esse situm sentio, rem plane corpoream spiritualem reddere; at mitto hæc: dic mihi *Fronto*, num judicandum est de rebus ut sunt?

Fronto. Sine dubio.

Phil. Quod si intellectus tuus agens simulacrum v. gr. montis, spirituale reddit, num ex eo inferendum, montem spiritualem existere.

Fronto. Minime.

Phil. Cui bono igitur species montis ad nos delata?

Fronto. Quia sine ea montem præsentem nobis sistere non possemus.

Phil. At species illa cum monte extra me existente nihil commune habet. Præterea nescio, quomodo intellectus agens res percipere possit ut sunt, non item patiens. Ex. gr. video avem, hujus simulacrum ad nescio quem sensum communem juxta te defertur; antequam igitur intellectus agens simulacrum illud avis spirituale reddere potest, scire debet, hoc simulacrum avem, non pulicem referre; quod si hoc est, ideas habemus antequam adsunt, quod absurdum videtur. Si non habet imagines objectorum intellectus agens, quadrata pro rotundis offeret intellectui patienti: quod si ab altera parte intellectus patiens non solum simulacrorum naturam cognoscere potest,

sed

sed & scire quam rem referant, nescio tandem quem in finem intellectus ille agens nobis datus sit. Incidit autem mihi aliud dubium, quod pace tua in medium proferam. Si omnes species ab objectis ad nos delatæ spirituales redduntur, nescio qua ratione mens judicare possit, corpora extra nos existere; illa res, quam contemplor, mere spiritualis est; teneor insuper judicare de rebus uti menti offeruntur: Hinc sequitur mea opinione, a nemine certo dici posse, utrum simulacrum animo oblatum corpus sit nec ne. Hæc efficiunt, mi *Fronto*, ut tuæ sententiæ album calculum adjicere non possim; non equidem falsam illam esse dico, at videri ita mihi, negare non possum.

Fronto. Obscurius est hoc argumentum, quam existumavi. Alia occasione accuratiori examini quæstionem submittam, interea percupio scire, quæ sententia magis vobis arrideat.

Phil. Nil jam dicam de Deo, mente, & creaturis ratione præditis omnibus; nemo mortalium, si opinionem tuam sequatur, explicare poterit, quomodo simulacra corporea ex iis ad nos transferri possint: sed video *Paulum* nostrum ad dicendum paratum, age ergo *Paule*, tu sis nobis in hac re *Apollo.*

Paul. In omnia alia eo, mi *Fronto*, neque unquam sententiam tuam concoquere potui, meliora edoctus a *Nobilissimo Carteſio*, *Philosophiæ*, ut nosti, *Restauratore summo.*

Phil. Quid ergo tu *Ideas* esse putas?

Paul. Paulo altius sententiæ meæ fundamenta repetam. Mens, secundum me, res est ab omni plane corporis labe secreta; omne quod ad eam constituendam postulatur, mera cogitatione absolvitur. In ea autem duæ cumprimis elucent facultates, nimirum facultas intelligendi, & volendi. Hæ facultates ad naturam mentis pertinent, quia sine iis nulla mens concipi potest. Ut autem de hoc vel illo cogitet mens, ad ejus essentiam non pertinet, sed modus saltem est vel accidens mentis; hæc ipsa autem perceptio mentis, dicitur *Idea.* Unde *Idea* mihi nihil aliud est, quam *certa cogitandi ratio;* erit itaque *perceptio*, *sensatio*, & *idea* unum idemque: distinguuntur sola relatione, nimirum omnis cogitatio singularis potest considerari, vel quatenus est quædam mentis modificatio; vel quatenus rem aliquam extra mentem existentem refert.

Phil. Contendis ergo, mentis naturam sola *cogitatione* absolvi?

Paul. Ita est.

Phileleuth. Unde hæc nosti?

Paul.

Paul. Quia quicquid in ea deprehendo, ad eam referri potest.

Phil. An ergo in natura mentis deprehendis vim res corporeas repræsentandi?

Paul. Intime hoc sentio.

Phil. Non quæro, utrum sentias, eam facultatem tibi adesse; sed, utrum in cogitationis natura aliquid invenias, quod ullum cum rebus corporeis, quas ideæ referunt, convenientiam habeat: ex. gr. utrum in mente aliquid reperias, quod cum figura mensæ convenientiam habeat?

Paul. Nihil invenio.

Phil. Cur ergo asseris ideam mensæ, mentis esse modificationem?

Paul. Quia rei natura hoc postulat.

Phil. Quid ita?

Paul. Contemplare hanc arborem, illius idea animo nostro obversatur, arbor ipsa non est in nobis; neque cerebri motus quicquam cum arbore commune habet; necesse est ergo, ideam arboris in mente esse.

Phil. Ergo mens aliquid habet commune cum corpore, id est arbore.

Paul. Non habet; ut jam audivisti.

Phil. Si nihil ergo mens commune habet cum arbore, sequitur, mentem arborem repræsentare non posse, sequitur mentis modificationem, & ideam arboris, res esse distinctas; semper audivi verum esse hoc axioma: *nemo dat quod non habet*: quod si juxta tuam sententiam mens, sive naturam, sive proprietates, sive modos tandem ejus consideres, mera cogitatio est, figuram arboris nunquam poterit habere.

Paul. Confundis imaginationem cum perceptione, imaginatio trahit aliquid ex corpore, non item perceptio.

Phil. Nullam ego video confusionem: per *Facultatem imaginatricem* intelligo eam vim mentis, secundum quam absentium objectorum ideas animo præsentes sistere possumus. Hæc imago, quæ animo præsens est, aut est mera mentis modificatio, aut aliquid a perceptione diversum; si prius, habebit mens aliquid cum corpore, quod repræsentat, commune, quia rem aliquam sensibilem, & figura præditam refert; si diversum quid est imago illa menti objecta a perceptione mentis, sequitur ideam, & modificationem mentis non esse unum idemque.

Paul. At imaginationi adest certus cerebri motus.

Phil. Quod si hoc maxime verum esset, de quo tamen dubitari posset, nullum præsidium causæ tuæ accederet: concessisti enim supra, certum cerebri motum cum hoc vel illo corpore, arbore v. gr. nil commune habere. Ex quo necessario colligendum, perceptionem, sive certam mentis modificationem, & ideam, non unum idemque esse; præterea aliud est, scire, me v. gr. arborem videre, aliud vero imago ipsa arboris animo oblata, prius modificationem mentis dicere possis, non item posterius.

Paul. Video hanc sententiam premi aliquot difficultatibus; putavi tamen semper posita distinctione inter imaginationem & perceptionem puram, uti loquuntur Philosophi, dubium omne tolli posse.

Phil. Sumamus ergo aliud Exemplum, visuri, utrum lucem aliquam huic argumento affundere possimus; sumamus exempli gratia, ideam temperantiæ, quando ergo cogitas de temperantia, hæc cogitatio est modificatio mentis?

Paul. Ita est.

Phil. Nosti sine dubio, quid ad naturam hujus virtutis constituendam requiratur.

Paul. Probe novi.

Phil. Quæro ergo ex te, qua ratione fieri possit, ut una modificatio mentis res diversis proprietatibus distinctas simul tamen, repræsentare possit?

Paul. Hæc idea, ut in scholis loquuntur, collectiva est.

Phil. Sit ita, est tamen secundum te mentis modificatio, & quidem sola, quomodo autem sola modificatio res distinctas uno ut ita dicam momento repræsentare possit, non intelligo; sed ne forte minus clare, quod sentio proponam, alio Exemplo utar; an non cum oculos aperis multa simul vides objecta?

Paul. Video cœlum, aquam, arbores, villas, aliaque.

Phil. Annon ideæ illorum objectorum multum inter se differunt?

Paul. Differunt.

Phil. At quomodo tandem fieri potest ut mens, res simplicissima, objectorum diversissimorum ideas possit referre? num fieri posse credis, ut corpus unum idemque ita possit moveri, ut simul quadratum, rotundum, ellipticum, conicum, &c. sit?

Paul. Non puto; interim meminisse debes, mentis naturam non satis esse notam.

Phil.

Phil. Recte dicis; at non ideo licet quidlibet de ea adfirmare: quæ hactenus dixi, probant, aut in mentis natura aliquid esse, quod figuram corporis recipere possit; aut perceptionem, sive modificationem mentis, uti loqui soletis, aliquid ab idea diversum esse; prius admittere detrectas, videtur igitur posterius esse dicendum; at alia sunt, mi *Paule*, quæ mihi persuadent, sententiam tuam nullis esse superstructam fundamentis.

Paul. In medium ergo proferto, audiam.

Phil. Dixisti supra, perceptionem, sensationem, & ideam unum idemque esse, nimirum certam mentis operationem.

Paul. Adhucdum ita sentio.

Phil. Mittamus jam perceptiones, & loquamur de sensationibus: quando sacharum gustas vel aceto uteris, sentisne aliquid?

Paul. Quis negat?

Phil. Num hæc sensatio modificatio mentis est?

Paul. Est.

Phil. An tu habes ergo ideam dulcedinis perceptæ occasione usus sachari?

Paul. Non habeo, sed sentio saltem.

Phil. Ergo sensatio & idea differunt; ergo modificatio mentis, & ideæ, res sunt diversæ; rursus si cultello læditur digitus tuus, annon sentis dolorem?

Paul. Imo vero sentio, & nuper hoc satis superque expertus sum.

Phil. Hæc sensatio molesta sine dubio est quædam mentis adfectio, quam tu modificationem adpellas.

Paul. Est.

Phil. Num igitur hæc sensatio ideam exhibet, vel doloris vel cultelli?

Paul. Non exhibet.

Phil. Ergo idea, & sensatio non unum idemque sunt. Omnium Philosophorum consensu, sensationum nullam habemus ideam; hinc interrogati, quid sit dulce, quid amarum, respondere nil possumus. Secundum te, id quod in nobis est, confunditur, cum perceptione rerum extra nos positarum; quando lædimur cultello, dolorem menti nostræ inesse sentimus, at cum arborem videmus, non possumus judicare, arborem esse intra mentem nostram: conscii enim nobis sumus, arborem, quam contemplamur, extra nos esse: imo si verum dicendum, hæc sententia tua, mi *Paule*, præceptis Nobilissimi tui Præceptoris

ris repugnat; partim enim judicas de re, cujus perspicuam notionem non habes; partim aliquid menti tribuis, quod cum natura rei cogitantis pugnat. Utrumque præceptionibus *Carteſii* contrarium.

Paul. Tu ſcilicet ſapientior, & acutior es *Carteſio.*

Phil. Noli iraſci, non hoc agimus; videsne hunc montem;

Paul. Cæcus ſit, qui non videat.

Phil. Cum hæc idea montem referens, nonniſi modificatio mentis ſit, neceſſario menti ineſſe debet aliquid figurati; montis enim ideam ſine hoc habere non poſſem, certa figura inſtructum eſſe competit corpori, non menti. Si hæc vera ſunt, quod mihi quidem videtur, peccas, mi *Paule*, contra duo illa principia *Præceptoris* tui.

Paul. Tantum abeſt, ut mea adſertio contraria ſit decretis Præceptoris mei, ut nihil magis cum iis conſpiret; clara & diſtincta perceptio eſt Criterium Veritatis ſecundum *Carteſium*, atqui clare, & diſtincte ſentio, animum meum facultatem habere ideas varias intuendi.

Phil. At hoc non quæritur, mi *Paule*: in eo Philoſophi, cuicunque tandem Sectæ addicti, conveniunt, mentem ideas oblatas qualitercunque contemplari; quæritur, utrum ideæ ſint mentis modificationes, vel aliud quid a mente diverſum.

Paul. Num igitur putas impoſſibile eſſe Deo, efficere, ut occaſione motus cerebri in mente idea excitetur?

Phil. Nec hoc quæritur. Hactenus enim non diſputamus de origine idearum, ſed de earum natura; ſed quoniam te pertinaciorem eſſe video in defendenda Magiſtri tui opinione, en Syllogiſmum cornutum! aut in omnibus mentis modificationibus adeſt idea, rem extra nos exiſtentem referens, aut in quibusdam tantum; Si omni modificationi mentis adjuncta eſt idea, ſequitur, non ſolum cum noſtris ſenſationibus omnibus eſſe conjunctas ideas, ſed & dolorem v. gr. voluptatem, quam ſentimus, extra nos exiſtere, quod abſurdum: ſi in quibusdam tantum cogitandi modis adſunt ideæ, ſequitur, certum cogitandi modum & ideam, non abſtractione ſolum mentis, ſed revera inter ſe diſtincta eſſe.

Paul. Urges ea quæ ſupra jam monuiſti.

Phil. Ita eſt, at nihil a te allatum eſſe memini, quod nodum ſolvat; forte majorem huic argumento affundet lucem *Beatus.* Ego enim, ut verum fatear, hactenus ignoro, quid ſit idea.

Tum *Beatus.* Non adeo mihi ſuffenus ſum, ut credam, me aliquid vos docere poſſe, quod neſciatis; interim ne κωφον προσωπον eſſe videar,

videar, fallendi temporis causa sententiam meam in medium proferam. Inter Philosophos, quos proxime præteritum seculum protulit, magnam nominis famam adeptus est *Nicolaus Malebranche*. Hujus methodus philosophandi vehementer mihi arrisit, quod maxime sublimia cognitionis humanæ capita inusitata perfundat luce, mentemque ad pietatis studium mire quantum inflammet. Acutissimus ille Vir naturam *idearum*, quantum mihi cernere datum, perspicue designabit.

Phil. Gratissimum igitur feceris, si sententiam ipsius nobis edisserueris, atque argumenta, quibus innititur, protuleris.

Beatus. Faciam quantum potero. Putat Doctus ille Vir, *nos omnia in Deo videre*, mentem nostram proxime cum Deo esse conjunctam; in Deo, qui omnia creavit, omnium rerum esse Archetypa: horum *ideas* menti ingeri, seu potius in Dei natura contemplandas offerri, quoties cerebrum nostrum ab objectis externis certa ratione adficiatur; argumenta, quibus suam sententiam probat *Malebranche*, mox subjiciam; sufficiat jam quidem opinionem ipsius enarrasse.

Phil. Non satis intelligo quid velis: pace igitur tua unum alterumve ex te quæram, ut difficilem illam captu sententiam probe cognoscam. Dixisti, nos omnia in Deo videre, eumque omnium possibilium idearum prototypa in se comprehendere.

Beat. Ita est.

Phil. Suntne ideæ illæ, quæ in Deo sunt, & quas nobis contemplandas offert, ipsa perfectissima Dei natura, vel aliquid a Deo diversum.

Beat. Non tam quæritur, quomodo ideæ in Deo sint, sed utrum nos eas in Deo contemplari possimus; perinde ergo mihi erit, quid de ideis in Deo subsistentibus statuas.

Phil. Ponamus ideas, quas in Deo dicimur contemplari, nihil aliud esse, quam ipsam essentiam divinam, certa & determinata ratione ita modificatam, ut in scholis loquuntur, ut hoc vel illud objectum referat; Ex. gr. video hanc arborem, occasione arboris hujus Deus mihi in sua natura contemplandam offert ideam arboris: estne idea arboris ab omnibus aliis objectis distincta?

Beat. Ita est. Quid inde?

Phil. Ergo perfectissima Dei natura aliquid cum arbore debet commune habere.

Beat. Nil habet.

Phil. Quomodo ergo ideam arboris, ab idea domus distinguere pos-

possum? utriusque rei idea est perfectissimæ naturæ divinæ quædam modificatio. Quod si perfectissima illa cogitatio Dei una eademque est, quæ arborem referat & domum, nescio quomodo eas distinguere possim; Si vero perfectissima illa modificatio mentis divinæ, quatenus arborem refert, distincta est ab ea, quæ domum repræsentet, debet aliquid in perfectissima natura Dei contineri, quod cum corpore, id est arbore, vel domo relationem habeat; quamvis enim omnia in Deo excellentissima ratione subsistant, non possumus tamen ea aliter intelligere, quam instituta quadam cum mentis nostræ natura, & proprietatibus, comparatione; at supra audivisti, neminem intelligere posse, qua ratione mens ab omni mole corporea secreta rem tamen corpoream referre possit; quod si igitur dicas, ideas Dei nonnisi perfectissimæ naturæ divinæ modificationes esse, in easdem difficultates incidis, quando de ideis rerum corporearum sermo est.

Beat. Nunquam dixi, me rationem, qua Deus intelligit, explicaturum.

Phil. Putasti tamen, nihil esse absurdi, si dicamus, ideas quas mens contemplatur, nonnisi naturæ & essentiæ divinæ esse modificationes. Pone autem, ideas illas aliquid esse a perfectissima natura Dei diversum, quæso quomodo asserere possumus, nos in Deo omnia contemplari, cum tamen, utrum in eo sint, certo cognosci non possit? vel quid tandem sunt illæ ideæ, & ubi sunt, si eas a perfectissima illa Dei natura separes? Novi Philosophos dicere, in Deo esse mundum intelligibilem, eum perpetim Deum contemplari; at si quæras, ubinam tandem sit ille mundus, Deum ipsum eum esse audies, & postquam plurima de eo dixerunt, nihil aliud tandem edoceris, quam, Deum omnium rerum habere ideas. Atque ita rem non magis intelligis, quam antea; utcunque autem hæc sint, alia sunt quæ me impediunt, quominus sententiæ tuæ subscribam. Quæro ex te. mi *Beate*, quid per *corpus* intelligas.

Beat. Agitur de *ideis*, & tu quæris de *corpore*; dicam tamen: corpus est substantia extensa in longum, latum, & profundum.

Phil. Non quæro, quibus potissimum proprietatibus instructa sit materia, sed quid sit?

Beat. Corpus nihil est aliud, quam agglomeratio infinitarum partium, quarum quælibet corpus constituit.

Phil. Recte respondes; Ponamus igitur corpus quodcunque in mille partes divisum, sumamus millesimam partem corporis illius, quæro ex te, quid partis hujus nomine intelligas? *Beat.*

Beat. Nihil aliud quam corpus ex innumeris corpusculis minoribus constans.

Phil. Cum ergo omne compositum necessario ex simplicibus constet, corpus vero omne, licet tenuissimum, simplex non sit, necesse est subtilissima tandem corpuscula in unum aliquod simplex resolvi.

Beat. Ita est; & hoc simplex, *atomus* est, vel si mavis *monas*.

Phil. Num atomus vel monas corpus est, an spiritus?

Beat. Neutrum.

Phil. Quid tandem est?

Beat. Ignoro, sufficit quod ratiocinando eo necessario deveniendum sit.

Phil. At si hoc ignoramus, nescimus tandem, quid corpus sit.

Beat. Quo delaberis? putavi te de *ideis* dicturum.

Phil. Id ago. Deus omnium rerum habet ideas, & quidem perfectissimo modo, nos contemplamur ideas omnes in Deo; ergo omnium corporum habemus perfectissimas ideas.

Beat. Falsum hoc esse, jamjam dixi.

Phil. Quomodo igitur rerum ideas in Deo contemplari possumus, si nostræ ideæ de rebus corporeis imperfectæ sunt? certe non datur tertium; aut ideæ rerum omnium, si eas in Deo contemplamur, sunt perfectissimæ, aut non omnia in Deo contemplamur; prius cum neges, posterius admittas necesse est.

Beat. Falleris. Deus in hoc negotio imbecillitati humanæ sese accommodat.

Phil. Quid hæc verba significent, non intelligo.

Beat. Deus novit homines esse finitos, neque adeo rerum perfecte cognoscendam capaces; igitur ideas, prout eorum ingenio convenit, contemplandas sistit.

Phil. Num igitur ideæ de una eademque re in Deo sunt diversæ, ita ut v. gr. ideam habeat mentis, 1. Tanquam subtilissimi aëris, aut ignis. 2. Fluidi nervei. 3. Rei cogitantis?

Beat. Minime.

Phil. Ergo dicendum, aut nos non omnia in Deo videre, aut perfectissimas esse ideas nostras, talesque, quales Deus ipse contemplatur; posterius cum falsum sit, ipso te fatente, quid de hypothesi tua sentiendum sit, dispexeris ipse; at idea corporis aliud mihi in mentem revocat *Beate.* Nosti plerasque ideas nostras compositas esse.

Beat.

Beat. Novi.

Phil. Ideæ virtutum & vitiorum, quatenus non abstracte, sed multis ideis singularibus constantes considerantur, sunt compositæ.

Beat. Quis dubitet?

Phil. Ergo eas in Deo contemplamur.

Beat. Sine dubio.

Phil. Quod si igitur ideam fornicationis animo fistam præsentem, cum omnibus quæ hoc vitium absolvunt, num eam in Deo video?

Beat. Absit.

Phil. Unde ergo compositæ illius ideæ præsentia?

Beat. Caste philosophandum; aliud exemplum adhibe.

Phil. Scis omnia quæ ad iram, qui brevis furor est, designandam postulantur.

Beat. Scio.

Phil. Quod si igitur omnia, quæ in vitii hujus idea continentur, in Deo videam, necessario colligendum, res fœdissimas in Deo videri, aut falsum esse, quod ais, nos omnia in Deo videre.

Beat. Noli eos imitari, qui consectariis ab invidia petitis dissentientes urgere solent.

Phil. Non hæc consectaria a te credi dico, sed quid mea opinione, ex positis a te principiis sequi videatur, expono.

Beat. Ideæ vitiorum illorum abstractæ sunt.

Phil. Scio eas ita considerari posse; sed de hoc non agitur; quæritur, utrum ideæ singulares omnes, ex quibus collectiva illa idea componitur, in Deo sint, atque a mente humana in eo videri possint. Quicquid dicas, captus eris, imo amplius dico, mi *Beate*, si omnia in Deo videmus, omnes ineptæ imaginationes, visiones, & delirantium phantasmata, dicenda sunt in Deo videri.

Beat. Viris tamen hæc parcius objicienda memento.

Phil. Necessario hæc ex sententia tua, vel *Malebranchii*, si mavis, colligi possunt. At quoniam odisti & arces eos, qui per consequentias dissentientes urgent, mittam hæc; & quæro ex te, utrum Deus nobis volentibus, vel nolentibus etiam, ideas in se contemplandas offerat.

Beat. Video quo tendas, at suppone quicquid volueris, ad argumenta provoco.

Phil. Ponamus, etiam nolentibus nobis repræsentari a Deo ideas;

ideas; quæro, unde tandem impuriſſimæ imagines, resque Deo inimiciſſimæ, quæ ſæpe piis ingeruntur, eorumque mentes miſere lancinant, quasque ardentiſſimis precibus fruſtra ſæpe in fugam conjicere tentant, originem trahant?

Beat. Hæ imagines vel temperamento, vel malo alicui genio ſunt tribuendæ.

Phil. At ita non omnia in Deo videremus; pone contra, nobis volentibus ideas illas ſpectandas exhiberi. Quis quæſo cauſam reddet, cur infinita ignoremus, quæ tamen ſcire noſtra non parum intereſſet, v. gr. de origine mali moralis & phyſici? at cum ad argumenta provoces, ſilentio hæc ſunt transmittenda: unum tamen, antequam argumenta illa tua audiam, ex te quærere lubet. Nimirum credis ſine dubio, homines quinque ſenſibus inſtructos eſſe, neque dubitas, quin Auctor generis humani rationes habuerit ſapientiſſimas, cur ita finxerit homines.

Beat. Quis adeo ineptus eſt, ut hæc non admittat?

Phil. Num proprie loquendo oculis videmus, auribus audimus?

Beat. Non; Deus enim objectorum ideas in ſe contemplandas offert.

Phil. Ideam ergo arboris ante nos poſitæ in Deo videmus?

Beat. Videmus.

Phil. Quod ſi ex duro marmore homines conſtarent, & vis intelligendi eidem adjecta eſſet, num ſimiliter objectorum ideas in Deo contemplari poſſemus?

Beat. Poſſemus.

Phil. Ergo nullam cauſam video, cur *Deus* nobis oculos ad videndum dederit; fallor quotidie, cum exiſtumo, ope ſenſuum externorum rerum repræſentamina ad mentem deferri; neſcio quid ſibi velint tot objecta extra me exiſtentia, quorum nullum proprie loquendo contemplari poſſum. Fallor, cum ex mirabili ſtructura organorum externorum colligo, ad finem optimum ſapientiſſimumque a Conditore rerum omnium ea facta; tu tamen ſupra dixiſti, ſenſus ab optimo Numine non ſine rationibus graviſſimis nobis conceſſos.

Beat. Jam ſupra dixi, non opus eſſe, ut omnibus difficultatibus ſatisfiat; ſufficere, ſi ſententia hæc perſpicuis argumentis poſſit probari.

Phil. At ſi opinio in ſe ſpectata abſurda ſit, num tu argumentis efficies, ut pulchra, ſolida & quid non ſit?

Paulus. Audiamus illius argumenta; vix laqueos tuos, *Phileleuthere*, effugiet.

Phil. Producito ergo, *Beate*, solida illa argumenta.

Beat. Primum meum argumentum petitum est a *decentia Virtutum divinarum.* Enti sapientissimo perfectissimoque convenit, res omnes, momentosas cumprimis, per simplicissimas rationes & modos efficere: ubi compendio res fieri poterit, ambagibus sapiens non utetur; atqui facilius Deus hominis menti ideas omnium rerum in se contemplandas exhibere potest, quam vero eandem ita creare, ut eas demum occasione objectorum in mente producere teneatur.

Phil. Audivi argumentum; ut vim ejus intelligam, quæro ex te, utrum Deus, si quando aliquid vult creare, potentiæ duntaxat suæ rationem habeat, vel utrum ideas rerum efficiendarum simul contempletur, earumque etiam rationem habeat?

Beat. Sine dubio: hæc etiam perfectissimæ menti obversantur.

Phil. Num igitur Deus perspexit, fieri posse, ut in administratione rerum omnium futurarum, contingentium præsertim, per vias, quas vocas simplicissimas & brevissimas, ad finem operum perveniret; v. gr. an Deus, antequam genus humanum crearet, non habuit ideas populi Judaici, legum optimarum, fatorum gentis ad idololatriam proclivis, præceptorum Religionis christianæ, &c. &c.

Beat. Habuit.

Phil. Num autem æque facilis ad æternam felicitatem perveniendi via tibi videtur in Vet. & Nov. Testamento?

Beat. Non videtur.

Phil. Ergo Deus non semper ea media ad finem perveniendi adhibet, quæ nobis videntur simplicissima; alioquin Deus hominibus omnibus omnium rerum scitu necessariarum ideas impressisset, & ad pie vivendum ita cunctos potentia sua disposuisset, ut a vero rectoque ne in minimis quidem aberrare potuissent.

Beat. Contrarium tamen videtur esse virtutibus divinis, si dicatur Eum non simplicissimis uti mediis, ad scopum, quem intendit, perveniendi.

Phil. Cum de administratione rerum omnium loqueris, non debes virtutes divinas solas abstracte, ut in scholis loquimur, considerare, sed cum iis conjungere debes Dei sapientiam, in quo omnes rerum proprietates, circumstantiæ, nexus, eventus, simul comprehenduntur.

Beat.

Phil. Nemo mortalium: hinc colligo, nos homunciones frustra de simplicitate viarum Dei disserere; quis verbi gratia judicabit, utrum splendidum aliquod ædificium faciliore & magis compendiosa ratione exstrui potuerit, si ipsi plane ignotæ sunt rationes, quas habuit Dominus ædificii? Deum quod attinet, immensa est cogitationum ejus varietas & altitudo; rerum administrandarum innumerus numerus atque diversitas est; harum diversa natura & constitutione finibusque, quos intendit sapientissimum Numen, innititur administrationis divinæ ratio: neque circa exiguum hoc punctulum, quod terram vocamus, unice versatur Dei cura; immensi restant orbes in vastissimo universo, quibus regendis invigilat adorandus mundi Rector. Harum rerum omnium vix particulam aliquam perspicue cognoscimus, cum omnia cohæreant, atque ultimi diei exitus demum totius administrationis divinæ, quatenus id scire nostra interest, rationem docebit; neque opus est, mi *Beate*, ut ad hoc quod dico probandum ad varia exempla in regno Naturæ & Gratiæ occurrentia provocemus; id enim ipsum, de quo disputamus, argumenti loco sit; ad cognoscenda rerum objecta nihil simplicius tu fieri posse putas, quam si Deus ideas objectorum nobis in se contemplandas offerat; ego vero idem simplicissime fieri potuisse crediderim, si Deus mentem facultate ideas excitandi ornasset. Cum utrumque æque facile facere possit Deus, quis judex inter nos erit, litemque componet? Opus esset ad hoc cognoscendum extraordinaria Dei revelatione; Hæc cum a nemine exspectari possit, temerarium esse videtur, ita concludere: hæc vel illa res aliter fieri debuisset, quoniam Deus secundum opinionem meam faciliore longe ratione eam efficere potuit; vel cur quæso Deus menti nostræ adjecit corpus, a quo sæpe in ratiocinando impeditur, cum tamen, si ita ratiocinari fas est, Deus vel sine eo omnium rerum ideas imprimere potuisset? cur sensus externos dedit, & tamen secundum te menti omnia corpora in se contemplanda offert? Infinita in medium proferre possem, quæ nostram circa hoc argumentum ignorantiam evidentissime demonstrarent, nisi hic locus esset habendus temporis. Ignosce igitur, si dicam, argumentum tuum mihi videri plane imbecillum.

Beat. Audi ergo aliud argumentum, priori, mea opinione, longe fortius.

Phil. Lubens audiam.

Beat. Si mens humana ideas in Deo contemplatur, tum etiam

respectu cognitionis suæ a Deo dependet. Hæc autem sententia sine dubio Dei virtutibus convenientior est, quam si dicatur, mentem ideas per se producere, aut vim habere eas eruendi occasione objectorum. Ita enim homo cognoscit, se prorsus in omnibus a Deo pendere, simul vero Dei Majestas maxime simul ita extollitur. Hinc & S. Literæ hanc sententiam confirmant, teste *Paulo* 2. *Cor. III. v.* 5.

Phil. Nescio, quid voce *dependere* intelligas, cum dicis, necesse esse, ut respectu cognitionis omnis, quæ per ideas adquiritur, homo a Deo dependeat.

Beat. Hac voce significare volo, quod proprie loquendo nec mentes nec corpora agant, sed quod in mentibus Deus omnes ideas effingat, actionesque producat; hoc enim si negaretur, creaturæ non penderent a Deo.

Phil. Non video, qua ratione negetur Dei independentia, si dicatur, hominem ideas excitare posse, atque respectu voluntatis aliquid agere; nemo dixerit, filium a parente non pendere, si concedatur, eum aliquid agere posse.

Beat. Virtutibus tamen divinis magis convenit, si dicamus creaturas prorsus nil agere posse.

Phil. Tantum abest, ut hoc concedam, ut potius asseram, hanc adsertionem omnibus Dei virtutibus esse contrariam; nam si mens omnes ideas in Deo contemplatur, si omnes sensationes & voluntatis inclinationes Omnipotentis Dei effectus sunt, sumus revera alienis nervis mobile lignum, neque a lapide aut trunco, vel hilum differimus; sequeretur, naturalem & supranaturalem Religionem, quæ contrarium manifestissime docet, ad fallendum hominem excogitatam, &c. &c.

Beat. Noli æstu disputationis abripi; serena mente de hoc argumento judica.

Phil. Si velis, ego consectariorum meorum vim tam evidenter probabo, quam solent Mathematici; at ita longius progrederemur, quam temporis limites permitterent; hoc unum dico, si vel maxime illam creaturæ dependentiam tueri velis, id æque facile fieri posse, si dicas, Deum occasione objectorum in mente nostra excitare ideas, quam si contendas, Deum eas in se contemplandas offerre. Hinc propugnatores *Systematis*, uti vocatur, *Causarum occasionalium* ea, quam dixi, via ingrediuntur. Ab utili saltem argumentaris, quæ disputandi ratio innumeris obnoxia est difficultatibus.

Beat.

Beat. At Scriptura *Malebranchii* opinionem confirmat.

Phil. Si locum citatum Apostoli inspicias, videbis, plane ibi de alia re sermonem esse, quam de origine idearum nostrarum; *Malebranchium* tuum magni æstimo, nec, quod in multis erravit, eum plane sperno, nedum inter *Atheos* refero, quod *Harduinus Jesuita*, homo audax, sæpe fanaticus, fecit; ipse quinetiam *Illustris Leibnizius*, prorsus alii sententiæ addictus, librum *Malebranchii de inquirenda veritate*, *un Chef-d'œuvre* adpellare solebat; hoc tamen non obstante, fatendum, eum artem interpretandi S. Literas plane ignorasse; quod si nulla alia argumenta probarent, satis id constaret ex iis, quæ ad hanc suam thesin probandam adfert; nullo enim habito respectu verborum, phrasium, scopi, omnia ad Metaphysicorum μετεωρισμες torquet, ita ut putares, Scriptores sacros quam maxime solicitos fuisse, ut idearum originem & naturam nobis ostenderent; adeo verum est illud Cl. *Werenfelsii* de S. Literis Epigramma:

Hic liber est in quo, quærit sua dogmata quisque,
Invenit & pariter dogmata quisque sua. (*)

Beat. Verum est, abripi se aliquando fuisse passum rerum subtilissimarum contemplatione Virum Doctissimum, placebunt tamen opiniones illius, quoniam ad Dei virtutes extollendas unice videbantur excogitatæ.

Phil. At sæpissime nescio quorum mysteriorum loco verba tantum, aut imaginationis lusus nobis dedit.

Beat. In hoc ipso, quo versamur negotio, hoc quod dixi patet. Utitur enim argumento ad sententiam suam probandam, quod ad deprædicandas Dei virtutes egregie comparatum est.

Phil. Expone ergo illud.

Beat. Finis operum divinorum, seu ut clarius loquar, causa cur Deus hoc vel illud agat, est Dei ipsius gloria: necesse igitur est, ut non solum amor noster unice in eum feratur; sed &, ut cognitio nostra ab eo, & ad eum dirigatur; nam quod a Deo venit, ad eum denuo tendat necesse est; cum igitur Deus intellectuales substantias creaverit, voluit sine dubio, ut in se opera divina contemplentur. Quod

(*) Vide libellum lectu dignum Amstelodami A. 1685. in forma, quam vocant, duodecima editum. Titulus est: *Entretiens sur diverses Matieres de Theologie.* Lege inprimis quæstionem quartam de l'Incertitude de la Metaphysique &c. Auctores sunt J. *Clericus* & C. *le Cene.*

si enim objectorum ideas mens in semetipsa viderit, impediretur, quominus in solius Dei contemplatione unice mens defixa esset.

Phil. Ignosce, si dicam, hæc omnia quæ narrasti ex parte saltem a me intelligi; permittes igitur, ut quæram, quam potestatem propositionibus singulis subjicias: Finem, ad quem actiones divinæ tendant ais, esse ipsum Deum, vel ipsius gloriam?

Beat. Ita sentio.

Phil. Num hæc verba significant, Deum universum ita condidisse, ut laudem divinæ Sapientiæ, Bonitatis, & Potentiæ, creaturæ ratione præditæ ipsi soli tribuant; an vero hoc tibi vis, Deum in creatione universi unice Potentiæ suæ rationem habuisse?

Beat. Priorem, non posteriorem, interpretationem adprobo.

Phil. Quod si hæc mens tua est, nil video quod inde ad sententiam tuam comprobandam erui possit.

Beat. At ego video. Sequitur enim inde necessario, necesse esse, ut amor noster & cognitio unice ad eum tendant.

Phil. Pace tua dixerim, ne nunc quidem, quo tendas, video.

Beat. Si ideas objectorum non in Deo sed mente mea contemplarer, cognitio mea deberet defigi in contemplatione objectorum, non Dei; unde sequeretur, mentem non esse factam propter Deum, sed propter objectum ipsum; quod tamen iis ipsis, quæ concessisti, contrarium est.

Phil. Quæso exemplum aliquod profer, ut res melius intelligatur.

Beat. Si Deus substantiam aliquam cogitantem crearet, eique ideam lunæ imprimeret, tum Deus spiritum illum non in sui, sed lunæ gratiam condidisse dicendus esset; cum autem Deus creaturas non alium in finem creare possit, quam ut eæ, siquidem intelligendi vi instructæ sunt, ad Auctorem suum tendant, necesse est, ut ideas omnes in ipso Deo contemplentur.

Phil. Utamur allato exemplo: estne idea lunæ idea rei extra nos existentis?

Beat. Est.

Phil. Deus ergo vult, ut ideam lunæ habeam?

Beat. Vult.

Phil. Idea lunæ, & idea Dei suntne diversæ?

Beat. Quam maxime.

Phil. Quid ergo prohibet, quo minus lunam videns colligam, eam

eam existere, & ab alio longe potentiore originem habere, sive jam idea lunæ in Deo, sive in mente mea sit? cum enim in idea lunæ nihil sit, quod cum idea Dei confundi possit; colligo, undecunque tandem orta sit illa idea, me non propter lunam existere; sed ut cognita existentia lunæ, Dei infinitam Potentiam, Bonitatem, atque Sapientiam deprædicem. Pone, ut omnium rerum, sic & Dei ideam, menti ab ipso conceptionis momento esse impressas atque insculptas, sequetur necessario, ideam Dei, causæ primæ atque æternæ, ab ideis rerum contingentium fore diversam; unde facile erit colligere, Deum ipsum tanquam causam existentiæ reliquorum Entium esse considerandum. Vides exinde, respectu gloriæ divinæ perinde esse, utrum ideæ omnium objectorum in Deo videantur, vel utrum mens ita a Deo fuerit condita, ut occasione objectorum ideas ex proprio, ut ita dicam, sinu educere possit. Vanum igitur est periculum illud, quod imminere omnibus illis putas, qui ideas non in Deo videri autumant, existumans, eos in objectis rerum creatarum, tanquam in causa prima fiduciæ atque amoris præsidium quæsituros. Vides simul *Malebranchium* tuum nil dixisse præter ea, quæ in omnibus Philosophorum systematibus de hoc argumento dicuntur. Omnes clamant, mentem contemplatione creaturarum ad virtutes divinas celebrandas excitari debere. Quoniam autem video tibi ad manus esse *Malebranchii* librum *de inquirenda veritate*, aperi quæso *Lib. III. Cap. VI.* & lege quæ huc pertinent elata voce, ut & cæteri grande hoc mysterium audiant.

Beat. Legam: verba ad quæ digitum intendis, sic sonant: *Il est impossible, que Dieu ait d'autre fin principale de ses actions que lui-même: c'est une notion commune à tout homme capable de quelque reflexion, & l'Ecriture Sainte ne nous permet pas de douter, que Dieu n'ait fait toutes choses pour lui. Il est donc necessaire, que non-seulement notre amour naturel, je veux dire le mouvement, qu'il produit dans notre Esprit, tende vers lui, mais encore que la connoissance, & la lumiere, qu'il lui donne, nous fasse connoitre quelque chose, qui soit en lui: car tout ce qui vient de Dieu ne peut être que pour Dieu, ne peut donc faire un Esprit pour connoitre ses ouvrages, si ce n'est, que cet Esprit voye en quelque façon Dieu en voyant ses Ouvrages; desorte que l'on peut dire, que si nous ne voyons Dieu en quelque maniere, nous ne verrions aucune chose*, &c.

Phil. Hæc verba aut plane nihil significant, suntque adeo, quod Galli vocant *un jeux des mots*, aut exprimunt id, quod omnes dicunt; nimirum, contemplationem creaturarum in mente excitare ideas perfectissi-

fectissimarum Dei virtutum, eumque in finem Deum O. M. rerum pulcherrimarum seriem hominum oculis subjecisse; quod si hoc velis adpellare, *videre Deum in operibus suis*, non repugno; at inde non sequitur, omnium rerum ideas in Deo videri.

Beat. Magis tamen extollere videtur hæc sententia infinitam Dei ὑπεροχην, quam aliorum opiniones.

Phil. Videtur equidem, si ad verba, non sensum verborum attendas; ni fallor enim, abunde ostendi, quantis difficultatibus hæc sententia obnoxia sit. Quod si tamen omnia tibi concederem, nil hactenus lucrati essemus; quæritur enim semper, quid sit idea.

Beat. Multa essent, quæ addere possem; at vereor, ne quis me loquaciorem & pertinaciorem esse putet, quam confabulationis nostræ ratio postulat; lubens igitur loquendi provinciam aliis trado. Interim sitis faucem urget, cumque adsit lætitiæ dator Bacchus, hauriamus amici spumantem pateram.

Paul. Plus sane voluptatis percepi ex hoc uno hausu, quam ex universa vestra *de natura idearum* disputatione; at audiendus est etiam *Lælius* noster, ille forsan *Phileleuthero* assensum extorquebit, efficietque, ut in posterum ad ἐποχην suam confugere non possit. Quid igitur, tu *Læli*, de argumento disputationis nostræ sentis?

Læl. Non sine voluptate hactenus audivi, quæ utramque in partem a vobis disputata sunt; opiniones *de natura Idearum* hactenus allatæ, ingeniosæ potius, quam veræ videntur; interim, ut verum fatear, facilius est dicere, quid non sint ideæ, quam quid sint. Ne autem prorsus ἀσυμβολος sim, dicam, quæ sententia mihi videatur omnium quam maxime verosimilis.

Phil. Beabis nos, *Læli*, si tuam nobis communicabis de hoc argumento sententiam.

Læl. Ego hac in re cumprimis attendendum esse puto ad ea, quæ quilibet in se descendens sentit; atqui certum est attendentibus ad ea, quæ in nobis fiunt, *ideas* ab ipsa voluntate hominis, occasione quorundam cerebri motuum creari, vel produci.

Phil. Fitne hæc idearum productio mente sciente ac volente, an vero nolente?

Læl. Volente.

Paul. Quando mens ejusmodi ideas formare vult, num in genere vult, ut ideæ præsentes sint, an vero requiritur, ut hæc, non alia, idea præsto sit?

Læl.

Læl. Sine dubio postremum velle debet.

Phil. Ergo habet ideam alicujus rei, quam adesse vult, antequam velit, ut adsit, quod contradictorium?

Læl. Rem non recte capis; sufficit adesse voluntatem, qua posita idea formatur.

Phil. Nullus mortalium intelligit, qua ratione artifex certam atque definitam machinam construere possit, nisi prius ipsius rei efficiendæ anteceptam animo habeat imaginem: ideæ, secundum te, rerum sunt repræsentamina; necesse est ergo, voluntatem velle, non ut adsit promiscue idea, sed ut talis vel talis adsit idea, objecto conformis. Quod si autem voluntas ideas pro lubitu creare potest, unde tandem fit, ut plures ideæ nobis invitis adsint?

Læl. Quia mens sæpius non attendit ad voluntatis suæ decreta, hinc nescit, se hanc vel illam ideam eruere voluisse.

Phil. Ergo plane causa nulla est, cur ideæ adsint; putavi autem hactenus, nil fieri sine causa.

Læl. Voluntas causa est.

Phil. At voluntas, nisi in certum objectum feratur, nihil velle dicenda est.

Læl. Exemplo rem declarabo; vides heic avem arbori insidentem?

Phil. Video.

Læl. Occasione objecti hujus ad sensus delati, cerebrum nostrum certa ratione movetur; moto cerebro voluntas vult, ut idea objecto, id est avi, conveniens adsit; ea volente præsto est.

Phil. At avis hujus idea menti meæ præsens fuit, antequam ulla voluntatis inclinatio interceſſit; quamprimum enim oculos in arborem hanc sustuli, vidi volens nolens avem arbori insidentem; ergo voluntas non potest dici causa hujus ideæ.

Læl. Non possumus momenta temporis satis distinguere.

Phil. Nulla opus est temporis distinctione; oculos saltem aperi, & ideæ objectorum, vel invito te, præsentes erunt.

Læl. Audi Exemplum aliud, quod sententiam meam satis superque probat. Quando domi in Museo meo sedeo, sæpius oculos claudere soleo, ne objectorum varietate in meditando impediar; tum volo ut hæ vel illæ ideæ præsentes sint, & ecce utplurimum ad nutum præsto sunt; vides igitur ideas præsentes esse ad nutum voluntatis, antequam ipsa objecta externis sensibus ingerantur.

Phil. Rem ipsam in dubium non voco; sed hoc exemplum id de quo quæstio est, minime probat; non enim quæritur, utrum sciamus & sentiamus, voluntate nostra intercedente ideas sæpe præsentes esse; sed utrum voluntas causa sit idearum, & utrum hoc posito perspicuum sit, quid sit idea; voluntatem idearum mearum causam esse nullo mihi argumento constat, cum innumeræ ideæ absint, quas adesse vellem. Sed concedam per tempus, menti sive voluntati inesse vim ideas producendi, restat ut explicetur, qua ratione voluntas ex mentis, ut ita dicam, sinu quasdam ideas eruat; volo ex. gr. mihi adesse ideam pictaci, quæro, quis nexus sit inter ideam pictaci, & voluntatis inclinationem, & cur pictaci, non felis, imago præsto sit? temerarium mihi videtur, propositionem aliquam adfirmare, licet inter duas propositionis ideas nexum nullum videamus: verbo, omnes nostræ ideæ oriuntur per *sensationem*, & *reflexionem*; quod sensationes attinet, nulla voluntatis est operatio; circa reflexionem accedit quidem, sed ita, ut unde menti præsentes sistat ideas ignoremus.

Læl. Ego vero existimo, si res ipsa certa sit, propter modum rei rem ipsam non esse in dubium revocandam; sic novi, ad nutum voluntatis moveri corporis nostri membra, modum ignoramus, nec minus tamen constanter hoc credimus.

Phil. Dubium non est, quin intercedente voluntate nostra, membra corporis moveantur; at de hoc nulla est inter dissidentes Philosophorum familias lis: hoc duntaxat quæritur, quis nexus sit inter mentis inclinationem, & corporis motum; num mens hoc faciat, an Deus, num tertia quædam substantia, &c.? Similiter occasione voluntatis, quasdam ideas præsentes esse scio; at quæritur, utrum voluntas eas ideas produxerit, & quid eæ tandem sint; Hoc cum mihi hactenus perspicue explicatum non sit, nil temere definiendum ego puto.

Læl. Θειον τι sine dubio hic intercedit, & nisi fallor haud absurdum est dicere, Deum omnes mentes, quas creavit, ita formasse, ut omnes ideas futuri corporis motibus responsuras è sinu proprio eruere possint.

Phil. Neque hoc mihi difficultate carere videtur; aut enim dicendum, omnes ideas corporis motibus responsuras, reliquasque ideas menti innatas esse; aut menti facultatem concessam, eas pro lubitu, ubi necesse est, producendi; si prius ais, difficulter explicabis, cur in omnium rerum ignorantia edamur in lucem; cur tot adhortationibus, institutionibus opus sit; cur tanta sit ingeniorum diversitas; cur tam multa

multa inviti ignoremus; cur ipsa animalia utplurimum in dias luminis auras prodeuntia infantes sagacitate superent; cur Gentes quædam immanitate adeo sint efferatæ, &c. &c.? Quod si hæc omnia explicuisses, dicendum tibi restaret, quid tandem sint illæ ideæ, utrum substantiæ quædam intellectuales, quales olim finxit *Plato*, an vero accidentia quædam; quæcunque dixeris, tenebris obsepta videbis. Quod si autem credas, ideas ab ipsa mente singulis momentis creari, hoc ipsum argumentis erit probandum; quæ cujus valoris sint, ex parte jam audivisti; totius argumentationis tuæ vis huc redit: sentio ad nutum voluntatis meæ aliquando adesse ideas; Ergo voluntas fabricatrix est omnium idearum. Ego hujus illationis vim non perspicio; certe, si voluntas ideas posset pro lubitu creare, multo magis haberet potestatem ideas olim præsentes denuo revocandi coram mente; at nil magis hoc asserto falsum esse experiuntur omnes, ii præsertim, qui multa legerunt.

Læl. Forte ea est cerebri ratio, ut ideæ non possint semper præsto esse.

Phil. At si voluntas pro lubitu potest ideas formare, nescio qua ratione cerebrum voluntati impedimento esse possit; neque licet conjecturas conjecturis tegere, ne perpluant: quod si tamen hoc concederem, rogarem, ut mihi nexum aliquem inter ideas, voluntatem & cerebrum ostenderes.

Læl. Vide, rem ita concipio: Deus vidit ab æterno omnium rerum atque eventuum nexus: scivit, qui motus in corpore, quæ item ideæ orituræ sint. Creavit ergo mentem facultate instructam ideas statui rerum suarum convenientes proferendi; nexus ergo illarum rerum quærendus est in Dei voluntate.

Phil. Ego vero existimavi, te mihi nexum inter cerebrum, voluntatem & ideas ostensurum; non quæritur, utrum potentissima quædam & sapientissima substantia, quam Deum vocamus, hominem ita formaverit, ut ideas formare de rebus possit; sed quid sint illæ ideæ, & qua ratione menti præsentes sint; hoc scire ex te vellem, eumque in finem hactenus confabulando tempus contrivimus; non ergo est necesse, ut statim ad decreta & voluntatem Numinis provocemus, nisi putes, id demum esse philosophari, si, quarum rerum rationem reddere non possumus, Deum ita voluisse dicamus: si centies dicas, Deum voluisse, ut objectorum ideæ menti præsentes sint, nexumque hunc in Dei sapiente voluntate quærendum, adseras, nondum tamen patet, *quid sint ideæ*, quod unum hactenus quæsivimus.

Læl. Sed ita de quolibet argumento utramque in partem disputari posset, atque eruditus a stupido non multum distaret.

Phil. Minime inde sequitur, de omni re ita disputari posse; multa sunt indubia, quæ a nemine, qui sani cerebri est, negari possunt; ita Mathematici & Metaphysici multa evidentissime demonstrare possunt, quoniam ideis nituntur abstractis & perspicuis. Distinguenda ergo ea, quæ certo demonstrari possunt ab iis, quæ quibusdam gradibus verisimilitudinis, aut conjecturis plane, sunt instructa. Interim verum est, multos Eruditorum famam nactos, qui sæpe tamen ipsis rusticis sapientiores non sunt; rustici multa ignorant, idque profitentur; Eruditi multi non magis ea sciunt, & tamen scire videri volunt, quo in casu sapientior est rusticus; ad solidam alicujus rei cognitionem multo plura requiruntur, quam vulgo creditur. Hinc solet Cl. *Werenfelsius*, æternum Helvetiæ nostræ Decus, Albis Amicorum inscribere prudens hoc & verissimum effatum: *Illi demum sibi plurima scire videntur, qui nesciunt, quid sit scire.* Non ego Eruditum illum voco, mi *Læli*, qui memoriam innumeris vocabulis, sæpe nihil significantibus, refertam habet, omniumque scientiarum arcana in scrinio cordis sui reposita putat; sed eum hoc nomine dignum puto, qui ea scit, quæ ad bene beateque vivendum requiruntur; qui scit, se multa prorsus ignorare, pauca certo, multa vero probabiliter cognoscere; qui ob qualemcunque eruditionis adparatum nec cristas tollit, nec proximum forte minore rerum scientia instructum spernit, aut diffidenti, & in quibusdam erranti, insultat, sed imbecillitatis mentis humanæ memor, omnes æquo animo ferre potest. Hæc si in turba quorundam Eruditorum dicturus essem, sat scio, me gratiam nullam ab iis initurum; at novi, quibuscum mihi jam quidem res sit. Confabulatio nostra *de Ideis*, *earumque natura* satis opinor ostendit, arctissimos esse cognitionis nostræ limites; *Ideæ* omnis nostræ scientiæ sunt fundamentum; & tamen, quantum mihi videtur, ignoramus quid sint; forte tum demum sciemus, cum æterna luce circumfundetur mens nostra; non intercedo tamen, quo minus alii aliter de hoc sentiant.

Paul. At video passim villarum culmina fumare, majoresque cadere altis de montibus umbras; surgamus Amici, & urbem petamus; satis *de Ideis* audivimus, nec venter meus *ideis*, sed cibis pascitur; propero igitur ad cœnam.

Beat. Eamus.

Phil. Valete suavissimi congerrones.

Fronto, Vale & tu, amicissime *Phileleuthere.*

DISSER-

DISSERTATIO EPISTOLICA DE PRETIO ARTIS RHETORICÆ AD VIRUM AMICISSIMUM L. CANDIDUM.



Eministi, Optime *Candide*, in nupero Amicorum congressu, post varios, ut fieri solet, mutuo habitos sermones, incidisse nos in materiam de *Eloquentia*, ejus genuinis fontibus, viribusque, quas habet in animos hominum. De laude Ipsius nullum erat, ut nosti, inter amicos sententiarum divortium; de viribus & potestate levis erat dissensus; de fontibus vero, unde hæc Eloquentia haurienda sit, ut est cum ingeniis humanis comparatum, diversa erant judicia. Plerique multa disserebant de præstantia & mira utilitate *Artis Rhetoricæ*, deque ejus singulari ad flectendos hominum animos potestate: Hanc effecisse, ut inter antiquos Græcos & Romanos tot excellentes floruerint Oratores, quos admirentur hodienum Viri doctissimi. Ego vero, audita licet ceterorum sententia, alii me sententiæ addictum esse haud obscure significavi, atque contendi, Artem Rhetoricam, prouti tanquam singularis scientia vulgo in Gymnasiis docetur; ad obtinendam veri nominis Eloquentiam vel parum vel nihil conferre. Cum vero non solum tibi, sed & aliis, paradoxa videretur hæc sententia, discedendi vero tempus instaret, petiistis a me, ut uberius paulo mentem meam de hoc argumento aperirem, & pœnæ loco, quæ domi meditatus essem, in chartas conjicerem, ea tamen

men me spe demulcentes, fore, ut æquissimo examini hanc meam sententiam sitis subjecturi, & si probabilitate quadam sese commendatura esset oratio mea, debitis laudibus me non defraudaturos. Licet vero hæc mea sententia quibusdam paradoxa videri possit, nemini tamen nocebit. Non enim hic agitur de articulis Religionis, in quo argumento, si quis a trita ceteris via recedit, & novam calcat, suspectus est Hæreseos, id est defensoris gravissimi erroris. Hoc solum quæritur, utrum Ars Rhetorica qualis vulgo in Scholis traditur, aliquid conferat ad veri nominis Eloquentiam obtinendam, nec ne. Neque ego is sum, qui hanc artem ex Academiis & Gymnasiis eliminandam putem. Unde non est cur mihi irascantur hujus artis Professores; per me enim impune hanc artem docebunt, & suis fruentur stipendiis. Quod si amicis displiceat mea sententia, ansam tamen iis dabit, hoc argumentum paulo accuratius excutiendi. De te vero, mi *Candide*, multa mihi in hoc argumento promitto; nota enim mihi est acerrima tua ingenii vis, & in dijudicandis aliorum opinionibus æquitas. Sed his missis rem ipsam aggredior. Statim vero ab initio sententiam meam expositurus & probaturus, non Rhetoris, sed Philosophi Syllogismis utentis more argumentabor. Ita igitur ratiocinor: Si absque ulla cognitione Artis Rhetoricæ, omnia tamen illa obtineri possunt, quæ ad masculam & genuinam Eloquentiam consequendam requiruntur; sequitur Artem Rhetoricam disciplinam esse, qua facile carere possimus; Atqui verum prius. Eo (*) Cum negaturus non sis Consequentiam majo-

(*) Antequam prœlo tradere mea de hoc argumento cogitata in animum induxissem, communicavi, more inter amicos recepto, cum L. Candido hanc epistolam, eo fine, ut nonsolum sententiam meam pulchre cognoscceret, sed & ut eam examini subjiceret, & quæ ab eo notanda essent, cordate significaret: Ita enim futurum existimavi, ut major huic argumento adferatur lux. Transmisit igitur mihi quasdam stricturas, quas, ne series Orationis in hac epistola observata nimis turbetur, textui subjeci, una cum responso meo. Primo igitur loco, huic Syllogismo meo opponit alterum, demonstraturus, eum, si aliquid valeret, simul probaturum, Oratorem etiam artis logicæ cognitione carere posse. Verba sic sonant: *Si absque ulla cognitione logicæ artis, omnia tamen illa obtineri possunt, quæ ad veri falsique cognitionem requiruntur, sequitur artem logicam disciplinam esse, qua facile carere possimus. Atqui verum prius. Eo:*

Ego vero concedo (ut Ciceronis pro Archia paululum mutatis verbis utar) multos homines excellenti ingenio atque virtute fuisse, naturæ habitu prope divino per se ipsos disertos fuisse & illud adjungo sæpius ad laudem eloquentiæ naturam sine peritia artis logicæ multum contulisse; Simul vero contendo, quum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit artis logicæ peritia, tunc illud nescio quid præclarum ac singulare existere. Agnovit hoc alibi Cicero nimirum in Bruto, ubi dixit, Juris Civilis usum apud multos fuisse, artem in uno Servio Sulpicio: quod nun-

majoris propositionis legitimam esse; in minore propositione adstruenda omnis meus consistet labor. Videndum ergo quid ad eam rite probandam postuletur. Is vero omnium sapientium Judicio laudem veræ Eloquentiæ obtinebit, qui sermone perspicuo, claro atque puro, argumentum, quod tractandum sibi sumsit, concinna & naturæ argumenti conveniente methodo explicat, probat, commendat, vel improbat & refellit, atque ad id præstandum utitur argumentis efficacissimis, ex ipsius materiæ, ut ita dicam, sinu depromtis. Aut vehementer fallor, aut hoc unum requiritur ad finem veræ Eloquentiæ obtinendum. (**) Videamus jam quibus hic opus sit præsidiis, & com-

nunquam, (inquit) effecisset solius juris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ doceret rem universam distribuere in partes; latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando; ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera & falsa judicarentur, & quæ quibus positis essent, quæque non essent consequentia.

2.) Cum vero hic quæratur, quid præstandum sit omnibus, qui Eloquentiam veram sibi comparare volunt, nullo habito respectu eorum qui naturali quadam ingenii bonitate & excellenti judicio præditi sunt absque disciplinarum variarum cultura (quorum tamen numerus albis corvis rarior est), fateor me videre non posse, qua ratione quis genuini Oratoris laudem consequi, & de rebus maximi momenti rite disserere possit sine accuratiore cognitione artis cogitandi. Dico genuini, nam non ignoro multos eam laudem apud plebem & rerum imperitos sine hac arte obtinuisse, de quo tamen hic non disceptatur.

3.) Ad cognitionem veri vel falsi ante omnia requiritur ipsius argumenti, quod tractandum est accurata cognitio, quæ non ex logica, sed ex disciplinis, unde argumentum petitum est, haurienda. Logica tantum expendit utrum res in medium proposita ad veras ratiocinationis leges exacta sit nec ne; obtineri igitur potest multarum rerum cognitio sine Logica, sed utrum res prolatæ dignæ sint, quibus adsensum præbeamus, docet artis cogitandi peritia.

(**) *Discrimen inter Schema Philosophicum & Oratorium, quod tamen essentiale est, hic non observatur; prius enim hoc unum intendit, ut intellectus purus convincatur; posterius vero totum sibi hominem vindicare admittitur.*

Resp. Discrimen illud essentiale inter Orationem Philosophice vel Oratorum more tractandam non video. Quicquid enim Oratori præstandum est, ubi de argumento agitur quod aliis vel explicandum vel suadendum est, idem etiam faciendum esse puto ei, qui Philosophi partes tueri vult: non hic quæstio est de Metaphysicis vel Mathematicis, sed de veritatibus Theologicis, moralibus, aut Historicis, quæ capacitatem Lectorum vel Auditorum non superant. Pone v. gr. agi de commendanda aliqua virtute. Hic vero Philosophus & Orator idem præstare debent: nimirum tenentur accuratam illius virtutis exhibere ideam, characteres veros perspicue proponere, illius effectus, præstantiam, dignitatem & utilitatem commendare atque ita eam animis Auditorum insinuare. Utrumque igitur præstandum est Oratori, nimirum non solum debet more Philosophis recepto genuinam rei commendandæ indolem repræsentare, sed & gravissimis argumentis ad eam amplectendam inducere. Hoc vero præstari non posse crediderim, nisi notiones ex ipsius rei propositæ indole, natura & dignitate repetantur. Argumenta ab honesto, utili & jucundo petita, nonnisi ex visceribus ut ita dicam rei satis cognitæ & probatæ eruenda.

Hic

comparebit, quam parum huc conferat decantata illa Artis Rhetoricæ peritia. *Tria* duntaxat sunt mea opinione, quæ ad hoc obtinendum requiruntur. *Primum* est: Ut Orator, naturam & veram indolem argumenti, de quo disserendum est, sive illud explicandum, probandum, & commendandum, sive repudiandum & dissuadendum sit; sive illud theologici, vel philosophici sit argumenti; sive ad Jus civile, naturale, vel ad historiam etiam pertineat, rite & accurate intelligat: omnia, quibus argumentum nititur fundamenta, totumque ejus complexum perspecta habeat; ut denique quibus materia sit obnoxia difficultatibus, & quantum ad eas dissipandas & tollendas adferri possit adjumenti, pulchre sciat. Hoc primum & præcipuum est, quod ab erudito Oratore mea opinione postulatur, ita quidem ut hoc uno deficiente, cetera omnia, quæ accedere debent vana sint & parum profutura. Ex quo simul patet, eos, qui de rebus quibusvis garrire volunt, nunquam laudem veræ Eloquentiæ consecuturos. Quantum enim requiratur ad solidam & accuratam vel unius scientiæ cognitionem obtinendam, norunt omnes, qui quid scire sit, cognitum perspectumque habent. *Secundum* est: Ut puro, perspicuo & materiæ tractandæ apto, & accommodato stylo, rem ipsam proponat, itaque loquatur ut secundum monitum *Quintiliani*, Auditores, si modo rei intelligendæ capaces sint, non possint non eum intelligere. Quamvis enim stylo ipsi, quatenus complexu verborum & phrasium absolvitur, proprie loquendo nulla insit efficacia, ad argumentum vel probandum vel rejiciendum; haud parum tamen confert, ad Oratori conciliandam gratiam; imo ipsa argumenta majore voluptate audiuntur, & admittuntur ab iis, qui idiomatis, quo utitur Orator, elegantiam callent. (*) Quicquid vero de eo sit, nihil magis promiscuæ turbæ, imo

Hic quæritur tantum, an non Rhetorica regulis suis Oratoris cognitionem circa rem, de quæ dicendum est, juvare ac dirigere possit?

Resp. Ego vero Regulas Rhetoricas cognitionem rei, de qua rite disserendum est nil juvare posse puto. Cognitio rei, ex disciplinis, unde petitum est argumentum, haurienda: Ars Logica juxta accuratas methodi leges jubet argumentum disponere, stylus denique debet esse purus, perspicuus elegans, & argumenti naturæ & dignitati attemperatus. Hæc si adsunt, omnia præsto esse puto, quæ ad argumentum rite tractandum postulantur.

(*) *Σαφήνεια oratoris præcipua dos est; sed non unica: & majorem oratio admittit perfectionem salva perspicuitate.*

Resp. Sola sermonis perspicuitate non absolvi Orationem facile concesserim: potest enim quis eleganter & perspicue loqui & tamen præposterus esse Orator: ubi enim deest legitima thematis tractatio, frustra in perspicuitate sermonis præsidium

imo si verum fateri volumus, omnibus, quam oratio perspicuo sermone exposita, convenit. *Tertium* denique ad veri nominis Eloquentiam consequendam, & officio docti Oratoris defungendum hoc est; ut quis non solum perspicuo sermone & argumentis ponderosissimis id, quod tractandum est, exponat, & probet; sed & ut concinno ordine, juxta legitimas artis cogitandi regulas, quæ prolaturus est, disponat, & quid primo, quid secundo, & ita deinceps loco, ponendum sit sciat, argumentorum allatorum pondus per partes ostendat, abjectis omnibus, quæ ad rem probandam nihil faciunt; servatis vero iis omnibus, quæ tractationis argumentum in clara possunt collocare luce. Ad hæc tria capita mea opinione referri debent omnia, quæ ad officium genuini Oratoris requiruntur. Unde igitur vera præsidia desumenda sint, quæ ad officium Oratoris explendum sufficiant, nemini potest esse obscurum. *Primum* nimirum positum est in accuratiore *Idiomatis*, quo utendum est, cognitione, ad quam obtinendam, ubi de linguis, quæ hodie in usu non sunt, sermo est, plura requiruntur, quam vulgo putatur. *Secundum* ab hujus vel illius disciplinæ accuratiore dependet notitia. *Tertium* præsidium ex ipsa cogitandi arte, regulisque, quas præscribit, desumendum est. Ex quo facile eruditus lector colliget, paucos dari numero veri nominis Oratores; vel enim plerique Thema, quod tractandum sibi sumunt, non exacte intelligunt; vel stylo utuntur tam perplexo & obscuro, ut licet illud, quod probandum fuerat, satis luculentis argumentis instruxerint; ipsa tamen Orationis barbarie & obscuritate Auditorum animos turbent & confundant: vel denique Artis ratiocinandi sunt imperiti, ordinem plane in ratiocinando negligunt, & præpostere aciem argumentorum instruunt. Ut jam non repetam, quod supra monui, nimirum ex dictis manifestum esse, eos, qui de quibuscunque rebus, sæpe toto cælo a se invicem diversis, garrire tamen volunt, nunquam posse a Viris doctis, & rerum peritis laudem hominum mascula & genuina Eloquentia præditorum deportare. Paucis igitur duntaxat disciplinis cognoscendis inhærendum est, earumque præceptiones accuratissime sunt cognoscendæ. Unde etiam *Cicero* ipse mihi peccasse videtur, qui in scriptis suis de hoc argumento, ab Oratore plura postulavit, quam

dium quæritur: majorem vero perfectionem accipit Oratio per accuratam tractationem argumenti, per legitimam argumentorum dispositionem, denique per styli non solum perspicuitatem, sed & puritatem, elegantiam, & themati convenientem usum.

quæ in hominem cadere possunt, nimirum tantam rerum diversissimarum peritiam, quæ capacitatem ingenii humani merito superare videtur. Secum ergo quisque habitare debet, & quam præ ceteris excoluit disciplinam ad eam exornandam omnes ingenii nervos intendere. Ex dictis insuper patet, Artem Rhetoricam his præsentibus præsidiis, aut nihil plane, aut parum conferre ad veræ Eloquentiæ indolem cognoscendam. Quid enim mihi rite de materia aliqua verba facturo tandem prosunt loca Inventionis a Rhetoribus suppeditata, & figuræ variæ Orationis, uti appellantur, μετὰ πολλῆς φαντασίας commendatæ? Sed de his commodior infra dicendi locus erit. Solent vero illi, qui Arti Rhetoricæ multum tribuunt, provocare ad mirabilem ejus vim; quam habeat non solum in animos hominum, & in phantasiam, sed & in ipsum corpus humanum.

Nosti in congressu nostro multa ad hoc probandum, ex veteri & recentiore historia allata esse exempla, & ad quotidianam provocatum fuisse experientiam. Ego vero hæc non inficior, sed lubens confiteor; at nego, hanc vim & efficaciam ad persuadendum oriri ex scientia artis Rhetoricæ, sed potius ex triplici fonte indicato, nimirum propositi argumenti indole & natura; styli elegantia & proportionata materiæ dicendi ratione; ex dispositione denique & ordine argumentorum omnia esse repetenda. Ut autem hoc melius constet, attendendum *primo* est ad argumentum ipsum, quod Orator tractandum sibi sumit: 2.) ad naturam & diversitatem persuasionis (3.) ad animorum indolem, diversosque hominum status. Quod ad argumentum ipsum spectat, cujuscunque tandem illud naturæ sit, illud vel probandum & insinuandum, vel improbandum & dissuadendum est. Jam vero nonnisi argumentis Orator id præstare potest, & debet; & sine his concipi non potest, qua ratione veri nominis persuasio in animis hominum nasci possit. Hoc verum est, non solum ubi de veritate commendanda, vel errore refellendo agitur, sed etiam ubi affectus excitari debent vel comprimi. Argumenta vero, aut talia sunt, quæ sua luce radiant, ita ut omnes, qui materiæ sunt periti, non possint non illis adsensum præbere: aut sunt talia, quæ diversis, pro natura nimirum rerum, probabilitatis gradibus sunt instructa; aut denique necesse est Orationem falsis, aut nihil probantibus suffultam esse argumentis. Si Oratio tam claris atque solidis est instructa rationibus, ut Lectores vel Auditores rerum propositarum gnari, ad argumenta duntaxat, reique propositæ naturam attendant, non potest non assensus in animis oriri.

oriri. Quod si his accedant styli puritas & pulchritudo, apta item argumentorum dispositio, animi magis redduntur attenti, ad argumenta placide audienda, & rite trutinanda. (*) Sed *veram persuasionem* sola possunt efficere argumenta. Ita licet Mathematicus, propositionem aliquam geometricam demonstraturus, uteretur stylo barbaro, convinceret tamen hominem artis gnarum, quia ea est hujus disciplinæ natura, ut non possit non intelligenti extorquere adsensum. Veram etiam persuasionem parit Oratio pluribus aut minoribus probabilitatis gradibus instructa: quando enim argumentum ipsum ita est comparatum, ut ad evidentiam geometricam evehi non possit, v. gr. in narratione historica, adquiescendum est in rationibus probabilibus; quo plures sunt numero, vel pauciores, eo major vel minor erit adsensus, atque adeo etiam persuasio vel fortior vel debilior. Sed ponimus semper Auditorem vel Lectorem ad argumenta attendere, tantumque habere capacitatis, ut vim argumentorum magis vel minus probabilium sentire & dijudicare possit. Vel denique oratio ita est comparata, ut nullis, vel ineptis saltem rationibus sit superstructa, meroque verborum strepitu & sesquipedalibus verbis constet, tum fieri non posse affero, ut in animis legentium vel audientium exoriatur *veri nominis* persuasio. Objicies; experientia omnium seculorum

(*) *Si vel hoc unum præstet Ars Oratoria, ut ostendat rationem, qua Orator attentionem sibi conciliare possit, sine qua assensus seu persuasio nulla datur, certe disciplina erit nullo modo contemnenda. At hoc ipsum præstat Rhetorica, quæ docet quomodo coerceri possint omnia quæ attentioni ad argumenta philosophica officiant:*

Resp. Attentionem promovet rerum ipsarum, si modo aliqua ex parte de ea persuasus est Auditor, gravitas, justo argumentorum pondere subnixa: simplex & secundum regulas Logicæ institutus rerum dicendarum ordo: stylus denique purus, perspicuus & rei dignitati conveniens. Si hæc non excitant attentionem in Auditorum animis, frustra ad vulgarem Rhetoricam, ad tropos varios & figuras confugias. Hæ enim ad obtinendam attentionem id est sedulam rerum prolatarum collationem nihil faciunt, imo ut plurimum attentioni officiunt. Plebecula quidem & qui huic similes sunt, in oratione variis figuris & tropis vestita stupet, per tempus percellitur, eoque nomine Oratorem in cœlos tollit laudibus: at talem attentionem, quæ ad veri investigationem viam sternat, in animis excitare non valet. Sapientes vero ab Oratore postulant solida argumenta, ponderosa incitamenta, ordinem, & stylum naturæ thematis convenientem. Nosti ipsemet quod frigus nos occupet ubi audimus Oratorem his præsidiis destitutum. Sine ope igitur vulgaris Rhetoricæ Auditorum attentionem sibi conciliat Orator, si in dicendo valet; si rerum proponendarum probe est gnarus; si Auditorum capacitatem ingenti perspectam habet; si in philosophia morali, quæ originem, & naturam affectuum, eosque moderandi artem docet, est versatus; si præstantissimorum Oratorum libros evolvit, & familiariter viris utitur sapientibus. Quod si his accedant, vox amœna, corporis & faciei decor, gestuum concinnitas, eruditionis apparatus &c. attentio augetur Sed solida persuasio semper argumentorum & incitamentorum pondere est innixa.

tamen constare, Orationem solidis argumentis, iisque evidentissimis, aut maxime probabilibus instructam, nullam tamen sæpe vel exiguam in animos vim habere; contra vero histrionem & thrasonem, nonnisi ampullis verborum utentem, hominibus sæpe adsensum extorquere. Antequam vero directe ad hæc respondeam, causasque hujus vitii humani detegam, *secundo loco* ad distinctionem veræ & legitimæ persuasionis est attendendum. *Legitima* est, quæ oritur ex attenta idearum collatione nexusque, qui inter propositiones intercedit; ita ut Lector, vel Auditor, si modo linguæ, qua utitur Orator, peritus sit, licet ipsa oratio puritate & elegantia destituatur, sensum tamen rerum propositarum nonsolum intelligat, sed & verbis exponere possit. Ita quando quis intelligit, quid sit virtus & officium, facile videbit, inter obligationem ad virtutem exercendam naturalem esse connexionem, atque ita etiam persuasio erit *legitima*. *Falsi vero nominis persuasio est*, quando homines argumentum ipsum non intelligunt, aut valde imperfecte; si in vocibus stupent; si vires animi ad res rite intelligendas non intendunt; si artis ratiocinandi sunt imperiti, & tamen in rebus vel ignotis plane, aut parum perspectis, merisque verborum sonis adquiescunt, seque credere existimant, quod tamen exponere verbis interrogati non possunt, cum res expendere vel non valuerint vel noluerint. Atque hæc mala gignit falsi nominis Eloquentia. Dudum hoc notavit doctissimus *Parrhasianorum Auctor*. pag. 87. ita inter alia loquitur: *Le premier defaut c'est que ceux qui se laissent toucher, par la multitude des paroles, par de mauvaises raisons ou par des pensées, qui ne font rien au sujet, sont bien étourdis par le bruit des paroles & par le grand nombre des pensées: mais ils n'entendent rien dans la matiere. Encore qu'ils s'imaginent avoir beaucoup profité dans les discours de cette nature, qu'ils ont ouïs ou qu'ils ont lûs: ils ne sauroient dire ce qu'ils renferment ni le reduire à certain chefs clairs & suivis. Tout est confus, tout est renversé dans leur esprit; & comme la liaison & l'ordre servent infiniment à la mémoire qui se trouble & s'efface sans leurs secours, ces gens-là ont bientôt oublié ce qu'ils avoient lû ou ce qu'ils avoient ouï dire.* Perpenso hoc, inter legitimam & falsam persuasionem discrimine, facile erit, ad objectionem tuam respondere. Verum est, multos rationibus evidentissimis & certis non persuaderi: at non quæritur quid argumenta optima etiam, in horum vel illorum hominum animos valeant, vel non valeant, sed quid natura sua valere deberent.

(e) Cer-

(*) Certe si a rationibus & argumentis discedas, nihil est, quod veram persuasionem in animis excitare possit. Facile autem hujus rei satis perspicuæ possunt reddi rationes. Nimirum multi homines argumentis solidissimis non moventur, aut quia naturam argumenti intelligere non possunt, aut quia nolunt. Multos ingenii imbecillitas præpedit, quo minus gravissimæ rationes vim aliquam in eorum animis exerant: multi artis ratiocinandi & meditandi sunt imperiti: alii in verborum variarumque figurarum conglomeratione stupent. Quid mirum assensum hujus generis hominibus non extorquere vel solidissima etiam argumenta. Alii vero nolunt argumentis cedere, quia ob ingenii volubilitatem res expendere non solent, rapiditate quadam ab uno objecto ad aliud contemplandum tracti. Aliis obstant pravi affectus. Centies argumentare adversus avaritiam, lasciviam &c. ne tantillum quidem movebis hominem his vitiis deditum. Ab altera parte possunt

(*) *Omnino vero attendendum est ais non quid demonstratio philosophica sua natura valere debeat; sed quid valeat apud majorem hominum partem. Plurimum enim interest, ut non tantum pauci quidam philosophi, sed ut maxima hominum pars de his vel illis veritatibus sit persuasa: si persuasio hæc ob plerorumque imbecillitatem & incapacitatem per demonstrationis evidentiam non possit obtineri; quæritur an non alia detur ratio persuadendi, qua possit obtineri, quod per demonstrationem nullo modo potest?*

Resp. (I.) Cum grano salis sumenda esse puto verba tua, quando contendis attendendum esse non quid philosophica demonstratio sua natura valeat, sed quid valeat apud majorem hominum partem: hoc enim si in universum verum esset, præstantissima pars artis dicendi, quæ argumentorum & incitamentorum gravitate & pondere absolvitur, periret. Quis enim nescit majorem hominum partem in verbis stupere, semifanaticum hominem pro insigni Oratore habere, levissimis ratiunculis & similitudinibus ampullatisque verbis commoveri, res ipsas aut plane non aut obscure intelligere, ad argumentorum vim non attendere, aut denique affectuum æstu præpediri quominus res ab Oratore prolatas ad animos velint revocare. Ad horum, repeto, gustum si attemperanda sit Oratio actum mihi esse videtur cum Rhetorica etiam a Viro præstantissimo scripta.

II.) Quando agitur de demonstratione philosophica nobis non est sermo de demonstratione vel metaphysica vel mathematica, quæ plerorumque Auditorum vel Lectorum capacitatem superat, sed de demonstratione morali, ad quam intelligendam tenentur omnes, quotquot vel religionis vel communium omnibus hominibus officiorum cognoscendorum capaces sunt: Hæcque demonstratio nititur vel evidentibus vel probabilibus rationibus, quas ita comparatas esse putamus, ut ab omnibus attentis nec plane stupidis possint intelligi.

III.) Persuasionem, quæ ex morali demonstratione oriri debet, obtinere potest Orator, si materiam differendi sumat omnium ingeniis attemperatam; si utatur argumentis perspicuis & captu facilibus; si in stylo omnem obscuritatem, æquivocationes, lusus verborum & affectatam sublimitatem evitare omni cura studet. Et profecto omnes, qui ad dicendum vel de religionis vel communium officiorum negotiis sese accingunt, necessario ante omnia credere & sibi persuadere debent, homines ad argumenta & incitamenta probe attendentes vim veritatis prolatæ percipere posse. Hoc enim nisi ponas frustraneæ erunt omnes Orationes.

homines ad aliquam persuasionem, sed putatitiam & vanam, adduci, variis rationibus. Sæpe in vultu, gestuque Oratoris aliquid reperiunt, quod verbis pondus addere videtur. Hinc & muti & mimi ad adsensionem homines invitant; alium ubi deficiunt argumenta, affectus rapiunt. Multos fama Eruditionis vel pietatis, quæ Oratori inesse dicitur, ad adsensum impellit, qui vero interrogati de rationibus ex ipsius materiæ indole desumtis pisce magis muti essent futuri. Quidam ad superstitionem inclinant, aliis, quicquid dicitur argumenti loco est. Plebs, & qui ei similes sunt, Orationem nullis solidis argumentis instructam, nulla sermonis elegantia vestitam, nullo denique ordine & artificio munitam, mirantur tamen, & laudant: imo sæpe, quo minus argumentum intelligunt, eo magis laudant.

Atque hoc ipsum nos ad *tertium*, quod hoc in argumento observandum esse diximus, ducit, nimirum ad diversitatem ingeniorum humanorum, diversosque status, in quibus positi sunt. Solis proprie loquendo rationibus Vir sapiens ad aliquid vel probandum vel rejiciendum adduci debet. At multum in animos hominum valent, variæ opiniones, consuetudo, præjudicia, temperamenta, affectus, v. gr. ira, metus, amor, mœstitia; circumstantiæ morales, necessitas, paupertas, servitus; imo corpus ipsum, vox & gestus loquentium, pulchritudo faciei, vel ejus fœditas, Oratio lachrymis mista, certa phantasiæ mistura, corporis κακεξία vel ἑυεξία & alia plura, ad ita vel aliter sentiendum vel agendum impellunt. Hæc vero omnia veri nominis persuasionem efficere non possunt, nisi forte dicas, fabulas & historiolas, quas ad balbutientes populos habere solent loquaces mulierculæ & anus quibus frangendus misere gingiva panis inermi, continere solida argumenta, quibus non possint non infantes ad assensum commoveri & ita demulceri. (*) Hoc posito dicendum, quemlibet etiam ineptissimum

(*) *Ars Oratoria hominem & convincentibus & persuadentibus argumentis conjunctim aggreditur, ejusque obstinatum etiam animum plerumque expugnat: non ergo hæc invicem in hac disputatione videntur esse opponenda.*

Resp. Non nego convincentia argumenta persuadentibus esse adjicienda: Sed hoc intendo in convincentibus præcipuam esse ponendam vim ad hominem sanæ mentis convincendum. Præter enim argumenta nihil reliquum est, quod veri nominis persuasionem gignat. Ipsa argumenta persuadentia, vi nominis, rationibus debent esse innixa, ex ipsius argumenti natura petitis: aut enim dicendum homines persuaderi & vere quidem solo verborum tinnitu & strepitu; aut argumentis per verba repræsentatis; prius cum falsum sit, necesse est, ut nonsolum argumentum ipsum, quod proponendum & commendandum sibi sumit Orator, Auditori rite sit perspectum, sed & ut animus ad veritatem vel virtutem amplectendam valde commo-

tissimum sermonem persuasionem tamen solidam generare posse; quo ipso nonsolum detraheretur nobilissimis disciplinis & rationibus gravissimis sua vis & efficacia; sed & veræ Eloquentiæ studium vanum plane esset & inutile. Utrum Orationes, quæ apud *Livium*, *Curtium*, *Sallustium* aliosque extant, quæque a Ducibus bellorum habitæ dicuntur, genuinæ sint, nec ne, non disquiram. Ponam ita esse: Num vero putas, milites ad fortiter pugnandum argumentis solis a Ducibus habitis inductos; eaque argumenta tam solida fuisse, ut iis serio expensis demum, ad prælium animose ineundum fuerint commoti? non putarim. (*) Alius propter metum pœnæ, alius ob ferociam & iram, alius

commoveatur: Hoc autem fieri non potest nisi argumentis & incitamentis aliquod insit pondus; unde manifestum mihi esse videtur, sive ea voces argumenta convincentia vel persuadentia, ad majorem vel minorem vim, quæ argumentis inesse debet, omnia redire.

(*) *Orationes illæ moratæ Ducum & Imperatorum apud Historicos Veteres, quin aptæ fuerint ad animum militum acuendum & confirmandum, dubium mihi nullum est: ipsa enim argumenta, quæ hic recensentur, arte quadam ita vivide ac evidenter oculis subjiciebant, ut non potuerint non vim illorum persuadendi sentire. v. gr. cum singulare aliquod cœli tempestatisque phænomenon tanquam certum victoriæ prodigium, omenque callide interpretantur.*

Resp. Exemplum, quod adducitur ad demonstrandum, quantum hæ Orationes Ducum Belli valeant in animos hominum satis mihi significare videtur, quid de pretio earum sit judicandum. Nimirum tota illa persuasionis vis in eo est posita, quod ineptis & falsissimis, quibus vulgus imbutum est, opinionibus utantur, ad finem quem intendunt, qualitercunque obtinendum. At num hic genuini Oratoris, qui vir bonus esse debet, character est? Itane licet, quibuslibet ratiunculis in quocunque casu uti ad alios lucrandos? Quis non stante hac opinione Rhetoricam artem tanquam deceptricem aversaretur? Hoc si semel conceditur, cuilibet permissum est, ridiculas & ineptas rationes adducere, ut in suam alios pertrahat sententiam. Profecto homines callidi, licet nullam unquam per vitam didicerint artem rhetoricam pulchre hanc artem exercere norunt. Ita licitum erit Monacho, futilissimis & ementitis legendis & fabulis uti ad Auditores suos persuadendos. Vulgus enim omnia credit, licet nulla adsit legitima persuasionis ratio. Interim sapientiores has fabulas multis verborum strophis exornatas albis rident dentibus. Secundum allatum exemplum licebit Oratori sacro ad terrendos rusticorum, qui limites agrorum mutare aggrediuntur, animos, hoc argumento uti, tales nimirum, qui sese tam gravi crimine obstricturi essent, post mortem in ignes lambentes, vel uti appellantur, capras saltantes mutatum iri, & per omne ævum agris inerraturos esse. Ponamus vero Livium & plures Ei similes, qui portentis illis exiguum statuebant pretium, ut ex historia ipsius patet, quique a Δεισιδαιμονίᾳ alienus plane erat, prouti, pessimo licet fine, id ostendit Tolandus, ponamus inquam plures in Exercitu fuisse Livio similes, num credibile est, Eos ob rationem adductam se passuros fuisse induci ad strenue pugnandum? pugnandum equidem erat sive volentibus sive nolentibus, cum propter alias rationes, tum ne viderentur in patriam peccare religionem. Sed non opus est ut pluribus de hisce agamus, quandoquidem leges circa Orationes Ducum pro circumstantiarum diversarum ratione mirum in modum variant. Neque si falsis aliquando argumentis Imperatores

alius ob egestatem, alius ob necessitatem circumstantiarum pugnare debet, fuga lubens, si posset, suæ saluti consulturus, alius opimam sibi promittit prædam &c. Et quomodo tandem fieri posset, ut hæ Ducum orationes, veram solidamque in animis militum excitare possent persuasionem, cum manifestum sit, eas falsis & fictis ut plurimum esse superstructas argumentis. Ea enim potissimum afferunt, quæ metum, licet sine causa, ex animis excutere possunt, cætera omnia vero alto premunt silentio. Dudum hoc notarunt Viri doctissimi & in hoc argumento versatissimi. *Eruditissimus Clericus Artis Criticæ Part. II. Sect. I. cap. XVI. pag. m. 319.* sequentem in modum de hac re pronuntiat: *Si quæramus rationem* (inquit) *ob quam figuris ita adficimur, comperiemus, eam ejusmodi esse, ut obscuritatem necessario pariat. Figuræ tantam vim argumento, quod iis exornatur, addunt, quia audienti, aut legenti eam tantum ejus partem ostendunt, quæ est omnium aptissima ad eum commovendum; amotis iis omnibus, aut potius tectis, quæ commotionem illam sistere possent. Si miles sit ad pugnam cohortandus, alto silentio premuntur horror mortis, qui natura omnibus inest, summa cautio, quæ debet adhiberi, ubi de effundendo sanguine humano agitur, aliaque, quæ Viro sapienti tunc serio pensitanda essent: Ab infaustis ejusmodi vocibus abstinetur. Gloria militi proponitur e victoria colligenda, divitiæ e spoliis colligendæ, præmia, honores, &c. quibus fit, ut a prioribus illis animum avertat, & in hæc intentus, alacris, rem per se omnium fœdissimam, deterrimi carnifices munus obire in Innocentes aggrediatur. Exemplo esse potest Oratio Cæcinæ apud Tacitum Ann. Lib. I. Cap. 64. ubi territis militibus, difficultate itinerum, adverso prælio, jactura impedimentorum, metu imminentis hostis, ostendit, unam esse in armis salutem, manendum intra vallum, dein erumpendum, illa eruptione ad Rhenum perveniri: quod si fugerent, plures silvas, profundas magis paludes, sævitiam hostium superesse? At victoribus decus, gloriam, quæ domi cara, quæ in castris honesta. Subdit Tacitus eum reticuisse de adversis, aut præsentibus, aut futuris; ne nempe terror augeretur imagine præteritæ Cladis, similisque in futurum timeretur.* Ita Cl. *Clericus.* Sed inquis, fortiter tamen ut plurimum, auditis his Orationibus pugnarunt. Ita est: At quot prælia olim gesta sunt, & hodie fiunt, ad quæ ineunda, nullis Ducum orationibus sunt commoti & incitati? & tamen iidem milites animose pugna-

tores usi sunt, mirum est. Veteres enim Oratores veri in dicendo & persuadendo exiguam habuerunt rationem. Ipse dicendi Magister Quintilianus passim hoc ipsum fatetur. Vide Lib. IV. Institut. cap. V. Lib. V. cap. 14.

pugnarunt, vel potius nolentes volentes hostibus resistere, debuerunt, vitamque, quantum potuerunt, tuiti sunt. Sæpe & Duces belli & milites, antequam in aciem prodeunt, sciunt & quidem probe, bellum, quod gerunt injustum esse; Sed quia ut plurimum justum & injustum perinde habent, quia ob metum & necessitatem fugere non possunt, quia hac, non alia via, commode sibi victum & amictum parare se posse sibi persuadent, vel prædæ opimæ inhiant &c. Signo ad pugnam semel dato, ad prælium ineundum animose concurrunt. Num autem putas milites propterea existimare, legitimas plane ob causas, tam acriter fuisse dimicandum? num persuasio in ejusdem hominis animo potest esse solida & inepta simul, nullis quippe rationibus superstructa? Quod si quis propterea quod homines ineptis rationibus & inani verborum strepitu, sæpe commoveantur, colligere vellet, omnibus rationibus, sive solidis, sive infirmis, parem inesse efficaciam, is merito ab omnibus sani cerebri hominibus derideretur. Unde patet, distinctionem merito faciendam esse, inter veri nominis persuasionem & inter putatitiam. Meminisse etiam debes optime *Candide*, genuinam Eloquentiam veræ Eruditionis duntaxat fructum esse: sola vero Eruditio, & accurata thematis alicujus cognitio, suppeditant argumenta, quæ ex natura materiæ pertractandæ necessario fluunt. Inde tandem nascitur vera illa persuasio, lux illa splendida in animis hominum. Cœtera parum ponderis habent ad assensum Viro perspicaci extorquendum. Quod ad affectus attinet, non nego iis admodum homines ad ita vel aliter agendum commoveri: propterea etiam Oratoris officium est, discere, qua ratione eos concitare & compescere possit; Sed id demum tum faciendum est, postquam argumentum ipsum rite est explicatum, & solidis rationibus probatum; Ita enim spem potest habere Orator, incitamenta, in mentes luce veritatis collustratas vim suam exercitura. *Ad hoc* (utor verbis *Celeberrimi Werenfelsii*, qui quid Oratori præstandum sit, pulchre calluit, & exemplo suo demonstravit) *affectus concitandi compescendique artificium non is optime callet, qui in Rhetoricæ præceptis addiscendis consenuit, sed qui se ipsum primo, deinde alios homines cum perspicaci attentione, tum diuturna experientia, quam fieri potest penitissime cognoscere didicit.* (*) Veris-

simum

(*) *Hoc ipsum genuinum artis rhetoricæ Systema explicare debet, atque quibus rationibus affectus hi vel illi commoveri, quibus compesci possint.* R. Vulgares Rhetoricæ hoc non docent, & si quid tale tradunt aliunde petita sunt Ad hoc obtinendum mores hominum probe sunt cognoscendi, affectuum origo & indoles ex latifundiis Philosophiæ sunt haurienda; versandum cum Viris sapientibus & in dicendo plurimum valentibus; evolvendi præstantissimorum Virorum libri, qui exemplis & ora-

simum est illud *Solonis* vetus dictum τον λογον εἰδωλον εἶναι των ἔργων, sermonem imaginem esse factorum. Et illud *Platonis:* Ὁιος ὁ λογος, τοιυτος ὁ τροπος. Qualis Oratio, talis vita. Eum in finem, qui cum laude Oratoris munere defungi, & aliorum hominum animos Oratione flectere vult, in se ante omnia descendere debet, animum suum & temperamentum cognoscere, quibusve rationibus & incitamentis, affectus sui excitentur, vel compescantur dispicere debet; tum vero hæc transferre debet ad alios homines. Quidam affectus omnibus hominibus sunt communes, alii quibusdam privi: conf. Excell. *Pope Tentaminis de homine Epistol.* II. Ex hactenus dictis simul manifestum est, ad veram illam Eloquentiam obtinendam nihil aut parum conferre, ita dictam artem rhetoricam. Quid enim ad rite differendum de argumento gravi me adjuvant loci illi topici de *notatione, causa efficiente, forma, materia & fine?* An non cognitio idiomatis, & accurata thematis pertractandi notitia sufficit? quid illa anxia præcepta de inventione thematum? de figuris dictionis ac sententiarum? Ipse affectus perorantem docebit, quibus potissimum verbis sensa animi exprimere debeat. Figuræ istæ, instar terminorum technicorum sunt, qui addisci possunt sine arte rhetorica. Inter recentissimos artis rhetoricæ Doctores referendus est Cl. G. C. Myllerus. Hic vero ita loquitur de figuris rhetoricis *in der Weisheit des Redners systematisch entworffen* pag. 101. *Vielleicht, sagt er, dürften diejenigen von uns eine besondere Abhandlung von den Figuren fordern, die sich ihrer alten Rhetorischen Schul-Erkäntnuss erinneren. Doch wir sprechen uns von einer solchen Pflicht los, die in Erzehlung vieler Namen besteht, und dennoch die Absicht, anderen die figürliche Sprache beyzubringen, nicht erreichen hilft, vorzüglich sind die Figuren die Sprache des Affects. Dieses wird einen jeden die eigene Natur besser als die Kunst lehren. Wann ja die Benennungen der Figuren noch einigen Nutzen haben: so äussert sich dieser in der Beurtheilung der Sprache einer Leidenschaft, dass man solche sich namentlich bezeichnen kan.* Imo frequens usus harum figurarum argumentorum vim intercipit, efficitque, ut in verbis, eorumque varia combinatione homines stupeant.

oratione facunda usi, res maximi momenti non sine usu tractarunt. Parum vero valent hominum in umbra natorum steriles artis rhetoricæ præceptiunculæ. Hæc vero, quæ hactenus in medium attuli, quo loco sint habenda Tibi mi Candide & litteratæ Amicorum turbæ dijudicanda lubens permitto. Cæterum ego non nego licitum aliquando esse vel uni vel pluribus ubi necessitas postulat ficta Oratione uti. De quo pluribus agunt Juris Naturæ Interpretes, ubi officia sermocinantium explicant. At ars rhetorica de his nullas tradit regulas.

peant. Figuratæ illæ orationes effectus sunt imaginationis. Hæc autem facillime Oratorem a genuinæ Eloquentiæ regulis abducit, nec cujusvis est eam coërcere limitibus. Eleganter hoc expressit Celeb. *Barbeyracius* in præfatione tomo secundo Sermonum Illustr. Tillotsonii præmissa: Pour peu (inquit) qu'on lâche la bride à l'imagination, elle ne manque d'égaler le Jugement. C'est un Cheval fougueux, mais ombrageux ou aveugle: Si l'on n'a la main bien ferme & perpetuellement attachée à regler ses pas, il ne peut que nous mener à travers champs, & nous faire broncher lourdement, ou nous jetter dans le précipice. Les Erreurs les plus grossiéres, les pensées les plus absurdes, les raisonnements les plus frivoles, se glissent aisément à la faveur d'une figure hardie, d'une description pompeuse, d'un assemblage d'expressions metaphoriques & de tours ingenieux, d'une periode bien cadencée. Au lieu que, si les choses paroissoient dans leur état naturel & depouillées des ornemens étrangers, tout ce faux éclat s'evanouissant leur difformité ne pourroit être cachée. Le caractére de la verité c'est une aimable simplicité: comme elle n'a besoin que d'elle-même pour s'insinuer dans les Esprits, elle ne demande que les ornemens naturels, qui lui conviennent, & qui la laissent voir clairement telle qu'elle est. Ce qu'elle a de plus noble & de plus grand, est toujours fort éloigné de l'Enflure. Quæ hucusque de veræ Eloquentiæ indole & artis rhetoricæ exiguo usu dixi, confirmabo testimonio viri qui accuratissime leges & ratiocinandi & loquendi perspectas habuit. Is est Ill. Lokius qui de *Intellectu humano Lib. III. Cap. X. pag. 641. & seq. Edit. Basil.* ita differit: *Comme ce, qu'on appelle esprit & imagination est mieux reçu dans le monde, que la connoissance réelle, & la verité toute seche, on aura de la peine à regarder les termes figurés & les allusions comme une imperfection & un veritable abus du Langage. J'avouë, que dans des discours, où nous cherchons plûtôt à plaire, & à divertir, qu'à instruire & perfectionner le jugement, on ne peut guere passer pour fautes ces sortes d'ornemens, qu'on emprunte des figures. Mais si nous voulons representer les choses comme elles sont, il faut reconnoître*, qu'excepté l'ordre & la netteté, *tout l'art de la Rhetorique, toutes ces applications artificielles & figures, qu'on fait des mots, suivant les regles que l'Eloquence a inventées, ne servent à autre chose, qu'à insinuer de fausses idées dans l'Esprit, qu'à émouvoir les passions & à seduire par-là le Jugement, de sorte, que ce sont en effet de parfaites supercheries. Et par conséquent l'art l'Oratoire à beau faire reçevoir ou même admirer*

tout ces differents traits, il eſt hors de doute, qu'il faut les éviter abſolument dans tous les diſcours, qui ſont deſtinés à l'inſtruction, & l on ne peut les regarder, que comme des grands defauts ou dans le Langage, ou dans la perſonne qui s'en ſert par tout, ou la verité eſt intereſſée. Il ſeroit inutile de dire ici quels ſont ces tours d'éloquence & de combien des eſpeces differentes il y en a: Les livres de Rhetorique dont le Monde eſt abondement pourvû en informeront ceux, qui l'ignorent. Une ſeule choſe que je ne puis m'empêcher de remarquer, c'eſt combien les hommes prennent peu de ſoin & d'interêt à la conſervation & à l'avancement de la verité, puiſque c'eſt à ces Arts fallacieux qu'on donne le premier rang & les recompenſes. Il eſt, dis-je, bien viſible, que les hommes aiment beaucoup à tromper & à être trompés, puiſque la Rhetorique, ce puiſſant inſtrument des erreurs & de fourberie à ſes Profeſſeurs gagés, qu'elle eſt enſeignée publiquement, & qu'elle a toûjours été en grande reputation dans le Monde. Cela eſt ſi vrai, que je ne doute pas que ce que je viens de dire ne ſoit regardé comme l'effet d'une extrême audace, pour ne pas dire d'une brutalité ſans exemple. Car l'Eloquence, ſemblable au beaux Sexe, a des charmes trop puiſſans pour qu'on puiſſe être admis à parler contre elle: & c'eſt en vain qu'on decouvriroit les defauts de certains Arts decévans par leſquels les hommes prennent plaiſir à être trompé. Ita celebris ille Philoſophus. Hinc videmus etiam, Adoleſcentes, licet totam artem rhetoricam ſæpe memoriæ mandarint, ubi de argumento aliquo rite diſſerere deberent, hærere, & fruſtra auxilium a Rhetorica petere. Ratio eſt in promtu; aut enim capaces non ſunt ſtyli, ſeu artis pure, nitide, & perſpicue loquendi; aut ſuperficiariam habent argumenti, quod tractandum eſſet, cognitionem; vel denique artem cogitandi & juſtas methodi leges ignorant. Hinc ejusmodi Orationes plerumque vel ab ipſis artis rhetoricæ Profeſſoribus, aut ab amicis, componuntur. Vel ſi ipſi Adoleſcentes animos ad ſcribendum appellunt, omnia offendes tam obſcura, tam male cohærentia, & tam parum valentibus argumentis inſtructa, ut fruſtra ſeſe torſiſſe bonos homines facile advertas. Supra dixi, Eloquentiam veræ duntaxat Eruditionis fructum eſſe. Hinc mea opinione ſequitur, demum adultiore ætate Adoleſcentes ad habendas Orationes induci debere; certe eo demum tempore, quo artem illos logicam probe didiciſſe, & argumentum, de quo dicendum eſt rite intelligere non ſine ratione perſuaſi eſſe poſſumus: Quod poſtremum ex privatis colloquiis facile Profeſſori conſtare poteſt. Patet etiam exinde, ridicule agere quosdam artis theto-

ricæ

ricæ Magistros, qui discipulis talia præscribunt themata stylo prosequenda, quæ plane illis ignota aut parum cognita sunt. Ita memini, olim Studioso quindecenni impositam fuisse necessitatem Orationem habendi de *Essæis*, quorum ne quidem nomen audiverat Adolescens, nedum ut de eorum origine, dogmatibus & ritibus rite verba facere posset. Manifestum insuper ex iis, quæ dixi, est, rarissimos esse veri nominis Oratores. Non is ego sum, qui celeberrimis Græciæ & Latii, ut de multis Recentioribus nil dicam, hærentem capiti multa cum laude coronam detrahere vel velim vel possim: at, ubi cogito, quam exiguam curam Veteres artis cogitandi habuerint, quam vero toti fuerint in Dialectica excolenda occupati, existimare incipio, illorum Eloquentiam supra modum laudibus fuisse evectam. Notum enim est, illorum Dialecticam in eo constitisse, ut nimirum de quovis argumento, nulla habita veritatis ratione, utramque in partem dissererent. Imo quidam, eo usque sunt progressi, ut aperte falsis argumentis uti Rhetori concessum esse dicerent. Docebant, *ut Titius Castratius teste Gellio Lib. I. Cap. IV. Rhetori concessum esse, sententiis uti falsis, subdolis, captiosis; Si modo verisimiles sint, & possint ad movendos hominum animos qualicunque astu irrepere. Propterea turpe esse dicebat, si quid in mala causa destitutum, atque impugnatum relinquat.* Vide pluribus de hoc argumento agentem *Cl. Clericum Artis Criticæ cap. XVII. part. II. Sect. I.* cui adde *Ingeniosissimi Luciani* libellum de *præceptis Rhetorum*. Hæc mea est *L. Candide* de usu artis Rhetoricæ sententia. Si errasse me putas, hoc unum restat ut me meliora edoceas. Antequam finem impono huic epistolæ, duo Veterum Græcorum, (quoniam te lectione eorum capi scio) loca, de hoc argumento adscribam. Prius est *Mysonis* apud *D. Laërtium*. Hic. pag. m. 96. ita loquitur. Δει μη ἐκ των λογων τα πραγματα, ἀλλ ἐκ των πραγματων τας λογας ζητειν; ἐ γαρ ἑνεκα των λογων τα πραγματα συντελενται, ἀλλ ἑνεκα των πραγματων ὁ λογος. Posterius e fragmento incerti Poetæ, quod *Illustris* & *Magnus Grotius* in excerptis e Poetis Tragicis & Comicis pag. 461. adduxit petitum. Verba ita sonant: Ω παι γενοιντ' ἀν κὴ λεγομενοι ἐυ λογοι ψευδεις. ἐπων δε καλλεσιν νικωμεν ἀν τ' αληθὲς. ἀλλ' ἐ τατο τ' ακριβεςατον ἀλλ' ἡ Φυσις. κὴ τ' ἐρθὸν' ὁς δ' ἐυγλωσσιαν ἀσκει σοφος μεν: ἀλλ' ἐγω τα πραγματα κρεισσω νομιζω των λογων ἀει ποτε. i. e. *O Nate sæpe polita Oratio est falsa. Blandis interim verum dolis exsuperat: at non ideo res hæc optima est, sed indoles virtusque. Qui lingua valet doctum fatebor: sed tamen verbis ego res antehabendas & putavi & nunc puto.* Ita Vale mi *Candide*, & porro mihi fave.

DISQUISITIONIS HISTORICÆ ET THEOLOGICÆ DE VISIONIBUS,

Quæ quatuor primis post excessum Christi & Apostolorum Seculis, Christianis quibusdam contigisse dicuntur.

PARS PRIOR.

ARGUMENTUM DISSERTATIONIS.

Sect. I. Occasio Dissertationis. Sect. II. Qua ratione Auctor Patres legendos esse putet. Sect. III. Regulæ, secundum quas Visiones examinandæ sunt, suppeditantur. Sect. IV. Christianis primorum post Christi & Apostolorum excessum Seculorum Visiones quædam divinitus obtigere, at non tanto ut vulgo creditur numero, quod probatur. Sect. V. Visiones Hermæ prolixe examinantur. Sect. VI. De Visionibus falsi suspectis, quæ Seculo II. Christianis quibusdam contigisse dicuntur, ubi inprimis de Visionibus Martyrum disseritur, cautelisque, quæ hic adhibendæ. Sect. VII. Agitur de Visionibus Ignatii & comitum. Sect. VIII. De Visionibus Polycarpi, Attali & Montanistarum. examinatur qua fide dignus sit Tertullianus circa hoc argumentum. Sect. IX. De Visionibus III. Seculi, & quidem Perpetuæ, Felicitatis, & Saturi. Sect. X. De Visionibus Exuperii Episcopi Tholosani, Narcissi & Alexandri, Episcoporum Hierosolymitanorum, & Pionii. Sect. XI. Pluribus probatur, plerasque Visiones Cypriani suspectas esse, idque contra Dodwellum defenditur. Sect. XII. Examini subjiciuntur Visiones Dionysii Alexandrini, Attali Confessoris, Basilidis, Fructuosi Episcopi, Augurii & Eulogii Diaconorum, Jacobi denique Mariani & aliorum in Numidia. Sect. XIII. Visiones IV. Seculi maxime suspectæ sunt. De visione, quæ Constan-

Constantino M. obtigisse dicitur, pluribus disseritur. Expenduntur item Visiones, quas habuisse dicuntur Helena mater Constantini, Antonius & plurimi de instante nece Juliani Imperatoris, S. Theodotus Ancyranus & septem Virgines, Theodorus item & denique Augustinus.

Sect. I.

QUamprimum, Deo ita volente & clementer moderante, suffragantibus *Amplissimis & Celeberrimis Illustris hujus Gymnasii Præsidibus*, tradendis sanctioribus disciplinis admotus eram; id mihi negotii datum esse pulchre perspexi, ut non solum publice & privatim sanctissima Religionis christianæ decreta atque præcepta, optimarum Literarum studiosis perspicue, atque quantum possem, solide explicarem, ac ubi necesse esset, contra dissentientium argumenta ac strophas vindicarem, sed &, ut in publicis, quæ laudabili *Majorum* instituto habendæ sunt, exercitationibus ejusmodi Theologæ capita explanarem atque probarem, quæ sua sese gravitate & utilitate commendarent. Statueram igitur mecum, quamprimum per tempus liceret, animum elaborandæ gravi materiæ adjicere. Postquam autem nuntiatum est, quanti labores brevi temporis spatio mihi essent exantlandi, atque sensissem simul, quot quantaque negotia ex ipsius novi muneris natura atque promotione enascerentur, vidi, ad disquisitionem aliquam rite tractandam tempus omne atque otium mihi esse surreptum; dispexi igitur, utrum in scriniis meis aliquid esset repositum, quod neque a scopo nostro plane alienum, neque persona, quam quidem jam per Dei gratiam sustineo, indignum esset. Deprehendi autem inter alia, quæ, dum aliquid erat otii, chartis illeveram, scriptam a me esse Dissertationem Historicam & Theologicam, quæ, si non eruditione, argumenti tamen novitate, forte sese commendatura, neque a munere meo aliena prorsus esset futura. Eam igitur, cum non animus, sed tempus & otium ad alia propinanda me destituerent, Vestro, *Amplissimi & Celeberrimi Præsides*, judicio, omni, qua par est, observantia subjicio, atque *Vos* oro, ut de primo hoc qualicunque specimine benevole judicare velitis. Promitto simul, me in posterum operam omnem atque diligentiam impensurum, ut alia sanctioris disciplinæ capita, Sacrarum Literarum Cultoribus magis attemperata,

perata, in medium proferam. Ne autem, quod hoc in negotio maxime intenditur, ad Exercitationem materies deeſſet, corollaria quædam ſufficientem differendi occaſionem præbitura adjeci. Deus cœpta noſtra ſecundet!

II. Scripturus autem de Viſionibus, quæ poſt exceſſum Chriſti & Apoſtolorum, primis quatuor ſeculis, Chriſtianis quibuſdam contigiſſe dicuntur, ante omnia moneo, me neque de Viſionum origine, natura, certitudine, diſcernendique a cæteris phantaſmatibus ratione, neque de Viſionibus, quæ quidem multis in V. & N. Teſtamento oblatæ fuerunt, acturum. Hoc enim a ſcopo, quem nobis præfiximus, plane alienum eſſet. Hoc unum ergo agemus, ut diſquiramus, quid de pleriſque Viſionibus, quarum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ primorum poſt Chriſti & Apoſtolorum exceſſum ſeculorum ſcriptores mentionem faciunt, ſentiendum ſit. Argumentum hoc nondum ſatis excuſſum eſſe a Viris Doctis, patebit, ſi Eruditus Lector noſtras haſce meditationes cum aliorum laboribus contulerit.

Cum autem circa hanc materiam in diverſa abeant Eruditi, atque magni nominis Viri plerasque Viſiones, quæ Chriſtianis primorum ſeculorum contigiſſe dicuntur, non ſolum acriter defendant, ſed & exiſtiment, eos, qui multas in dubium vocent, excellentiæ Religionis chriſtianæ multum detrahere; duo, antequam ad ſingularia exempla deveniam, mihi præſtanda eſſe, pulchre video. *Prius* eſt, ut dicam, quo animo ſcripta veterum Eccleſiæ chriſtianæ Doctorum legenda eſſe putem, quæque eorum penes me ſit auctoritas. *Poſterius*, ut regulas quasdam, ſecundum quas, tanquam normam Viſiones illas expendi & examinavi, in medium producam.

Quod igitur *ad prius* attinet, poſſunt Eccleſiæ Doctores, quos *Patres* vocant, triplici reſpectu conſiderari, nimirum 1.) ut *Homines* 2.) ut *Chriſtiani* & 3.) denique ut *Eruditi*, qui ſua de variis rebus, ſacris præſertim, cogitata cum aliis communicarunt. Si tanquam *Homines* eos conſidero, omnia iis tribuenda eſſe puto, quæ naturæ humanæ accidere ſolent. Omnibus igitur infirmitatibus æque obnoxii ſunt Patres, ac alii homines. Hoc neceſſe non eſſet monere, niſi eſſent homines eruditi, Patrum authoritate adeo dementati, ut ultra ſortem humanam eos extollerent. Quo ipſo tamen, ut experientia docuit, exiſtimationi eorum multum potius detraxerunt, quam adjecerunt. Neceſſe ergo eſt, ut ante omnia *Patres* Homines fuiſſe meminerimus. Hoc ipſo conſtabit, omnia ipſis accidere potuiſſe, quæ noſtræ ætatis homi-

hominibus eveniſſe novimus. Quæcunque ergo ex intellectus, voluntatis, adpetituum, temperamenti, educationis, inſtitutionis natura atque indole, ſive bona ſint ſive mala, naſci ſolent, ea omnia etiam *Patribus* evenire potuiſſe, aſſerendum puto. Non exiſtimo, quenquam ſanæ mentis hominem mihi de hoc controverſiam eſſe moturum.

Tranſeo ergo ad ſecundum reſpectum. Nimirum conſiderari poſſunt *Patres* tanquam *Chriſtiani*, id eſt tales, qui Religionis Chriſtianæ decreta pro divinis amplexi ſunt. Eo reſpectu omnes ſanctiſſimæ diſciplinæ alumni, ſi quidem ex animo illi addicti erant, ſunt laudandi; dubium enim non eſt, quin rectiſſime & ſapientiſſime illi egerint, qui Religionum omnium ſanctiſſimæ & excellentiſſimæ nomen dederant. Poſſunt autem Chriſtiani commode in tres claſſes diſpeſci. Dantur nimirum *Primo* tales, qui præter nomen nil habent, atque adeo vel ſceleribus contaminati ſunt, vel meri Hypocritæ; In *ſecundam* claſſem referas eos, qui quidem pii dici poſſunt, multis tamen ſimul infirmitatibus, ſive ſcientiam ſpectes, ſive actiones, obnoxii; Sunt *denique*, qui ſingulari pietatis ſtudio eminent. Pro *triplici* hoc reſpectu diverſimode de *Patribus*, tanquam Chriſtianis, judicandum eſſe, apud cordatos in confeſſo erit. Norma, ſecundum quam judicandum eſt, æternæ ſunt veritatis & virtutis leges, cum ratiocinatione ſola elicitæ, tum a Chriſto & Apoſtolis in ſacris traditæ. Ubi igitur ad primum characterem reſpiciens deprehendo, *Patrem* aliquem nomen duntaxat Religioni chriſtianæ dediſſe, vita tamen & moribus a ſanctiſſimæ diſciplinæ norma turpiter deſciviſſe, ſcapham ſcapham appellandam eſſe puto; neque enim pro temporum & regionum diverſitate mutari ſolent leges naturales atque divinæ. Si pii ſunt *Patres* illi, ſed nævis multis, ſive ad intellectum reſpicias ſive ad voluntatem, obnoxii, ſimiliter judicandum eſt, ut de Chriſtianis noſtræ ætatis id fieri debet: quæ laude digna ſunt, ſunt laudanda & ſequenda; peccata, quæ parum cavet natura humana, non ultra modum ſunt exaggeranda, neque tamen ſimul adprobanda. In hoc ſæpiſſime peccatum eſſe, manifeſtiſſimum eſt. Turpis *Patris* alicujus error, aut adfectus impotens, a cæcis eorum admiratoribus excuſatur; ubi vero adverſus eundem lapidem aliquis e modernis impegit, hæreſis eſt, vel vitium atro carbone notandum. Certe ſi admiratores *Patrum* æque acutum cernere vellent in *Patrum* vitiis, ac id fit in noſtræ ætatis Scriptoribus & Doctoribus, neſcio quo loco multi eorum eſſent habendi. Denique, ubi perſpicuum eſt, *Patrem* aliquem ſingularibus virtutibus eluxiſſe, atque ſanctiſſi-

ctiſſimæ diſciplinæ præceptis, quantum in hac rerum caligine fieri poteſt, conſtanter adhæſiſſe, dignis elogiis eſt extollandus. Ubi tamen ſequentia obſervanda eſſe puto: *Primum* eſt, ubi de virtutibus *Patrum* judicandum eſt, eas ſecundum rectæ rationis & Revelationis normam eſſe expendendas. Si ab hac regula diſcedas, tenebris omnia circumſepta ſunt. Multi, ubi de virtutibus *Patrum* judicant, Paradoxa Stoicorum potius, quam rectæ rationis decreta & Chriſti præcepta pro norma judiciorum ſuorum habere videntur. 2.) Ubi neque rationis neque revelationis leges *actiones* quaſdam inculcant aut depoſcunt, ſed eædem ex ignorantia, ſuperſtitione, aut temperamento ortæ ſunt, actiones illæ neque laudandæ, neque tanquam exemplar, quod cæteri Chriſtiani ſequantur, repræſentandæ. 3.) Cum pietas non impediat, quo minus quis errare poſſit, atque conſtet, a *Patribus*, pietatis laude alias florentibus, multos errores circa principia theoretica & practica commiſſos fuiſſe, prout id a Viris doctiſſimis, *Dallæo* cumprimis, *Witbyo*, *Clerico*, atque *Barbeyracio* oſtenſum eſt, fas eſt, atque cuivis licet, errores illos impugnare. 4.) Quanquam haud diffiteamur, Chriſtianos multos, quo propius ad tempora Apoſtolorum acceſſerunt, eo majoribus virtutibus, pietate nempe, candore, Zelo pro gloria Dei, &c. eluxiſſe, Deo per triſtia fata virtutes eorum acuente, exiſtimandum tamen non eſt, eos omnibus erroribus atque nævis fuiſſe deſtitutos, aut neminem vere pium eſſe, niſi qui iiſdem fuerit exercitus fatis; Ex quo ſimul conſequitur, pro regula univerſali omnibus Chriſtianis imitanda non eſſe habendas actiones ſingulares, ad quas peragendas ſingulari divinæ providentiæ diſpenſatione erant vocati. Cum enim verus amor Dei unus idemque ſit, licet variis rationibus ſeſe exerat, omnis pro vere pio eſt habendus, cujus præcordiis ille adfectus ineſt, licet aliorum virtutes pro temporum ratione clarius enituerint.

Denique *tertio* loco conſidero *Patres* tanquam homines *Eruditos*, ſive Doctores publicos, qui ſua de rebus variis, ſacris præſertim, cogitata cum aliis communicare voluerunt. Atque hic iterum vel *res geſtas* referunt, vel *tanquam Philoſophi*, *de rebus divinis atque humanis* ratiocinantur, vel denique *Theologorum officio* defunguntur. Quando *Hiſtoricorum* partes agunt, aut mentionem faciunt rerum, ſua ætate in Republica vel Eccleſia geſtarum; aut referunt ea, quæ ab aliis tradita ſunt. Si differunt de rebus ſua ætate geſtis, quæro, utrum teſtes ſint oculati, vel auriti; utrum res in ſe ſpectatæ credibiles ſint, nec ne; utrum præjudicatis opinionibus aliquid conceſſerint; & quæ alia ſunt, quæ

in

in ejusmodi examinibus requiruntur. Si vero mentionem faciunt rerum ante tempora, quibus vixerunt ipsi, gestarum, tum video, utrum monumenta, ad quæ provocant, ad nostram pervenerint ætatem, nec ne. Si *prius* est, ea quæ a Patribus illis dicuntur, cum Scriptorum illorum monumentis conferenda existimo, atque videndum, utrum mentem auctorum recte ceperint nec ne; utrum aliquid iis addiderint vel detraxerint; &c. Si *posterius*, difficulter, utrum per omnia mentem auctorum adsecuti sint, dici potest; dispiciendum interim utrum alii eorundem Scriptorum mentionem faciant nec ne. &c.

Si *Philosophos* agant *Patres*, nihil aliud requiritur, quam ut eorum ratiocinia ad rectæ rationis normam expendamus. Cum enim *Patres* non aliud habuerint ratiocinationes hominum expendendi instrumentum, quam nos, objecta vero Philosophiæ, sive ad Matheſin & Physicam, sive ad morales disciplinas spectantia, eadem semper fuerint, imò omnium, qui sapiunt, judicio, rectius a modernis expensa sint, nemo non videt, licitum esse *Patres* minus recte ratiocinantes refellere atque rationes eorum expendere. Cum autem constet, plerosque *Patrum* primorum seculorum amore *Pythagorico-Platonicæ* Philosophiæ fuisse captos, facile judicari potest, quales illi Philosophi fuerint. Philosophia enim hæc nullis certis principiis erat innixa, in speciem sublimia promittebat, at si res ipsas inspicias, nonnisi incerta, vaga, imo inepta continebat decreta. (*) Si denique de rebus sacris agunt *Patres*, nil facilius est, si omnes præjudicatas opiniones valere tantisper jubeas, quam certo nosse, utrum sententiæ eorum cum sacris Literis conveniant nec ne, quidque adeo illis hac in parte tribuendum sit. Theologi aut S. Literas interpretantur, aut decreta Religionis christianæ explicant, aut dissentientes impugnant, aut denique præcepta Religionis christianæ ad mores pertinentia, tradunt atque confirmant. Quando igitur *Patres* S. Literas explicant, in campum Philologicum cum iis est exspatiandum, atque videndum, utrum naturam, & indolem Sermonis Græci atque Hebraici rite perspexerint. Cum Regulæ Grammaticorum atque Criticorum generales, apud omnes eædem sint, atque adeo ad eorum normam non minus *Patres*, quam nos suas interpretationes exigere debuerint manifestum est, sequendos esse *Patres*, ubi convenienter iis ratiocinantur; deserendos vero, ubi errant, atque ineptas interpretationes in medium proferunt.

(*) Dignus est, qui de hoc Argumento legatur Vir Doctissimus, mihique amicissimus, Joh. Jacobus Brukerus Hist. Philosoph. Tom. IV. part. II.

Quam turpiter autem, idque frequentissime, in hoc argumento versati fuerint, quotque ineptas, atque contortas explicationes, & allegorias excogitarint, nemo Eruditorum hodie ignorat.

Quandoquidem unica, & infallibilis credendorum regula est S. Scriptura, necesse est, ut ad eam, tanquam lydium lapidem, dogmata Religionis a *Patribus* tradita examinemus. Cumque æque bonis, si non melioribus præsidiis hodie instructi simus, ad sensum divinorum oraculorum explicandum, & eruendum, & in omnium manibus versetur codex sacer, haud difficile erit judicare, utrum a Prophetarum, Christi & Apostolorum decretis recedant *Patres* nec ne. Ubi igitur constat, eos præjudicatas, & a juventute acceptas opiniones, aut sententias falsis interpretamentis nixas, sequi, merito deserendi sunt; ubi vero ex limpidis Revelationis fontibus sua decreta hauriunt, adprobandi.

Si contra Hæreticos in arenam descendant *Patres*, videndum, utrum momenta controversiarum rite expenderint, atque Hæreticorum opiniones candide & sincere repræsentarint; utrum gravibus & solidis argumentis eorum opiniones impugnarint; utrum errores ipsorum in majus extulerint, variisque artibus ab invidia petitis, usi fuerint nec ne &c. Quod si Hæreticorum opiniones notæ, atque perspectæ sint, facile hoc examen absolvi poterit. Comparandæ duntaxat argumentationes *Patrum* cum rectæ rationis decretis, atque Revelatione, atque hic, prout recte officio suo defuncti sunt, vel secus, *Patres* laudandos vel vituperandos censemus. Dolendum autem plerorumque, eorumque antiquissimorum Hæreticorum, uti vocantur, Scripta periisse: hinc enim fit, ut difficulter, quid illi homines senserint, definire liceat. Si nihil adfinxerunt *Patres* hisce hominibus, statuendum, plerosque eosque antiquissimos, impostores, aut fanaticos fuisse. At experientia constat, levissimas sæpe opiniones erroneas a *Patribus* pro gravissimis erroribus habitas, multaque perperam errantibus impacta.

Denique, ubi de præceptis Religionis christianæ agunt *Patres*, ad manus non solum sunt æternæ veritatis, & virtutis leges; sed ipsius Christi, infallibilis Doctoris præcepta, atque decreta. Ad hanc normam, si præcepta sua adaptant *Patres*, placent; Si vero rethoricantur, atque ex ineptis Philosophorum opinionibus, de Christi præceptis judicium ferunt; si ultra modum præcepta quædam urgent; si superstitiosas opiniones, & consuetudines, contra æternas veri rectique

que regulas defendunt, tum Patres res suas sibi habere jubemus, atque rectæ rationis decretis, & Christi præceptis firmiter adhæremus.

Hoc animo, & secundum dictas leges hactenus in lectione *Patrum* versatus sum, rectene an secus fecerim, judicent Viri Eruditi, & harum rerum periti. Ego saltem existimo, me ita agendo, neque detrahere *Patrum* auctoritati, neque plus illis etiam, quam par est, tribuere, in quo tamen utroque sæpe peccatum fuisse norunt omnes, qui vel leviter historiam rerum inter Eruditos gestarum degustarunt.

III. Sed tempus est, ut dicam, qua methodo in expendendis *Visionibus*, quæ quibusdam primitivæ Ecclesiæ Christianis contigisse dicuntur, usus sim. Eum in finem regulas quasdam, quas observandas esse putavi, ordine proponam, easque in sequentibus Exemplis confirmabo:

Prima hæc est: *Visiones, Christianis primorum post Christi, & Apostolorum discessum Seculorum, obtingere poterant, & actu ipso obtigerant.* Cum nihil neque a parte Dei, neque a parte hominis ostendi possit, quo probetur, aut Visiones in se spectatas impossibiles esse, aut Deum post excessum Christi, & Apostolorum tales concedere nolle; nihil est nostra opinione, quod impediat, quo minus adseramus, Visiones Christianis æque contingere potuisse, ac iis, qui Prophetarum, Christi & Apostolorum ætate vixerant; imo cum testimonia luculenta respectu quorundam adferri possint, temerarium esset, omnia prorsus proscribere velle.

Secunda: Cum Visiones inter dona miraculosa referendæ sint, Deus autem sine extrema necessitate miracula facere haud soleat, Visiones huic, vel illi contigisse adserendum non est, nisi gravissimæ rationes id suadeant. Non puto, quemquam mihi de hac regula controversiam moturum: Solent ipsi Theologi omnium fere sectarum in interpretatione S. Literarum versantes, hoc ipsum inculcare. Quod si hoc observandum est iis in locis, ubi loquuntur Viri θεοπνευστοι, multo magis id erit observandum, quando homines hoc dono non instructi, vel de se, vel de aliis talia narrant; præsertim cum constet, quam facile imaginationis ludibria, cum veris Visionibus confundantur.

Tertia: Non opus est visione extraordinaria ad ea revelanda, quæ facile a quovis vel ex ratione, vel ex revelatione addisci possunt. Cum Deus sapientissimus nihil agat frustra, præcepta autem generalia recte vivendi, decretaque scitu ad salutem cognitu necessaria, cuivis facile ex lectione S. Literarum constent, haud credibile est, Deum insolitis rationibus usurum.

Quarta; Visiones, quæ propositiones manifesto falsas, & contradictorias, aut Numinis virtutibus, & perspicuæ Revelationi contrarias involvunt, divinæ originis esse non possunt. Non opus esse puto, ut pluribus adserti hujus æquitatem probem. Contradictoriæ propositiones sensum nullum fundunt, neque adeo credi possunt. Falsæ & virtutibus divinis, perspicuæque Revelationi contrariæ, Deum Authorem habere non possunt, nisi statuas, Deum contraria sibi & naturæ suæ simul injungere posse, quod vel cogitare de Deo impium est.

Quinta: Visiones, quæ ad probandas sectæ alicujus privatas opiniones, easque falsas, vel veras quidem, sed ex sola revelatione facile cognoscendas, adferuntur, merito falsitatis sunt suspectæ. Cum enim Deus per naturam suam propositiones falsas ingerere mortalibus non possit, propositiones autem particulares, licet veræ, facile ex Revelatione percipi possint, causam non videmus, cur Deus particulares ejusmodi veritates, de quibus Christiani inter se certare solent, Visionibus comprobet.

Sexta: Si quis Visiones cœlestes jactitans, non semel errasse deprehendatur, reliquis Visionibus, quas sibi contigisse ait, quæque nihil falsi comprehendunt, fides decedit. Qui enim bis, aut ter decipi potuit, atque cerebri ludibria pro cœlesti visione habuit, ille etiam in reliquis decipi potuit. Saltem hoc ipsum efficit, ut difficulter veras Visiones a falsis distinguere possimus. Quod si enim hoc illi ipsi, qui talia sibi contigisse narrat, evenire potuit, quid mirum, alios non sine ratione de veritate Visionum dubitare?

Septima: Visiones, quæ in se spectatæ nihil absurdi, aut virtutibus divinis contrarii habent, sed multis tamen circumstantiis fabulosis, & ineptis vestitæ sunt, falsitatis sunt suspectæ. Quando illi, qui adserunt Visiones sibi obtigisse, aut qui aliis ejusmodi eveniſse narrant, manifestissimas fabulas narrationi suæ adjiciunt, eo ipso efficiunt, ut eos aut pro impostoribus, aut credulis hominibus habeamus. Fieri equidem potuit, ut huic, vel illi Christiano Visio obtigerit, quæ narrata alii, multis fabulis fuerit adaucta; at cum testem nullum habemus, quam eum ipsum, qui veris fabulas admiscuit, verum a falso discernere non possumus, atque tantisper narrator ille, quisquis tandem is fuerit, suspectus est fraudis.

Octava: Si ex hominis, Visiones jactantis universa vitæ ratione, atque opinionibus constet, eum fanaticum esse, æstum imaginationis sequi, atque singularia semper, & insolita consectari, haud facile Visiones illi a

Deo

Deo obtigisse credibile est. Cum Deus in gratiam non hominis unius duntaxat, sed plerumque aliorum etiam, visiones, & miracula edere soleat; homo autem fanaticus cerebri commenta haud facile a vera visione distinguere possit, cæteri vero homines deprehensis tot delirantis ingenii argumentis, vix homini talia jactanti fidem habere possint, haud cum Sapientia divina convenire videtur, ut tali homini per miraculum visa quædam offerat.

Nona est: *Homo, qui impostura varia de se edit signa, falsissimaque aliis de rebus agens, narrare non verecundatur, ubi Visiones sibi obtigisse narrat, merito amittit omnem fidem.* Quam æqua sit, & rationi conveniens hæc regula, non opus est, ut pluribus probemus.

Decima: Is, qui cuidam diu ante se nato ὄραμα quoddam divinum oblatum fuisse narrat, cujus tamen illi ipsi, qui eadem ætate vixerant, remque probe cognoscere poterant, nullam plane faciunt mentionem, merito suspectus est. Hac regula omnes fere Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores, narrationes veterum examinantes, utuntur, quæ & hic rectissime applicari potest, & debet.

Ad has regulas, *Erudite Lector*, meum de Visionibus Christianorum examen institui. Scio, eas non semper esse infallibiliter certas, neque adeo quibusvis necessario adsensum extorquere. Interim, si ad probabilitatis leges, quas artis ratiocinandi Magistri tradunt, eas exigas, aut fallor, aut nihil magnopere erit, quod censura dignum sit. Mathematicam ἀκρίβειαν nemo hoc in argumento a nobis exspectabit. Quod si in applicatione exemplorum ad has regulas deceptus sum, non malo animo id a nobis factum Vir cordatus, & æquus censebit. Si ullibi, hic certe errare pronum est. Sæpe multiplices circumstantiæ, quæ ad confirmandam aliquam narrationem multum lucis adferre potuissent, præsto non sunt. Neque quemquam fugit, mortales nocturnis Visionibus, temperamento, & inepta superstitione varie deludi posse. Ut de manifestis fraudibus toties totiesque inter veteres æque ac recentiores, deprehensis nihil dicam, quis nescit, quot supposititii libri a maleferiatis hominibus primis seculis excogitati sint? Errores cum pietate sæpe erant conjuncti. Verbo; non agitur de Visionibus, quarum S. Literæ mentionem injiciunt, sed de visis, quæ hominibus, qui æque ac nos falsis imaginibus fascinari potuerunt, obtigisse dicuntur. Ut non dicam, pleraque, quæ hic narrantur, non ab iis ipsis, quibus talia contigerunt, fuisse literis consignata, sed ab aliis, de quorum fide non semper possumus esse persuasi. Religio christiana,

na, si vel maxime Christianis, post Christi & Apostolorum obitum, nullæ obtigissent Visiones, tantam, ob suam præcellentiam, vim in animos hominum habuisset, ut non potuisset non homines veri, rectique amantes, atque pravis animi studiis vacuos, in sui admirationem abripere. Nemo igitur mirabitur, si libere sensa animi mei, de his, vel illis visionibus, hactenus nondum satis expensis declarem; Nil pietati eorum, qui forte bono animo decepti erant, decedet. Ii vero, qui data opera falsa fingunt, aut aliis tribuunt, digni sunt acri censura. In cæteris ita disseremus de hoc argumento, ut nemo facile candorem, modestiam, verique amorem in nobis desideraturus sit.

IV. Sed accedamus jam ad rem ipsam, Exemplorum multorum inductione probaturi, jam inde a primis seculis multas Visiones temere fuisse jactatas, ab antiquis vero pariter & recentioribus, sed perperam defensitatas. Ubi in antecessum monemus, atque fatemur, post Christi & Apostolorum excessum, miracula, prophetias, & Visiones non prorsus desiisse. Luculenter hoc probarunt Viri Doctissimi *Dodwellus, Dissert. Cyprian. IV. Pfannerus Diatribe de Charismat. sive donis miraculosis antiquæ Ecclesiæ. Arnold, Delineat. vitæ morumque veterum Christianorum. Witsius Miscell. Tom. I. Lettnerus Dissertat. singulari Miscell Lipsi. Tom VIII inserta*, ut alios taceam. Ad hos ergo ablego eos, qui harum rerum studio tenentur. Unum saltem alterumque locum ad hoc probandum adducam, atque dein sine mora ad eas visiones pergam, & quidem secundum ordinem Seculorum, quæ mihi quidem falsitatis videntur admodum suspectæ.

Justinus Martyr in suo cum *Tryphone Judæo* colloquio pag. m. 308. ita de hoc argumento loquitur: παρα γαρ ἡμιν καὶ μεχρι νυν προφητικα χαρισματα ἐστιν ἐξ ὲ καὶ αὐτοι συνιεναι ὀφειλετε. Ὁτι τα παλαι ἐν τω γενει ὑμων ὀντα εἰς ἡμας μετετεθη, i. e. *Apud nos enim hucusque etiam prophetica exstant dona: unde & vos intelligere debetis, quæ olim in genere vestro fuere, ea in nos esse translata.* Provocat ad hunc locum *Eusebius Hist. Eccles. Lib. IV.* cap. XVIII. ubi ita de *Justino*: γραφει δε ὡς ὁτι μεχρι καὶ αὐτα χαρισματα προφητικα διελαμπεν ἐπι της ἐκκλησιας. i. e. *Sed & prophetica dona adhuc sua ætate in Ecclesia viguisse scribit.* Similem in modum loquitur *Miltiades* apud *Euseb. Lib. V. cap. XVII.* ubi enumeratis N. T. Prophetis, *Agabo, Sila, Philippi filiabus, Ammia Philadelphensi, Quadrato*, ita contra Montanistas argumentatur: δειν γαρ ἐιναι το προφητικον χαρισμα ἐν πασι τη ἐκκλησια μεχρι της τελειος παρεσιας ὁ ἀποστολος ἀξιοι, i. e. *Etenim prophetiæ donum in omni Ecclesia*

ad

ad ultimum usque Domini adventum permanere debere, *Auctor est Apostolus. Irenæus*, *adversus Hæres.* Lib. II. cap. 31. pag. 164. edit. *Massueti* contra *Gnosticos* disputans, ait: Τοσουτον δε ἀποδεουσι του νεκρον ἐγειραι, καθως ὁ κυριος ἠγειρε καὶ οἱ ἀποστολοι δια προσευχης καὶ ἐν τη ἀδελφοτητι πολλακις δια το ἀναγκαιον της κατα τοπον ἐκκλησιας πασης αἰτησαμενης μετα νηστειας πολλης καὶ λητανειας ἐπεστρεψε το πνευμα τετελευτηκοτος καὶ ἐχαρισθη ὁ ἀνθρωπος ταις ευχαις των ἁγιων, i. e. *Tantum autem absunt ab eo, ut mortuum excitent (quemadmodum Dominus excitavit, & Apostoli per orationem, & in fraternitate sæpissime propter aliquid necessarium, ea, quæ est in quoquo loco, Ecclesia universa postulante per jejunium & supplicationem multam, reversus est spiritus mortui, & donatus est homo orationibus sanctorum) ut ne quidem credant hoc in totum posse fieri.* cap. XXXII. ait: *Si autem & Dominum per phantasmata hujusmodi fecisse dicunt, ad prophetica reducentes eos ex ipsis demonstrabimus omnia sic de eo prædicta esse & facta firmissime, & ipsum solum esse filium Dei. Quapropter & in illius nomine, qui vere sunt illius discipuli, ab ipso accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque donum accepit ab eo. Alii enim Dæmones excludunt, firmissime & vere, ut etiam sæpissime credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus & sint in Ecclesia. Alii autem & præscientiam habent futurorum, & visiones & dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manus impositionem curant, & sanos restituunt. Jam etiam quemadmodum diximus & mortui resurrexerunt, & perseveraverunt nobiscum annis multis. Et quid autem? Non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum Ecclesia a Deo accipiens in nomine Christi Jesu crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit, neque seducens aliquem, nec pecuniam ei auferens. Quemadmodum enim gratias accepit a Deo, gratias & ministrat.* Denique Lib. V. cap. 6. pag. 299. Καθως καὶ πολλων ἀκουομεν ἀδελφων, ἐν τη ἐκκλησια προφητικα χαρισματα ἐχοντων, καὶ παντοδαπαις λαλουντων δια τε πνευματος γλωσσαις καὶ τα κρυφια των ἀνθρωπων εἰς φανερον ἀγοντων ἐπι τω συμφεροντι καὶ τα μυστηρια τε Θεε ἐκδιηγουμενων, i. e. *Quemadmodum & multos audivimus fratres in Ecclesia, prophetica habentes Charismata & per Spiritum universis linguis loquentes, & absconsa hominum in manifestum producentes, ad utilitatem & mysteria Dei enarrantes.* Hisce addemus unum *Originis* contra *Celsum* testimonium, quod exstat Lib. I. pag 34. seq. Και ἐτι ἰσχυη (inquit) τε ἁγιε πνευματος, ὀφθεντος ἐν ειδει περιστερας παρα χριστιανοις σωζεται. Ἐξεπαδεσι δαιμονας, καὶ πολλας

ἐασεις ἐντελεσι, καὶ ὁρωσι τινα κατα το βελημα τε λογε περι μελλοντων. Καν χλευασῃ δε Κελσος το λεχθησομενον, ἡ ὁν εἰσηγαγεν ὁ Ἰεδαιος, ὁμως λελεξεται, ὁ τι πολλοι ὡσπερει ἀκοντες, προσελκυσθασι χρισιανισμω. Πνευματος τινος τρεψαντος αὐτων το ἡγεμονικον ἀιφνιδιον ἀπο τε μισειν τον λογον ἐπι το ὑπερ ἀποθανειν αὐτε, καὶ φαντασιωσαντος αὐτες ὑπαρ ἡ ὀναρ. Πολλα γαρ τοιαυτα ἱσορησαμεν ἀτινα ἐαν γραφομεν αὐτοι αὐτοις παρατυχοντες καὶ ἰδοντες γελωτα πλατον ὀφελησομεν τοις ἀπιστοις, ἡμας ὁμοιως ὁις ὑπολαμβανεσι ταυτ' ἀναπεπλακεναι καὶ αὐτες πρασσειν. Ἀλλα γαρ θεος μαρτυς τε ἡμετερε συνειδοτος, βελομενε ἀδια ψευδων ἀπαγγελλων, αλλα δια τινος ἐνεργειας ποικιλης συνισανειν την Ἰησε θειαν διδασκαλιαν. i. e. *Quin & hodie vestigia Spiritus illius Sancti, qui columbæ specie apparuit, servantur apud Christianos, excantant dæmonia, multas sanationes perficiunt, prævident voluntate Dei futura. Irrideat licet Celsus quod dicetur, aut introductus ab eo Judæus, dicetur tamen: multos pene invitos attractos esse ad Religionem Christianam, Spiritu quodam repente mutante intellectum eorum, ab odio quo erga verbum detinebantur, ita ut ipsius gratia non cunctarentur mortem oppetere, post Visiones oblatas ipsis vel dormientibus vel vigilantibus. Multa enim talia videmus, quæ si memoraremus duntaxat gesta in nostra præsentia, cachinnos tollerent infideles, rati, nos quoque, sicut illos de quibus male suspicantur, fingere. Testis autem est Deus nostræ conscientiæ, conari me non falsis narratiunculis, sed variis compertæ veritatis exemplis commendare divinam Jesu Christi doctrinam.*

Hæc sunt præcipua loca, quibus probatur, non defuisse Ecclesiæ christianæ, post Christi & Apostolorum excessum, dona miraculosa. Hoc unum quæritur, utrum tanta fuerit ejusmodi bonorum multitudo, quantam testimonia illa inferre videntur. Sunt, qui putent, Patres aliquid incertis rumoribus dedisse, atque aliquando rethoricatos esse, cum de hoc argumento verba fecerunt. Inter eos est Doctissimus *Clericus*, qui *Hist. Eccles. pag. 681.* enarratis verbis *Irenæi*, in hæc erumpit verba. *Quibus quidem nemo fidem prorsus negare sustineat, sed tamen quæcunque boni Viri ab aliis audita, & facile credita iis temporibus, quibus credulitas virtus habebatur, narrabant, vera propterea esse consequens non est. In honorem Dei salutemque hominum, hyperbolica oratione uti, nemo tunc temporis Religioni ducebat.* Hæc verba multis vehementer displicuerunt. Indignatur propterea eruditissimo Viro, Cel. *Kettner.* in *Dissertat.* de *reliquiis miraculorum*, & *Visionibus post Apost. tempora*, „abjecte (inquit) de S. *Irenæo Polycarpi* auditore, & Apostolorum

„ſtolorum temporibus vicino Patre loquitur, ejusque fidem ſuſpectam „reddit, quem tamen *Tertullianus* omnium doctrinarum curioſiſſimum „exploratorem, *Euſebius* fide digniſſimum rectæque Catholicæ Doctri„næ propugnatorem appellarunt. Sane non eſt, quod ſuſpicemur, „S. *Irenæum* in re tam recenti, & manifeſta mentiri voluiſſe." At ego I.) cum multis aliis illationis illius vim adſequi non poſſum; nimirum *Irenæus* ſecundum *Tertullianum* omnium doctrinarum curioſiſſimus explorator, ſecundum *Euſebium* Catholicæ fidei propugnator fuit; Ergo reſpectu multitudinis miraculorum, & Viſionum errare non potuit: cum non quid ubique locorum geſtum fuerit, cognoſcere potuerit *Irenæus*, facile fidem adhibere potuit iis, quæ ab aliis in laudem Eccleſiarum dicta erant. Neque dixerat *Clericus*, *Irenæum* data opera mentitum fuiſſe, ſed hyperbolica oratione uſum ſæpius cum aliis, quando de progreſſu Religionis miraculis confirmatæ ſermo erat. Conſtantiam in Profeſſione Religionis chriſtianæ, fiduciam in Deum, Zelum pro gloria Dei, quibus virtutibus eluxiſſe primæ ætatis Chriſtianos non negamus, ita deſcribere potuit, aut ab aliis tradita repræſentare, quaſi cuncta præter ordinem naturæ facta fuiſſent. Certe in ſequentibus docebimus, ipſos martyres aliquando figuratis & hyperbolicis locutionibus delectatos fuiſſe. At II.) cum multi, non tam quid, quam a quibus dicatur, attendant, proferam teſtimonium Theologi omnium judicio *modeſtiſſimi*, qui de donis hiſce miraculoſis primorum temporum loquens, non minus cordate atque aperte animi ſui ſententiam aperit. atque is eſt H. *Witſius*, cujus verba extant *Miſcell. Tom. I. Sect. XIV. pag. 371. ſeq.* atque ita ſonant. „At (inquit) quan„tavis confidentia multa narrari videamus, non tamen nefas eſſe exi„ſtimo ea accuratiori Examini ſubjicere. Mihi ſic videtur: Deum „quidem Optimum, Maximumque initio Evangelii Prophetas Spiritu „ſuo ſingulari ratione actos, Eccleſiæ conceſſiſſe, qui una cum Apo„ſtolis, imo & aliquando poſt eorum ex terris exceſſum ſalutari do„ctrinæ propagandæ invigilarunt, & miſſionem ſuam prodigiis con„firmarunt: hoc enim illorum temporum ratio prorſus requirere vi„debatur. Neque abnuo, tales inſignes Dei viros tertio etiamnum „& quarto æræ Chriſtianæ ſeculo extitiſſe: Durum enim eſſet, piis Pa„tribus de ſui ævi ſuæque familiaritatis hominibus talia conſtanter nar„rantibus, fidem omnem abrogare. Non tamen idcirco neceſſe arbi„tror, ut ſine diſcrimine omnia admittamus. Patrum plerorumque „ſtylus ad declamatorium dicendi genus accommodatus, hyperbolicis

„ exaggerationibus scatet; quæ nisi benigniore interpretatione aliquan-
„ tum juventur, non est, ut justam veramque rerum ideam animo re-
„ præsentent. Nec dissimulandum, Patres aliqua multos nimia labo-
„ rasse credulitate, & imprudenter arripuisse, imprudentius narrasse,
„ eo cui adsueti erant dicendi magnifico charactere, quæ tamen scire
„ potuissent haud satis esse explorata, modo libuisset majori cum ju-
„ dicio attendere. Quod nemo ignorat, nisi qui in legendis Patribus
„ hospes est, aut eadem cum ipsis credulitate præditus. Accedit, quod
„ cum admodum sibi placerent homines in Visionibus & adparitioni-
„ bus, facile sibi persuaserint ab extraordinaria divini Spiritus opera-
„ tione proficisci, quæ ex vehementi fixaque imaginatione, secundum
„ ordinarium naturæ cursum, provenire potuerunt. Sane quæ de suis
„ Visionibus *Cyprianum* modo narrantem audivimus, non tam grandia
„ esse videntur, quin homini talium cogitationum pleno naturaliter
„ in mentem venire quiverint.„ Ita *Witsius*, cujus de *Cypriano* judi-
cium luculenter infra confirmabimus. III.) Testimoniis illorum tem-
porum satis potest ostendi, opiniones multas de extraordinariis Visio-
nibus & miraculis temere fuisse arreptas. *Eusebius* v. gr. *Hist. Eccl. Lib. III. cap. 3.* de *Hermæ Pastoris*, libro (de quo ex professo mox
pluribus agemus) agens, hæc scribit: *Quoniam vero Apostolus Paulus in salutationibus illis, quæ sub finem Epistolæ ad Romanos leguntur, inter cæteros mentionem facit Hermæ, cujus esse fertur is liber, qui Pastor inscriptus est: Sciendum est, eum librum a nonnullis quidem in dubium esse revocatum. Quamobrem inter receptæ authoritatis libros censeri non potest. Ab aliis vero maxime necessarius judicatur, iis præsertim, qui primis Religionis nostræ elementis instituendi sunt. Unde etiam eum in Ecclesiis publice legi comperimus, & quosdam in vetustissimis Scriptoribus ipsius testimonio usos fuisse.* Ita *Eusebius.* Atqui hic liber hyperbolicis locutio-
nibus, ineptis Visionibus, & falsis traditiunculis scatet. Quod si plebs
secundum præcepta fanatici hominis institui debuit, fieri aliter non
potuit, quam ut sæpissime deciperetur, & ludibria imaginationis pro
eventu miraculoso venditaret. Cumque *Origenes*, *Irenæus*, *Athanasius*
sæpe ad hunc librum provocarent, eumque magni facerent, quis du-
bitet, quin plebs magis magisque in sua opinione fuerit confirmata?
Idem *Eusebius* Lib. eod. Cap. XXXIX. ubi de *Papia*, ejusque Scriptis
agit, ita hominis ingenium, & scribendi rationem delineat, ut haud
obscure pateat, quam facile inter Christianos ineptæ & portentosæ opi-
niones spargi potuerint. Proferamus quædam ex eo: *Papiæ vero* (in-
quit)

quit) *quinque omnino feruntur libri, quorum titulus est, de interpretatione oraculorum Dominicorum. Horum quinque duntaxat Papiæ librorum meminit Irenæus his verbis: Testatur, inquit, hæc Papias, Johannis auditor & Sodalis Polycarpi, Scriptor antiquus, in quarto operis sui libro. Sunt enim ab eo quinque libri compositi, & hæc quidem Irenæus. At vero Papias ipse in prœmio librorum suorum se quidem sanctorum Apostolorum Spectatorem atque auditorem fuisse non dicit; sed ab eorum familiaribus normam fidei se accepisse testatur his verbis: Nec pigebit, inquit, eâ, quæ quondam a Scriptoribus didici, ac memoriæ mandavi, cum interpretationibus nostris adscribere, ut veritas eorum nostra quoque assertione firmetur. Non enim ut plerique solent, eos unquam sectatus sum, qui verbis adfluerent, sed eos potius, qui verum docerent: nec eos, qui nova quædam & inusitata præcepta, sed illos qui Domini mandata in figuris tradita, & ab ipsa veritate profecta memorabant. Quod si quis interdum mihi occurrebat, qui cum Senioribus versatus fuisset, ex eo curiose scisciabar, quænam essent Seniorum dicta: Quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Johannes, quid Matthæus, quid cæteri Domini discipuli dicere soliti essent? Quidnam Aristion & Johannes Presbyter discipuli Domini prædicarent? Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce.* Et paucis interjectis: *Multa certe quæ ab iis tradita acceperat ipsorum nominatim mentione facta in Commentariis suis retulit. Porro operæ pretium fuerit supra citatis Papiæ verbis alia etiam ejusdem testimonia adjungere, in quibus miracula quædam ex aliorum fide ac traditione commemorat. Philippum quidem Apostolum una cum filiabus Hierapoli degere solitum, superius docuimus. Nunc vero quemadmodum Papias, qui iisdem temporibus vixit, mirabilem quandam narrationem a Philippi filiabus accepisse se refert, exponamus. Scribit enim, mortuum sua ætate ad vitam esse revocatum. Alterum quoque ingens miraculum refert de Justo, qui Barsabas cognominatus est, qui cum lethale poculum ebibisset, tamen Dei adjutus gratia, nullum inde accepit incommodum. Hunc autem Justum post Domini adscensionem a Sanctis Apostolis productum esse in medium cum Mathia, factamque ad Deum precationem, ut alter eorum sorte duceretur, qui in locum Proditoris Judæ substitutus numerum eorum expleret. - - Idem præterea Scriptor alia nonnulla nudæ vocis traditione ad se pervenisse testatur, novas quasdam scilicet Servatoris parabolas, ac prædicationes, aliaque fabulis propiora, inter quæ & mille annorum spatium post corporum resurrectionem fore dicit, quo Regnum*

gnum Christi corporaliter stet in orbe terrarum. Quæ quidem ita opinatus esse videtur Papias ex male intellectis Apostolorum narrationibus, cum ea quæ arcano quodam sensu & exempli causa, ab illis dicebantur, non satis pervidisset, fuit enim mediocri admodum ingenio præditus, ut ex scriptis illius conjicere licet; plerisque tamen post ipsum Ecclesiasticis Scriptoribus ejusdem erroris occasionem præbuit hominis vetustate, sententiam suam tuentibus; puta Irenæo & si quis alius ejusdem opinionis fautor extitit. Ex hoc testimonio *Eusebii* constat a.) hunc *Papiam* fuisse hominem exigui judicii, atque adeo ad quasvis fabellas, & traditiunculas accipiendas pronum atque proclivem. Verum est, eundem *Eusebium cap. XXXVI.* ejusdem libri, hominem vocare Virum *eruditissimum* & *disertissimum.* At testatur *Valesius*, hoc elogium in MSS. Codicibus, quos quidem consuluerit, abesse, neque apud *Ruffinum* legi. b.) patet, non audivisse *Papiam* Apostolos ipsos, sed eorum discipulos duntaxat; unde incertæ, & portentosæ narrationes quævis ab eo arripiebantur, fatente ipso *Eusebio* c.) Hinc non mirum hominem traditionibus duntaxat intentum, sæpissime fuisse deceptum. d.) Narrationes ipsius *Papiæ* a sequentis ætatis Scriptoribus vetustatis præjudicio captis, avide fuisse arreptas. An igitur mirum est, multa seculo secundo, quo vivebat *Irenæus*, temere de præstitis miraculis fuisse jactata? Ipse *Grabius* summus Patrum admirator, qui *Spicilegii sui parte II. pag. 28.* existimationem *Papiæ* vindicare vult, diffiteri non potest, verum esse *Eusebii* judicium. Ita enim pag 29. loco citato loquitur: „ Nihilominus & istam, quam „ in *Papia* notavit *Eusebius* nimiam mentis simplicitatem offendere vi„ dentur ex parte pauca nobis conservata fragmenta: dein fragmentum „ ipsum adducit, quod exstat apud *Irenæum Lib. V.* adv. *Hæres.* cap. 33. „ sonat autem ita. Presbyteri meminerunt, qui Joannem discipulum „ Domini viderunt, audisse se ab eo, quemadmodum de temporibus „ illis docebat Dominus & dicebat: venient dies, in quibus vineæ „ nascentur, singulæ decem millia palmitum habentes, & in uno pal„ mite dena millia brachiorum, & in uno quoque flagello dena mil„ lia botruum, & in uno quoque botro dena millia acinorum, & unum „ quodque acinum expressum dabit viginti quinque metretas vini. Et „ cum eorum aliquis apprehenderit Sanctorum botrum, alius clama„ bit: botrus ego melior sum, me sume, per me Dominum benedic. „ Similiter & granum tritici decem millia spicarum generaturum, & „ unam quamque spicam habituram decem millia granorum, & unum „ quodque granum quinque bilibres similæ claræ mundæ: & reliqua

„ autem

„ autem poma, & semina, & herbam secundum congruentiam iis con-
„ sequentem. Et omnia animalia iis cibis utentia, quæ a terra acci-
„ piuntur, pacifica, & consentanea invicem, fieri subjecta hominibus
„ cum omni subjectione. Hæc autem & *Papias*, Johannis auditor,
„ *Polycarpi* autem contubernalis, vetus homo, per Scripturam testi-
„ monium perhibet, in quarto librorum suorum; Sunt enim illi quin-
„ que libri conscripti, & adjecit dicens: Hæc autem credibilia sunt cre-
„ dentibus. Et Juda inquit proditore non credente & interrogante,
„ quomodo ergo tales genituræ a Domino perficientur? dixisse Domi-
„ num: videbunt qui venient in illa tempora.„ Postquam *Grabius* sententias Christianorum & Judæorum de secundo Christi adventu enarrasset, ait: *Quicquid vero de re ipsa statuatur, de qua judicium piis doctisque Theologis relinquo; modus certe eam proponendi a charactere dictorum Christi, quæ Evangelistæ consignarunt, adeo diversus est, ut vix mihi persuadere queam, altera illa ex ore Servatoris nostri promanasse. Massuetus* vero simpliciter in notis ad *Irenæum* pag. 333. *accepit* (inquit) *vel ex quibusdam Apocryphorum somniis, vel ex spuriis traditionibus.* Quid mirum (repetam) si homo multa inepta, & mira quasi a discipulis Apostolorum accepta, in vulgus sparserit? quid mirum, sequentis ætatis homines traditiones veras a falsis distinguere haud potuisse? IV.) (*) De allato *Origenis* loco aliquid monendum est: ait enim, *multos* Religionis christianæ amore incensos, Martyrium pro ea obiisse. Idem vero contrarium ait Lib. III. pag. 116. Ὀλιγοι κατα καιρας καὶ σφοδρα ἀριθμιτοι ὑπερ της των χριστιανων θεοσεβειας τεθνηκασι. Locum jam produxerat *Dodwellus Dissert. de paucit. Martyrum. Thes. VII.* probaturus tantam martyrum multitudinem primis seculis non extitisse, ac vulgo creditur. Respondet autem *Ruinartus Præf. Generali in acta Martyrum Sect. 22. ita: Sed his verbis nihil aliud intendit Origenes, quam Persecutiones adversus Christianos concitatas ita acerbas non fuisse, ut penitus*

(*) Nollem quemquam ea, quæ de Papiæ narratiunculis & Hermæ libro hactenus dicta sunt, malam in partem capere, atque existimare, me id agere, ut probem, olim promiscue Christianorum cœtuum Doctores, quosvis libellos pro divinis habuisse; hoc enim a mente mea alienissimum est, atque perspicuis argumentis probari potest, primorum Rel. Christianæ Doctorum curam atque sollicitudinem in rejiciendis spuriis, & conservandis libris θεοπνευστοις, fuisse plane singularem. Probare hoc, siquidem id jam ageretur, facile possem. Ad dudum id a doctissimis Viris factum. Vide Cl. *Moshemii Anti-Nazarenum; Erikii Dissert. de cura Veteris Ecclesiæ circa Canonem S. Scripturæ*, & Eruditissimi *Beausobre Dissert. singularem*, insertam Doctissimo operi, cui titulus: *Histoire critique de Manichée, & du Manicheisme.*

tus Christiani deleri potuissent, paucosque revera passos fuisse, si cum iis comparentur, qui superstites fuerant. Dudum autem monuit Doctissimus *Clericus Bibl. select. Tom. XXVI. 18.* Voces *multi* & *pauci*, esse relativas, adeoque ex verbis *Origenis* litem illam inter *Dodwellum* & *Ruinartum* dirimi haud facile posse. (*) Sed adest alius etiam insuper *Origenis* locus a *Dodwello* alia occasione *Dissert. IV. de Visionibus* primorum Christianorum productus, qui satis perspicue videtur probare, tantam donorum cœlestium, nimirum extraordinariorum, copiam non fuisse, ac vero quidam perhibent. Verba *Orig. Lib. III. contra Celsum ita sonant*: Σημεια δε τε ἁγιε πνευματος κατ' ἀρχας μεν της Ἰησε διδασκαλιας, μετα δε την ἀναληψην αὐτε πλειονα ἐνδεικνυτο ὑςερον δε ἐλαττονα. πλην καὶ νυν ἔτι ἰχνη ἐςιν αὐτε παρ' ὀλιγοις τας ψυχας τω λογω καὶ ταις καθ' αὐτον πραξεσι κεκαθαρμενοις. Sane locus hic luculenter testatur, exiguum fuisse eo tempore numerum hominum inusitatis donis præditorum. Quando vero *Origenes* loco supra citato ait, multos pene invitos attractos esse ad Religionem Christianam, spiritu quodam repente mutante intellectum eorum, id sine dubio intelligendum est de iis Gentilibus qui cognitionem aliquam Religionis christianæ adepti sunt; alias difficulter credi posset, Deum hominem ignarum Religionis christianæ, insolito suo favore per miraculum dignaturum. V.) Denique ea, quæ seculo jam secundo occasione *Montani* acciderunt, videntur innuere, testimonia de multitudine miraculorum supra allata nimis urgenda non esse. Nimirum notum est, *Montanum*, & socios, famam, & existimationem quæsituros, ad mirabiles Visiones & raptus provocasse; Probabile autem non est, *Montanum* hac ratione existimationi suæ consulturum fuisse, si promiscue dona hæc adeo fuissent frequentia: hoc unum est; alterum quod urgeo hoc est: Nimirum eos, qui contra *Montanum* in arenam descenderunt, ad maximum illum donorum extraordinariorum numerum non provocasse. Utrumque non quidem probat, seculo secundo aut desiisse prorsus mirabiles illos effectus, aut rarissime deprehensos; sed hoc unum tamen videtur ostendere, numero minorem fuisse copiam donorum illorum inusitatorum, ac vero vulgo creditur. Joannes *Clericus Vir Eruditissimus Hist. Eccl.*

(*) La verité est, (inquit) que les mots de peu, & de beaucoup sont des termes relatifs, dont la signification est equivoque, selon les sujets, auxquels ils se raportent. Ainsi Origene a pû employer l'autre terme, en parlant de la même chose à divers égards; mais il est très-difficile, pour ne pas dire impossible, de marquer aujourd'hui avec quelque précision les bornes qu'il mettoit en son esprit au *peu* & au *beaucoup*.

Eccl. pag. 679. ad annum 157. ait, exprobrasse *Montanistas* rectius sentientibus Christianis, inter eos non esse Prophetas; quod si perspicuis testimoniis probari posset, probabile quammaxime esset, rarissimum tum temporis fuisse donum prophetiarum & miraculorum. Provocat autem ad hoc probandum ad *Euseb. Hist. Eccl. Lib. V. cap.* 17. & *Epiphanium.* At in neutro satis perspicue designatur, quod Vir doctus intendit. Ne frustra hoc dixisse videar, Anonymi verba apud *Eusebium* l. cit. extantia adducam. Sonant autem ita ex Versione *Valesii*. „ In eodem quoque libro Miltiadis cujusdam Scriptoris mentio„ nem facit, qui adversus supra dictam Hæresin librum conscripserit. „ Citatis enim quibusdam verbis illorum Hæreticorum ita deinde scri„ bit. Hæc ego cum reperissem in quodam libro ipsorum adversus „ Miltiadem fratrem nostrum, qui peculiari opere docuerat, non de„ cere Prophetam in ecstasi loqui: in compendium redegi. Deinde „ aliquanto post in eodem libro universos N. Testamenti Prophetas „ enumerat, inter quos Ammiam quandam, & Quadratum recenset „ his verbis: Pseudopropheta autem inquit in falso mentis excessu, „ cujus comes est licentia & audacia, a spontanea quidem imperitia „ initium sumens, in amentiam autem, ut jam dixi, involuntariam „ desinens. Hujusmodi vero Spiritu nullum unquam nec in vetere, „ nec in N. Testamento Prophetam afflatum potuerunt demonstrare, „ non Agabum, non Judam, non Silam, nec Philippi filias, nec Am„ miam Philadelphiensem, nec Quadratum, nec quosdam alios, qui „ nihil ad ipsos pertinent, prædicabunt. Paucis deinde interjectis sic „ loquitur. Nam siquidem ut prædicant, post Quadratum & Am„ miam Philadelphiensem mulieres illæ Montani in Prophetiæ gratiam „ successerunt, ostendant nobis, quinam inter ipsos Montano ac mu„ lierculis successerint. Etenim Prophetiæ donum in omni Ecclesia „ ad ultimum usque Domini adventum permanere debere, Auctor est „ Apostolus. Sed nullum prorsus poterunt ostendere, tametsi jam „ quartus decimus agatur annus ab obitu Maximillæ. Hæc ille.

Epiphanius vero *Hæres.* XLVIII. pag. 402. seq. edit. *Petavii* ita de hisce: „ Phryges itaque (inquit) tam V. quam Nov. Testamentum „ ascisciunt. Mortuorum resurrectionem adprobant. Sed Montanum „ quendam Prophetam cum Priscilla & Maximilla Prophetissis prædi„ cant: quibus inhærentes a recta via deflectunt. Nam de Patre & „ Filio & Spiritu S. eadem cum Ecclesia Catholica sentiunt: sed ab „ ejus communione se separarunt, quod erroris Spiritus ac doctrinas

„ Dæmonum sequantur. Nos enim, inquiunt, cœlestia oportet dona „ recipere : sua quidem & Ecclesia Catholica dona divinitus accepit, „ sed quæ vera dona sunt, & Sp. S. ac Prophetarum & Apostolorum, Do„ minique ipsius auctoritate comprobata. - - Ecce tibi vel eo ipso, „ quod sibi propositum habent, aperte convincuntur, nequaquam istud „ ipsum, quod contentiosa illa ambitione præ se ferunt, obtinere posse. „ Nam si cœlestia illa dona recipienda sunt, iisque præditam Ecclesiam „ esse convenit, cur post Montanum, ac Priscillam & Maximillam nul„ los amplius habent Prophetas? Divinumque munus exhaustum est? „ At in Ecclesia Catholica id minime est exhaustum. Absit. Quod si „ aliquo tenus Prophetæ vaticinati sunt, & vaticinari modo desinunt, „ consequens est, ne Priscillam quidem, atque Maximillam secundum „ Apostolorum vaticinia, quæ in Ecclesia recepta sunt, Oraculum ul„ lum edidisse. Quamobrem utrinque eorum insania constringitur. „ Nam ut Prophetas post Maximillam aliquos ostendant, ne illa, quam „ illi jactitant, gratia extincta videatur, aut Maximilla cum suis falsæ „ Vatis nomine censendæ sunt, quæ post præscriptum prophetici doni „ officiique tempus, non sancti Spiritus, sed immissi a Dæmonibus „ erroris afflatum admittere non sunt veritæ, ac suis auditoribus illu„ dere.„ Hactenus *Epiphanius*. Ex hisce testimoniis adparet 1. Non prorsus defuisse in Ecclesia tempore *Montani* dona extraordinaria, quamvis H. *Dodvvellus Dissertat. de Visionibus*, testimonii ex *Epiphanio* adducti mentionem faciens, existimet, ea quæ dixerat, Epiphaniano seculo non convenire, atque ex Scriptore antiquiore imperite esse descripta. Convenit saltem cum iis, quæ apud *Eusebium* narrantur. 2.) Nullus Scriptorum, quorum mentionem facit, data opera ostendere allaborarunt, longe maximam esse miraculorum, & donorum Propheticorum copiam, quod tamen ipsos facturos fuisse probabile est, siquidem *Montani* jactatas Prophetias, & inde quæsitam Sociorum suorum dignitatem, convellere voluissent. Meminit *Eusebius*, *Apollinaris*, *Miltiadis*, *Apollonii*, *Serapionis*, atque fragmenta ex iis exhibet. Omnes, Ecstaticas Visiones repudiant, Dæmonisque artibus tribuunt, aliaque multa objiciunt, nullibi vero apparatu quodam insigni portentorum instructi, cum hostibus pugnant. 3.) *Miltiades* sex tantum vates inde ab Apostolorum ævo memorat, quibus addit quosdam alios, longe majori sane numero pugnaturus contra *Montanum*, si adeo frequentia fuissent illa extraordinaria dona. Quæ de perennaturo Prophetiæ in Ecclesia dono differit Miltiades, falsa sunt, nisi Prophetarum nomine

nomine Eruditos, & pios S. Literarum interpretes intelligat, de quo digna sunt lectu, quæ differit Cl. *Clericus*, pag. 679. & seq. *Hist. Eccl.* Ut igitur in viam redeamus, adserimus, primis quidem Seculis post Christi excessum, dona miraculosa non defuisse in cœtu Christianorum; at eadem simul numero pauciora fuisse, quam vulgo traditur. (*)

V. Sed veniamus tandem ad *Visiones* ipsas, non sine causa falsi suspectas. *Seculo* Apostolico, id est *primo* vixisse dicitur *Hermes*, de cujus libro varia sunt Veterum, & Recentiorum judicia. Ea collegerunt Viri Doctissimi *Cotelerius Patr. Apostol.* Tom. I. pag. 68. & *Pearsonius vindiciis Ignatianis* Lib. I. cap. 4. Ut de *Ittigio*, *Basnagio* utroque, aliisque nil dicam. A Clem. *Alexandrino*, *Irenæo*, & *Origene* ineptos libellos magni habitos supra jam diximus. Alii eum non tanti faciunt equidem, at pretium tamen aliquod, ob venerandam antiquitatem ponendum esse libro putant. Rectissime mihi omnium sentire videntur, qui Auctorem libelli *fanaticum* fuisse hominem existimant. *Blondellus* certe *Apologia pro Sententia Hieronymi* pag. 16. 17. *larvatum Prophetam*, *somniatoremque* appellat. Cl. *Mosheimius Institut. Hist. Eccl.*

(*) Nova de miraculis primorum Seculorum ante aliquot annos excitata est controversia per *Celeberrimum Middletonum Cantabrigiensis* Academiæ Bibliothecarium. Contendit is, post excessum Apostolorum nulla neque a Præsulibus Ecclesiarum, neque a promiscua turba Sectatorum Soteris nostri facta fuisse miracula. Quod si enim hoc semel inquit V. Doctus concederetur, plena fides adhibenda esset portentis, quæ Seculo tertio & quarto edita fuisse dicuntur. Jam vero notum esse, pleraque miracula hujus temporis tam fabulosis narrationibus esse repleta, ut vir veritatis amans ea admittere non possit. Qui vero communem & receptam opinionem sequuntur, duo potissimum regerunt. *Prius* est: non sequi, secundo Seculo facta sunt miracula vera a Christianis: Ergo etiam admitti debent portenta III. & IV. Seculi. *Posterius*: cavendum esse inquiunt ne fides historica tollatur. Auctores enim fide dignissimos illius ætatis clarissimis verbis contestari Seculo Secundo a Christianis veri nominis miracula præstita fuisse. Controversiam ego hic meam non facio, quandoquidem libellos ab utraque parte scriptos, nondum evolvi, sed ex Diariis Eruditorum Virorum hæc addidici. Quod si tamen conjeturæ locus est, crediderim hanc controversiam eundem exitum habituram quam nacta est disputatio de paucitate vel pluralitate primorum Ecclesiæ christianæ Martyrum. *Eruditissimus Dodwellus* probare aggressus, longe pauciores prima ætate Ecclesiæ extitisse Martyres quam vulgo existimetur; atque hoc fateri debuerunt, qui a communi stant sententia, inter quos princeps erat *Ruinartus*; simul tamen etiam fateri fautores *Dodwelli* debuerunt, eum in paucitate Martyrum stabilienda, fines veritati historicæ positos, supergressum. Patet ex his controversiis, laudandos potius Viros doctos, qui studio veri inquirendi receptas opiniones cum industria examinant, quam vituperandos, quoniam ex mutuis ejusmodi concertationibus veritati semper nova accenditur lux. Cæterum quod ad postremam controversiam spectat conferenda erudita *dissertatio P. Casti Innocentis Ansaldi, de Martyrio sine Sanguine Mediolani 1744. edita.*

pag. 78. edit. primæ, ita de eo judicat: *Hermæ Pastor, hominis fanatici Scriptum est, quem sæpenumero, quid loqueretur non intellexisse, certus sum: cœlestes sane genii stultius interdum apud eum fabulantur, ac nostri bajuli.* Joh. *Clericus* ad annum Christi LXIX. *Si vera essent* (inquit) *quæ de Visionibus narrat sibi ab Angelis oblatis, liber hic esset quasi Propheticus admittendus, quod fecit Irenæus, qui eum Scripturæ nomine honestat: sed si falsa sunt, in eorum numero erit habendus, qui piis fraudibus, uti vocant, plebem ad pietatem adduci posse credidit, quod consilium nemini paulo prudentiori probari potest.* Postremum maxime probabile esse ex iis, quæ adducemus constabit. *Duæ* autem sunt potissimum rationes, quæ me inducunt, ut credam Visiones in libello contentas falsas esse; *Prior* est, quod Visiones pleræque, quæ *Hermæ* obtigisse dicuntur, nonnisi res cognitu facillimas comprehendant; *Posterior*, quod Visiones ad res falsas confirmandas a Deo ei datas fuisse dicendum esset. Utrumque exemplorum inductione constabit.

Integer libellus tribus constat partibus. Prima est, quæ inscribitur *Visiones:* Secunda *Mandatum:* Tertia *Similitudines.* Agamus primo de Visionibus. Visione prima narrat *Hermes*, eum qui ipsum enutrivisset, vendidisse Romæ quandam puellam. Post multorum annorum decursum, denuo eam abs se visam, & sororis instar dilectam fuisse; cumque postea eam in flumine Tiberi lavare vidisset, porrexisse ipsi manum, atque in corde suo dixisse, *felix essem si talem uxorem & specie & moribus sortitus essem. Hoc solum* (inquit) *nec ultra quicquam cogitavi;* post in oratione constituto hæc contigisse sibi narrat. *Orante me apertum est cœlum, & video mulierem, quam concupiveram salutantem me de cœlo & dicentem. Herma ave. Et ego prospiciens illam, dico ei: Domina quid tu hic facis? At illa respondit mihi: Recepta sum huc, ut peccata tua arguam apud Dominum. Domina, inquam, num tu me argues? Non inquit: Sed audi verba, quæ tibi dictura sum. Deus qui in cœlis habitat, & condidit ex nihilo ea quæ sunt, & multiplicavit propter S. Ecclesiam suam irascitur tibi, quoniam peccasti in me. Respondens dico ei; Domina, si in te ego peccavi, ubi aut quo in loco, aut quando tibi turpe verbum locutus sum? Nonne semper te quasi Dominam arbitratus sum, nonne semper te reveritus sum velut sororem? Quid in me comminisceris tam nefanda? Tunc illa arridens mihi ait: In corde tuo ascendit concupiscentia nequitiæ. Annon videtur tibi viro justo rem iniquam esse, si ascenderit in corde mala concupiscentia? Peccatum est ei & quidem grande. Justus enim vir justa cogitat. Cogitante ergo illo quæ justa sunt, &*

recte eo incedente, in cœlis propitium habebit Dominum in omni negotio suo. Qui autem nefanda cogitant in cordibus suis mortem, & captivitatem assumunt, maxime ii, qui seculum hoc diligunt. Ita *Hermes.* Observentur hic sequentia. 1.) *Hermes* adserit, se visa uxore nihil aliud dixisse, quam felicem sese futurum fuisse, si ejusmodi uxorem, qualis illa erat, obtinere potuisset. Quod si nihil quam hoc fecerat, non peccavit; habebat, ut ex sequentibus patebit, uxorem loquacem & morosam; Igitur sine crimine ullo dicere potuit, feliciorem sese futurum fuisse, si virtutibus ornatam ducere potuisset. Ob hoc ipsum tamen castigatur a muliere cœlo recepta. Aut igitur mentitus est *Hermes*, quando adseruit, se nihil aliud dixisse, quam quod retuleramus; aut falsum est, divinam propterea illi contigisse Visionem. 2) Domina illa cœlo recepta, in sequentibus dicitur aliquando fuisse Ecclesia, aliquando Christus. At quomodo quæso quis amore carnali Ecclesiæ exardescere potest? 3.) Ponamus, malam concupiscentiam invasisse bonum hominem, num extraordinaria Revelatione opus est, ad edocendum eum, amorem alienæ uxoris aut fœminæ malam esse? Num ignoravit *Hermes* verba Christi, Matth. V. 27. Num tam stupidus fuit, ut id scire non potuerit, quod Gentiles ipsi sapientiores pulchre cognoverant? 4.) Mox Sect. II. alia adparet mulier, & anus quidem, quæ tristi *Hermæ* solatium adfert, & inter alia dicit: *Forte in corde tuo ascendit illius concupiscentia. Et quidem in servis Dei talis cogitatio peccatum inferens. Non enim debet hæc cogitatio abhorrenda esse in Servo Dei, neque Spiritus probatus concupiscere malum opus: & præcipue Hermes, qui est continens ab omni concupiscentia scelesta, & est omni simplicitate plenus, & innocentia magna.* Ab omni concupiscentia mala liber est *Hermes*, cur castigatur tandem? imo 5.) quod magis est, illa anus adserit, Deum non iratsci ipsi *Hermæ*, sed domui ejus, id est uxori & liberis. Igitur necesse est, alterutram harum uxorum, Visiones ipsi ingerentium, mentitam fuisse. 6.) Sect. III. refert increpationem illam cœlestem factam, ut immorigeros liberos corripiat. At num Visione opus est ad officium ejusmodi, homini sanæ mentis inculcandum?

Visione secunda denuo comparuit anus illa, atque hujus mirabilis Visionis causa hæc una erat, ut sciret *Hermes*, uxoris loquacitatem & liberorum perditos mores compescendos. Scilicet ad hoc opus est portento. b.) Ibidem, & sæpius per universum libellum docet, pœnitentiæ certum tempus esse præscriptum, ultra quod veniæ locus non sit.

sit. Sed num Scriptura S. sic ubique loquitur ? castigatur ideo a S. *Basnagio* & J. *Clerico.* c.) Inducit anum illam provocantem ad librum Apocryphum fatente *Cotelerio*, & *Commentatore Oxonienſi.* Num igitur non homines saltem, sed & cœleſtes animæ ſpurios a ſinceris libris diſtinguere non poſſunt ? Sect. IV. ait *Hermes. Revelatum eſt mihi, fratres, dormienti a Juvene ſpecioſo, & dicente mihi: Anum illam a qua accepiſti libellum, quam putas eſſe ? Et ego dixi, Sybillam. Erras, inquit, non eſt. Quæ eſt ergo Domine ? & dixit mihi, Eccleſia Dei eſt, & dixi ad illum: Quare ergo anus eſt ? Quoniam, inquit, omnium primo creata eſt, ideo anus eſt, propter illam mundus factus eſt. Tria* hic notentur. *Primum* eſt: *Hermam* exiſtimaſſe, anum oblatam *Sybillam* eſſe, quod oſtendit, hominem circa medium Seculi ſecundi floruiſſe. Intra annos enim 138. & 167. conflatos eſſe 8. libros Sybillinos ab Impoſtore, unanimis fere eſt Doctiſſimorum Virorum ſententia. Videatur *Clericus Hiſt. Eccl. ad annum 131. Blondellus in opere Gallico de Sibyllis. Prideaux Hiſt. des Juifs* &c. *Tom. II. lib. 9. pag. 757. edit. germ. in 4. Secundum :* Putaſſe bonum *Hermam*, libros Sybillinos divinæ eſſe originis. Certe niſi hoc exiſtimaſſet, nunquam ſibi perſuaſiſſet, Sybillam aliquam de cœlo ſecum locutam fuiſſe. *Tertium :* Falſo adſerit Eccleſiam primo conditam fuiſſe, ubinam hoc in Sacris tandem traditur ?

Pergamus ad *tertiam Viſionem.* In genere notetur, quod hic & in ſequentibus *Hermes*, quærens quæ ſit Viſionum oblatarum ſententia, tanquam garrulus, moroſus & pertinax, ab anu illa reprehendatur. At quem in finem tandem fiunt ejusmodi extraordinariæ Revelationes, ſi non intelligi debent, cur tam acri cenſura digni ſunt, qui explicationes deſiderant ?

Sect. I. hujus tertiæ Viſionis revelatur per Viſionem *Hermæ*, conſtantes Religionis chriſtianæ Confeſſores atque Martyres inſignem gloriam deportaturos, & ad dexteram Dei ſeſſuros, non item cæteros pios. At præterquam quod extraordinaria Revelatione opus non ſit, ad probandum, Religionis ſanctiſſimæ Confeſſores digna pietate ſua mercedem accepturos, videtur auctor imbutus fuiſſe opinionibus tum temporis receptis, de Privilegiis nimirum extraordinariis, quibus fruituri ſint Martyres in futuro Seculo: De quo argumento videatur *Dodwelli Diſſertatio Cyprianica XII.*

Sect IV. hujus Viſionis ita quærit *Hermes: Illi juvenes ſex qui ædificant, qui ſunt Domine ? Hi ſunt Angeli Dei, qui primo conſtituti ſunt,*

quibus

quibus tradidit Dominus universam creaturam suam, struendi, ædificandi & dominandi creaturæ illius. Per hoc enim consummabitur structura turris. Similiter in sequentibus sæpius idem repetitur. At ubi tandem docet Scriptura, moderamen Ecclesiæ concessum esse Angelis? hæc injuria sunt in Deum & Christum. Tacet hic *Cotelerius*, disertissimus alias, ubi vindicandi ineptum hominem vel levissima occasio est. Idem adseruit *Papias* similis metalli Scriptor apud *Grabium Spicileg. Tom. II. pag. 33.* Reliqua quæ de lapidibus dicuntur in hac Sectione, huc redeunt: quosdam studio Religionis esse incensos, & ad proferendam cœlestem doctrinam aptos; alios vero inertia & voluptatibus impediri, quo minus officio suo satisfaciant? sed quid notius est hoc adserto? quid clarius a Jesu Christo, & Apostolis traditum? Num sensu communi destitutus fuit *Hermes*, ut talia Visionibus illi significarentur?

Sect. XIII. vis. 3. Dicitur mundus a quatuor elementis contineri. Nimirum ita Angeli ipsi *Aristotelis* opiniones probant, atque *Cartesianos*, aliosque falsi convincunt.

Eadem Visione adserit *Hermes*, instare diem ultimi judicii, quæ multorum illius temporis Christianorum opinio fuit, de quo pluribus videatur *Dodwellus Dissert. Cyprian. XII.* Num autem credibile, Deum ipsum per Visiones erroneas opiniones confirmaturum? credat Judæus Apella, non ego.

Vis. IV. Sect. II. & III. Postquam vidisset *Hermes* in Visione immensæ magnitudinis bestiam, virgo, quam Ecclesiam fuisse *Hermes* sibi persuadet, dixit: *Bene effugisti, quoniam solitudinem, & sollicitudinem tuam ad Dominum projecisti, & cor tuum aperuisti ad eum, credens quod per nullum alium poteris salvus esse, nisi per magnum & honorificum nomen ejus. Propter hoc misit Dominus Angelum suum, qui est super bestias, cui nomen est Hegrin, & obturavit os ejus, ne te dilaniaret.* Manifestum est, Auctorem hic πλατωνιζειν. Vide *Porphyrium* περι ἀποχης *Lib. II. Sect. 38.* Edit. *Holstenii.* De voce *Hegrin* vide Commentarium *Cotelerii*, & *Editorem Oxoniensem.* Hinc mirum non est, *Hermæ* librum placuisse *Origeni*, ineptis ejusmodi opinionibus ad superstitionem imbuto. In reliquis hujus Visionibus sub schemate portentosarum bestiarum nihil aliud denotatur, quam superventuras piis Religionis Confessoribus graves afflictiones. At hoc sine Visionibus facile potuit cognosci, & futurum dudum Christus prænuntiaverat.

Pergamus ad II. partem libelli, nimirum *Mandata*, nam & hæc ipsi

ipsi per Visiones extraordinarias obtigisse adseruntur. In prœmio ait, sibi occurrisse Angelum pœnitentiæ.

Mandatum primum agit de fide in Deum. Simplicitate sua sese commendat hoc præceptum, verum est; at tale tamen est, ut visione opus non sit, ad id cognoscendum & admittendum. Sonat autem ita: *Primum omnium, credere quod unus est Deus, qui omnia creavit & consummavit, & ex nihilo omnia fecit. Ipse capax universorum, solus immensus est. Qui nec verbo definiri, nec mente concipi potest. Crede igitur in eum, & time eum: & timens habe abstinentiam. Hæc custodi & abjice abs te omnem nequitiam, & indue virtutem justitiæ, & vives Deo, si custodieris mandatum hoc.*

Mandato II. & III. docet, fugiendas esse obtrectationes & mendacia. Scilicet ad hoc admittendum Visione opus est! mirum autem est, *Hermam* illum hoc ipso loco fateri, se per omnem vitam mentitum fuisse. Quomodo enim, quæso, hæc possunt conciliari cum simplicitate, pietate, & sinceritate ipsi per cœlestem Visionem supra adscripta? Quis nobis persuadebit, hominem mendaciis adsuetum Visiones fingere non potuisse?

Mandato IV. ait: *Virum, cujus uxor in adulterio deprehensa est, posse eam & debere a se depellere, at & ipsum mœchari, si aliam priore vivente ducat.* Sed quo argumento tandem hoc probabit *Hermes?* Cum per ejusmodi fornicationem ipsius pacti conjugalis essentia sit violata, atque innocens pars nihil ad violandum hoc pactum contulerit, cur non liceret novum pactum cum alia inire? lege cap. IV. Doctissimi *Barbeyracii de la morale des Peres*, ubi pluribus ineptas *Patrum* de hoc argumento impugnat ratiunculas. *Cotelerius* equidem in notis ad h. l. ait, hanc, nimirum *Hermæ* sententiam, vere esse orthodoxam, id est, ut ipse explicat, cum decretis *Synodi Tridentinæ* convenientem. Scilicet Angeli in cœlo sanctissimæ Synodi decreta multis Seculis ante per Visiones comprobare studuerunt. Novimus varias fuisse Imperatorum, & Doctorum Ecclesiasticorum hoc de argumento opiniones, & decreta, quæ apud *Bœhmerum*, *Thomasium*, & *Binghamum* legi possunt. At latius patent Juris Naturæ, Christi & Apostolorum decreta, & præcepta, quam *Patrum* sententiæ, nullis firmis argumentis superstructæ. Vide quæ de hoc argumento disserit citatus *Barbeyracius ad Puffendorffium J. N. & Gent. Lib. VI. cap. I. edit. 1734.* Visio igitur illa Deum Auctorem denuo habere non potest.

Eadem

Eadem Vis. IV. vel mandato IV. Angelus ille perpetuus comes datus *noſtro Mirabiliario*, ait, ſe non ſolum eſſe Præpoſitum pœnitentiæ, ſed & omnibus pœnitentibus ſenſum dare. At num hæc non adverſa fronte pugnant cum univerſa S. Scripturæ doctrina? Idem tamen denuo inculcatur mandato V. pag. 92.

Mandato VI. pag. 93. Unicuique homini bonum, & malum Angelum datum eſſe adſerit. Quæ inepta opinio neque rectæ rationis legibus, neque teſtimoniis S. Literarum probari poteſt. Imo hæc adſertio cum virtutibus divinis manifeſte pugnat. Agnovit hoc ipſe *Menander Comicus*, cujus hi ſunt verſus ex incerta comœdia.

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
Εὐθὺς γενομένῳ μυσαγωγὸς τε βίε
Ἀγαθὸς. κακὸν γὰρ δαίμον' ἐνόμιζεν
Εἶναι. τὸν βίον βλάπτοντα χρῆσον. πάντα γὰρ
Δεῖ ἀγαθὸν εἶναι τὸν θεόν.

Hoc eſt, interprete *Grotio*:

Hominem unumquemque, ſimul eſt editus,
Sectatur Genius, vitæ qui auſpicium facit
Bonus nimirum; credi enim malum nefas
Bonæ inſeſſorem vitæ: nam qui ſit Deus
Bonus idem ſit neceſſe eſt.

Cotelerius, poſtquam multorum Patrum, imo Judæorum etiam, & Mahumedanorum conſentientium teſtimonia adduxiſſet, fatetur tandem, quod mirum, S. Literas de his ſilere, imo & multos Patrum in contraria ire. At manifeſtum eſt, opinionem hanc ex Philoſophia Pythagorico Platonica eſſe petitam, quod confirmat Doctiſſimus meus *Brukerus Hiſt. Philoſoph. Tom. IV. part. II. pag. 1030.*

Mandato VIII. graviter docet Angelus, mala eſſe vitanda, bona vero facienda. Nimirum angelico ingenio opus eſt, ad talia cognoſcenda.

Mandato XII. ait *Hermes* ad Angelum; *Scio quod confringes omnem virtutem Diaboli.* Hæccine autem cum Decretis Religionis Chriſtianæ conveniunt? ſed mitto ineptias plures: Indignæ enim ſunt, quæ pluribus excutiantur. Ex dictis facile conſtat, Auctorem libelli vel *impoſtorem*, vel *fanaticum*, vel *utrumque* fuiſſe, adeoque Viſiones illas nullius prorſus eſſe auctoritatis. Alios errores in homine illo caſtigat

stigat *Basnage Annal. Tom. II.* pag. 113. seqq. quem Lector eruditus adeat, si, quæ ex hoc libello excerpsimus, non sufficiunt, ad explodendas ineptas Visiones.

VI. Sed pergamus ad Visiones, quæ Christianis quibusdam *Seculo secundo* contigisse dicuntur. Cum autem plurimi ex iis, quibus Visiones ejusmodi obtigisse dicuntur, fuerint Martyres, qui sanguinem pro veritate Religionis christianæ profuderunt, multique sibi persuadeant, nihil humani ejusmodi homines pati posse, ne audaciores esse videamur, pauca quædam de Martyrum Actis Martyribusque præmonenda esse putamus. Et 1.) quidem fatente ipso *Ruinarto præf. general. in Acta Martyrum sincera*, Sect. VII. seqq. primus, qui Acta Martyrum antiquorum inter veteres Ecclesiæ Doctores collegerat, fuit *Eusebius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, Sec. IV. Scriptor.* At liber ejus quem ἀρχαιων Μαρτυρων συναγωγην appellaverat, quique antiquissima Acta complexus esse dicebatur, injuria temporum periit. (*) 2.) Cum superstitio seculo quarto invaluerit, incertum est, utrum multa antiquis Actis temere adjecta non fuerint. 3.) Exemplis infra adducendis constabit, antiquissimis Martyrum Actis quædam fuisse adjecta. 4.) *Eusebium* in colligendis Martyrum Actis excepit *Ceraunius* Episcopus Parisiensis, Seculi VII. Scriptor. At quis nescit, quæ facies Ecclesiæ fuerit hoc Seculo? De *Metaphraste Symeone*, qui Sanctorum Acta undique conquisita in unum collegerat, ipsemet testatur *Ruinartus* pag. 11. præfat. quod eorum nonnulla variis interpolaverit additamentis, novaque aliquot, cum vetera deficerent, proprio Marte cuderit. De recentioribus ejusmodi Actorum collectoribus nil dicam. 5.) Ipsa etiam antiquissimorum Martyrum acta consignata sunt a privatis, de quorum fide & ingenii indole satis persuasi esse non possumus. 6.) Cum ipsi Martyres circumstantias passionis, & mortis consignare, & qui præsentes erant Spectatores, propter persecutionis æstum singula oculis usurpare non potuerint, fieri aliter non potuit, quam ut traditionibus variis, hinc inde collectis, ipsa narratio parum constans & incerta fuerit reddita. Ne sine causa autem hæc dixisse videar, provocabo ad ipsum *Ruinartum*, qui quantum potuit, studio & diligentia in

(*) Josephus Simon Assemannus, Maronita, & Pontifici a Bibliotheca, inter alia Manuscripta in Oriente collecta, & Bibliothecæ Vaticanæ illata, etiam hæc Eusebii Acta Martyrum refert. Cum autem hoc Msctum Syriaco idiomate exaratum esse perhibeat, neque hactenus in publicam lucem sit protractum, dici non potest, utrum hoc ipsum sit, ad quod Eusebius in suis Scriptis provocat.

in id enisus est, ut *Acta Martyrum* quammaxime *sincera* nobis exhiberet. Hic autem *præf. general.* pag. 9. sequentem in modum disserit. „ Cæterum pace Ecclesiæ restituta, cum sub Christianis Imperatoribus „ tuto liceret Martyrum festivitates agere, singulæ fere Ecclesiæ, quæ„ cunque de suorum Martyrum gestis supererant, studiose college„ runt, ut in publicis conventibus legerentur. Hæc autem ACTA „ erant, ut jam diximus, vel ex Actis publicis excerpta, vel a non„ nullis Christianis, qui Martyrum quæstionibus præsentes interfuerant, „ concinnata: aut si forte neutro modo haberi potuissent; si ex pu„ blica fama notum esset, aut certe ex antiquioribus viris, qui persecu„ tionum tempore vixerant, hæc omnia in unum colligebantur, unde „ aliqua saltem Martyrum gesta innotescerent. At cum paulo post „ omnes fere Romani Imperii Provinciæ a Barbaris devastatæ & occu„ patæ fuissent, ex iis etiam Actis perierunt, quibus alia postmodum „ substituta fuere, sed quæ ad istorum auctoritatem non pertingunt, „ nedum ad priorum sinceritatem. Ea autem sunt, quæ passim in Co„ dicibus MSS. & editis occurrunt, quæ tametsi primogeniorum Acto„ rum puritatem non assequantur, multisque ut plurimum circa per„ sonas & tempora scateant mendis, non tamen omnino rejicienda „ crediderim. Iis accensenda sunt Acta in summa quidem sincera, sed „ quæ ab hominibus imperitis temere violata sunt, adjunctis ad priora „ Acta miraculis, aut Martyrum cum Tyrannis concertationibus, qui„ bus ut sibi videbantur, Martyrum suorum fortitudinem magis cele„ brarent: quamvis exinde apud Viros doctos auctoritate sua ejusmo„ di monumenta exciderint, etsi passim in iis aliquot prioris sinceri„ tatis veluti scintillæ elucere conspiciantur. Cavendum tamen, ne in „ hac Classe computentur Acta illa utique sincera, quibus initio præ„ fixa est præfatiuncula brevis, aut in fine clausula, in qua Martyrii „ consummatio exponitur. Cum enim ut plurimum Acta publica „ lata sententia statim desinerent, nec in ipsis Martyrum mors (nisi „ forte in ipsa quæstione præ tormentorum acerbitate obiissent) refer„ retur: id postea suppleverunt Christiani, vel ipso persecutionis tem„ pore, aut saltem cum primum in unum ejusmodi monumenta col„ lecta fuerunt. Sed hinc nullatenus Actorum ipsorum auctoritas mi„ nuitur. Et pag. 12. Verum Martyrum Acta, quæ ex tot collectio„ nibus, & variis editionibus illustrari debuerant, eo minus sincera „ prodierunt, quo sæpius descripta, aut typis excusa fuere. Alii enim „ ex his Collectoribus ea variis additamentis interpolarunt; alii rese„ cuerunt

„ cuerunt nonnulla, quæ sibi in Actis illis displicebant; aut etiam, ut „ scriptio politior videretur, antiquum & sincerum stylum, quo certe „ in sacra antiquitate vix aliquid sanctius haberi debet, immutare ausi „ sunt. Qui vero ea vetera monumenta, prout in antiquis codicibus „ habentur, exhibere aggressi sunt, cum omnium omnino sive Marty- „ rum sive Confessorum gesta, tam dubia aut falsa, quam sincera simul, „ in unum colligere proposuerint, rem eo promovere coguntur, ut „ pluribus & quidem ingentibus voluminibus opus sit, ut pauca Acta „ habeantur, & quidem ita dubiis & falsis intermixta, ut sine magno „ labore a Viris etiam perspicacioribus discerni non valeant.„ Hacte- nus Doctissimus *Ruinartus*. Multa de hac oratione monere possem, si quidem id jam agerem, ut qua ratione Acta Martyrum sincera, ab interpolatis discerni possint, disquirerem. At hoc unum, quod caput causæ est, monebo, nimirum magna cura id agit *Ruinartus*, ut doceat, fidem non esse detrahendam sinceris Martyrum Actis, propter multas fabulosas & fictas narrationes, & portenta a Scriptoribus quibusdam impudentibus, veri nominis Actis adsuta. At si male feriatos homi- nes non puduit, excogitare miracula ad res gestas exaggerandas, un- de tandem certi erimus, nil orationi admixtum fuisse, quam quod ab ipsis Martyribus dictum, aut factum fuerit? Infra exemplorum spe- cialium inductione patebit, quam graves sæpe sint de sinceritate anti- quissimorum Actorum dubitandi rationes. Conferantur interim, quæ de hoc argumento monuerunt Viri Doctissimi Joh. *Clericus Bibl. Select. Tom. 26. pag. 181. & seqq.* & Jacobus *Basnage Histoire de l'Eglise, Tom. II. pag. 1068. seqq.*

Quod ad Martyres ipsos spectat, sciendum 1.) eos homines fuisse, infirmitatibus, ut cæteros mortales obnoxios. 2.) Potuerunt igitur pii esse, & tamen circa multas propositiones theoreticas ad Religionem spectantes errare. Neque enim pietas quemquam facit infallibilem in judicando. 3.) Is proprie Martyr dicendus est, qui necessitate cogen- te, libere, & constanter Religionis christianæ divinam originem tuetur, eamque, cum aliter conscientiæ suæ consulere non potest, sanguine suo confirmat. 4.) Certum est, multos inter Christianos, ubi necesse non erat, atque evitandi periculi occasio erat, ad deportandam Mar- tyrii gloriam provolasse, vel pœnas etiam gravissimas ultro in se pro- vocasse. Vide quid de postremo collegerit Illustris *Pearsonius vindic. Ignat. part. II. cap. X. 5.*) Quod aliis piis contigit, ut nempe bonum piumque mentis adfectum cum extraordinariis operationibus Dei con-

fuderint,

fuderint, idem etiam Martyribus evenire potuit. Sæpe quæ noctu anxia mente secum agitarunt, aut vehementi quodam mentis impetu desiderarunt, sibi revera, somno excitati, non sine miraculo evenisse existimare potuerunt, quo ipso tamen non negatur, vel Deum singulari favore illis adfuisse, vel aliquando etiam per Visiones animos eorum contra metum mortis obfirmasse. 6.) Cum autem Martyrologiorum Collectores fatente *Ruinarto* ipso, Actis Martyrum multa temere adjecerint portenta & extraordinaria dicta factaque, dubium semper est, utrum hæc vel illa Visio vere Martyri obtigerit nec ne. 7.) Insuper contendo, eos, qui putant Deum in gratiam antiquissimorum Martyrum miracula semper feciisse, excellentiæ & efficaciæ Religionis christianæ gratiæque divinæ detrahere potius, quam vero adjicere. Certe omnes, qui pro veritate & divinitate Religionis christianæ verba fecerunt, inter alia & hoc & quidem rectissime adferunt, quod illa primis post Christi & Apostolorum excessum Seculis, tantum ponderis in animos Christianorum habuerit, ut non solum iis etiam rebus, quas mortales primas esse putant, lubentes valedixerint, sed & constanti animo tormenta atque mortem ipsam exceperint; quod si vero ad hæc toleranda continuis miraculis opus fuit, multum decedit virtuti tantæ, tamque saluberrimæ persuasionis. 8.) Quidquid autem de hoc sit, fas est, & licet, Martyrum dicta factaque ad æternas rationis & Revelationis regulas expendere; ab his ubi non recedimus, errori & periculo non est locus. 9.) Quemadmodum autem errori alicui leviori, aut infirmitati semper ignoscendum est; ita etiam pietas & reliquæ virtutes Martyrum sunt laudandæ, & imitandæ; ubi tamen semper ad rem ipsam potius, ob quam durissima quæque perpessi sunt, respiciendum, quam ad adfectum ipsum, seu desiderium patiendi, quod aliquando non satis Christi præceptis, & Decretis rationis de sui conservatione, attemperatum fuerat, ut Acta Martyrum testantur, nosque infra uno vel altero specimine ostendemus. Hæc de Actis Martyrum, Martyribusque monere voluimus propterea, quod in sequentibus, ubi de Visionibus eorum sermo erit, hæc observasse utile erit.

VII. Inter Acta Martyrum antiquissima, & attentione dignissima referenda sunt, Acta Martyrii *Ignatii* & *Polycarpi*. Secundum *Ruinartum* passus est *Ignatius* An. 107. Triplex est Actorum Martyrii *Ignatii* apud *Cotelerium* editio. Prima græco-latina a *Ruinarto* edita; secunda *Metaphrastæ*, tertia denique antiqua versio latina, ab *Usserio* primum in lucem protracta. Stabimus quidem nos editione *Ruinartii* græco-

græco-latina. De sinceritate ipsorum Actorum dubitant vehementer J. *Basnage Hist. de l'Eglise Tom. I.* pag. 101. & *S. Basnage Annal. Polit. Eccles. Tom. II.* pag. 17, interpolata fatetur *Grabius Spicileg. Tom. II.* pag. 22. cujus verba mox adducemus. Rationes horum Virorum doctorum ita sunt comparatæ, ut iis per omnia satisfieri non possit. Quod ipsum certe non parum ponderis habet, ad nos excusandos, quando de veritate Visionum, quæ *Ignatii* comitibus contigisse dicuntur, dubitari posse adserimus. Sed videamus, quid de Visione *Ignatii* comitibus concessa sentiendum sit. Sect. VII. Act. Edit. *Ruinarti*, ita loquuntur ex versione hi Comites: *Contigerunt vero hæc ad diem XIII. Calendas Januarias, hoc est Decembris vigesima, Consulibus Sura & Senecione II. Horum cum fuissemus testes oculati, domi in lachrymis noctem exegimus, & cum genibus flexis, & oratione multis precati essemus Dominum, ut nos infirmos certiores redderet, de iis, quæ prius acta fuerant, ac paulum obdormissemus; alii quidem statim adstantem & complectentem nos vidimus; alii rursus adprecantem nobis conspeximus Beatum Ignatium; alii vero sudore stillantem, quasi a multo labore advenientem atque adstantem Domino cum multa proinde lætitia. Cum hæc vidissemus, & somniorum visa conferremus, Virum Beatum prædicavimus, vobis & diem & tempus significavimus, ut tempore ejus Martyrii convenientes, communionem nostram testificemur, cum Athleta & generoso Martyre Christi, qui conculcavit Diabolum &c.* Ad hæc sequentia observentur 1.) Narratio hæc, notante *Usserio*, a *Philone*, & *Agathopode*, *Ignatii* e Syria comitibus facta: 2.) Probabile minime est, hanc Visionem in horum Comitum gratiam factam esse. Num enim voluerunt persuaderi de veritate rei, id est, vere passum esse *Ignatium?* ineptum hoc fuisset, cum fuerint testes αὐτόπται. An dubitabant forte de pietate *Ignatii* & felicitate in futura vita obtinenda? at initio Orationis, seu narrationis, in cœlum eum ob pietatem sustulerant laudibus. Forte hac Visione experiri voluerunt, num Deus singularem ardorem Martyrii adprobaverit, nec ne? quæ est conjectura J. *Clerici* ad h. locum. At si eo animo orationi vacassent Comites illi, credibile plane non est, Deum desiderio eorum per miraculum satisfacturum. Confirmasset enim ita rem, qua facile multi abuti potuissent. De pietate equidem *Ignatii* non dubitamus. At ex his Actis Martyrii, & epistolis, ea præsertim, quam ad *Romanos* scripserat, satis superque patet, bonum virum nimio amore Martyrii abreptum fuisse: hinc tantopere laborat, ne amici Romani se citis passibus ad gloriam Martyrii grassantem impedi-

pedirent, aut aliquid facerent, quod flagrantissimo desiderio obesse posset. At Deus non solet miracula facere, ad ea, quæ affectus non satis ad rationem, & præcepta Religionis christianæ attemperatus suadere solet. Displicent, scio, ejusmodi libera judicia Patrum admiratoribus, non item iis, qui ad æternas veritatis leges cuncta mortalium dicta & facta examinare solent. Cl. *Weismannus Hist Eccl. Tom. I. pag. 116.* postquam *Basnagii* sententiam de Martyrio *Ignatii*, cum mea prorsus conspirantem adduxisset, in hæc verba erumpit: *Ubi quæso sumus, dum ea culpamus, quæ laudanda essent singularissime? ignarus antiquitatis sit oportet, rectissime ait Dupinius, qui negaverit, primos Martyrii zelo incensos fuisse Christianos & pessimus est Theologus, qui illum vituperet*, ita Cl. *Weismannus*. At exemplorum loco desiderassem rationes: nil agit exemplum quod litem lite resolvit. *Cotelerius* in notis ad Epistolam *Ignatii* ad *Romanos*, & post eum *Ruinartus* singulare illud desiderium *Ignatii* excusaturi, ad exempla aliorum Martyrum provocant. At num hoc est ratiocinari aut probare? Omnia huc redeunt 1.) Deus homini conservandi sui studium insevit. 2.) Deus igitur vult, ut vitam omni ratione conservare studeamus, omniaque faciamus, quæ ad illam in tuto collocandam facere possunt. 3.) Leges naturæ, cum præceptis Religionis christianæ non pugnant. 4.) Christus ipse discipulis injunxerat, ne temere vitam suam periculis exponant, & si quando injuste ad necem postularentur, ut ex una in alteram urbem, si possent, fugiant, Matth. X. 5.) Martyrium ipsum per se, neque etiam desiderium per se, Deo placere potest, quoniam quis pro errore turpissimo mortem obire potest, quod *Marcionitarum*, aliorumque exemplo constat; neque actionem etiam ullam, nisi quæ fiat ad normam rationis, & præceptorum Evangelii Deus adprobare potest. 6.) Solus ergo ille *Martyr* laudandus, qui de veritate Religionis christianæ persuasus est, atque in eas est conjectus circumstantias, ut alia ratione Deo & conscientiæ satisfacere non possit, quam constanti & libera veritatis confessione, cum exquisitis tormentis licet, & vitæ jactura conjuncta. 7.) Contra, qui insidias ubi posset non effugit; qui pericula sine necessitate in caput suum devocat; qui mortem oppetere nulla urgente necessitate desiderat; qui auxilia aliorum aspernatur, is, licet vir alias bonus sit & pius, laudandus tamen, licet sanguinem profundat, non est, quamvis credibile sit, Deum imbecillitatem illam bonas in partes esse interpretaturum. Quod si Acta hæc Martyrii, & Epistolam præcipue *Ignatii* ad *Romanos* diligenter & attente legamus,

satis

satis perspicue constare videtur, *Ignatium* tum temporis vitam conservare, atque adeo porro Ecclesiæ Antiochenæ prodesse potuisse. Si vero in eo decipimur, atque nulla elabendi ratio erat, nemo non constantiam Beati Viri laudabit. Quod si hoc erat, certe causam non video, cur Comites illi miraculum a Deo expetere debuerint. Neque igitur causa erat, cur Cl. *Weismannus* existimaret, Doctissimum *Basnage* minus decenter de Martyrio ipsius locutum. At ne quis existimet, me sine ratione causam Cl. *Basnage* perorare, ipsa verba ejus adducam: nimirum in eo est Doctissimus Vir, ut probet, epistolam *Ignatii ad Romanos* jure suspectam esse: inter alias rationes, quas attulit ad hoc probandum, etiam una est, quæ ex ipsius Epistolæ argumento petitur. „ Je n'examine (inquit *Tom. I. Hist. de l'Eglise pag.121.*) „ point l'interrogatoire d'Ignace, dans lequel il fait a l'Empereur une „ equivoque sur son nom de *Porte-Dieu*, concluant de là qu'il ne peut „ avoir le Demon: Mais comment Ignace, condamné par la bouche „ de l'Empereur, pouvoit-il croire, qu'il étoit facile de le garantir „ de la mort, & prier les Romains, de ne le pas faire? cela paroit „ choquer le bon sens & la Religion; Car ni le Peuple, ni les Magi„ strats de Rome ne pouvoient sauver la vie, à un homme condamné „ par le Prince, & envoyé de si loin par son ordre, pour être dechiré „ par les bêtes. Il étoit encore plus impossible à des Chrêtiens, dans „ le fort de la persecution, d'empêcher l'execution de la Sentence Im„ periale. La Religion en est choquée: Car quelque ardeur qu'on „ ait pour le Martyre, il faut attendre ce que la Providence ordonne, „ sans s'oposer aux moyens, qu'elle a de nous garantir du supplice. „ Cependant non-seulement Ignace veut mourir, & previent de loin „ les Romains, de peur qu'ils ne s'oposent à son supplice; mais il les „ prie *de flatter les bêtes, afin qu'elles le dechirent.* C'est une nouvelle „ maniere d'exciter la cruauté des Tigres, & des Lions, que de les „ flater; du moins ce n'est pas là l'Esprit du Christianisme, & feroient „ une tache à la vie de S. Ignace, s'ils étoient veritables.„ Hactenus *Basnage.* Addam huic (quoniam auctoritas & testimonia quorundam ingeniis magis attemperata sunt, quam rationes) judicium Viri Doctissimi, quique, quid leges naturæ, & præcepta Religionis a Christo traditæ postulent, accurate expendit. Is est Cl. *Barbeyracius Traité de la Morale des Peres*, cap. VIII. pag. 125. ita de hoc Martyrio *Ignatii* loquens. „ A l'egard de St. Ignace, dont le Pere *Ceillier* allegue en„ core l'exemple, on ne sauroit nier, qu'il ne souhaitat le Martyre

avec

„ avec une ardeur extrême: & tout ce qu'on peut dire, pour l'excu-
„ ser, c'est qu'il étoit deja pris, desorte qu'il n'y avoit pas d'apparen-
„ ce, qu'il pût eviter la mort. Mais après tout, si les Apôtres eux-
„ mêmes n'ont pas été exemts d'erreurs & de foiblesses, faut-il s'éton-
„ ner, que leurs Disciples les plus zelés en ayent été susceptibles?
„ Les regles invariables de l'Evangile, & de la raison ne changent
„ point pour cela: & les Exemples ne sont à imiter, qu'autant, qu'ils
„ y sont conformes. Dieu a pu, en consideration des dispositions
„ pieuses & sinceres de quelques Martyrs, comme celui-ci, avoir leur
„ zele pour agréable, quoique melé d'imperfection. Loüons le zele
„ en lui-même, & contentons nous d'excuser ce qui a eu besoin d'in-
„ dulgence. Il n'y a pas moyen de regarder autrement ces instances
„ vehementes, que faisoit Ignace aux Romains, de ne pas travailler,
„ quand il les en prieroit lui-même, à le garantir du supplice, com-
„ me si par-là ils lui envoyent la Couronne du Martyre: Ces exhor-
„ tations à flatter les Bêtes feroces, afin qu'elles le devorassent entie-
„ rement; ce dessein, où il temoigne être, de les irriter lui-méme,
„ de peur qu'elles ne le respectassent, comme il étoit arrivé à quel-
„ ques Confesseurs, &c. Ita *Barbeyracius*, cujus integrum cap. VIII. legi meretur. Idem Cl. *Weismannus* impugnat S. *Basnage Jacobi* ad-finem, quod *Tom. II. pag. 17. Annal. Eccles.* Visionem Comitibus *Ignatii* factam, vel eo nomine in dubium vocet, quoniam temporibus *Ignatii* Martyrum animæ e cœlo in terras non migrarent, ad solatia mœrentibus præbenda. *Quasi vero (inquit Cl. Weismannus) absurdum esset, Beatos vel per speciem suam, vel in persona propria apparere, in hoc mundo visibili, si Deo ita visum fuerit.* At miracula non sine necessitate sunt multiplicanda. Hic autem nulla plane est necessitas. Si Christiani fuerunt illi Comites, ut fuerant, in Decretis Religionis christianæ satis præsidii contra dolorem reperire poterant. *Secundo*, potuit sine miraculo imago dilectissimi hominis somniantibus obversari. *Tertio*, si, quidquid Deus potest facere, statim ipso opere factum esse dicendum est, omnibus fere *Legendis* fides est habenda. Certe, narratio hæc cum *Legendis*, quæ sequiore ætate, de adparitionibus animarum cœlo receptarum narratæ sunt, ex asse convenit. Sed non opus est, ut multum huic argumento inhæreamus. Alia insuper sunt in narratione hac *vοθοις* indicia. Velim ergo *Quarto* notari, narrationem Comitum illorum cum Chronologia conciliari nulla ratione posse, quod Viri Doctissimi *Clericus*, *Pagi*, *Loydius*, *Basnage*, & *Norisius* probarunt.

barunt. Atque hæc præter alia effecerant, ut *Grabius*, maximus Patrum admirator, totam illam Comitum narrationem, ab aliena manu temere Actis Martyrii adsutam fuisse existimet. „ Atque hæc (inquit „ *Spicilegii Tom. II. pag. 22.*) sunt *Acta*, sive potius *Passio* S. Martyris Ignatii, ex duplici codice latina edita. Primum ab Usserio, qui in Præfatione postremam saltem partem a Philone, Gajo & Agathopode „ ex Syria Romam usque beatum Martyrem secutis, conscriptam esse „ ex sequentibus collegit formulis: *Nos quidem nolentes abducimur, gementes de ea, quæ a nobis futura separatione, obviamus fratribus timore & gaudio repletis. Horum ipsimet conspectores effecti &c.* Ego contra priora quidem, quæ in utroque codice latino exarata sunt, genuina & antiquissima, sed postremam Ignatii partem spuriam, & ab interpolatore quodam assutam esse arbitror; partim quia in altero eorum codice scilicet Cottoniano deest, partim quia ἀτυζατα atque falsa „ continet. Sane aperte sibi invicem repugnare videntur ista verba S. „ V. quæ in latino Textu Usserii ita sonant: *Horum ipsimet conspectores effecti cum lachrymis, & domi per totam noctem vigilantes, & multum cum genuflexione & oratione deprecantes Dominum certificare infirmos nos de prius factis.* Si enim hæc facta ipsimet Spectatores oculis „ usurpaverant, quid opus erat ulteriorem de iis certitudinem a Deo „ postulare? Falsum autem, quod ista facta dicantur *Præsidentibus apud „ Romanos Syria & Senecio secundo*, id est An. 107. Æræ vulgaris Christianæ, ut ex notis Usserii discere est: hoc inquam falsum esse apparet. Nam ex ipsis Actis constat, Ignatium a Trajano Imperatore „ damnatum esse, quando is expeditione adversus Parthos suscepta, „ Antiochiam venit. At vero bellum Parthicum An. Christi 112. demum cæpisse egregie probarunt, duo insignes rerum Chronologicarum Magistri, Henricus Norisius in Epistola consulari pag. 72. & A. „ Pagi in Critica Historico-Chronologica in Annales Baronii ad A. „ Christi 105. His accedit tertius, Chronologorum hujus temporis „ Princeps, qui primo loco a me nominandus erat, Reverendus admodum Guilielmus *Lloydius*, nunc Episcopus Wignorienſis; jam alii „ quidem paulo citius, alii serius id contigisse existimant, in eo tamen „ omnes fere conveniunt id post A. Ch. 112. accidisse. Ita *Grabius*. „ *Quinto. Metaphrastes*. ubi de hoc argumento loquitur, illud λεγεται duntaxat usurpat, quod eo magis mirum est, quod notum sit, hominem hunc miraculorum numerum augere potius, quam minuere solere. Idem, hanc Visionem non in gratiam Comitum, sed amicorum

Ro-

Romæ degentium factam esse scribit. Atque hæc sufficere possunt, ad probandum, Visionibus illis in Actis hisce narratis fidem non esse temere adhibendam.

Sunt Viri docti, qui ipsi etiam *Ignatio* Visiones contigisse contendunt. Ego quidem id fieri potuisse nullatenus nego. Hoc unum dubito, utrum loca, quæ ad id probandum adducuntur, satis perspicue hoc significent. Cl. *Kettner Dissert.* supra citata provocat ad Epistolam *Ignatii* ad *Trallianos* datam, in qua *Sect. V. pag. 23. Edit. Clerici* ita loquitur B. Martyr: *Numquid non possum cœlestia vobis scribere. At ne parvulis vobis damnum inferam metuo, ac mihi ignoscite: ne ista capere non valentes strangulemini. Etenim ego non propterea quod vinctus sum, & cœlestia intelligere possum, & situs Angelorum & cœtus constitutionesque principatuum, visibilia & invisibilia, propter hoc jam & discipulus sum: multa enim nobis desunt, ne a Deo absimus.* Ex capite undecimo *Vindiciarum Ignatianarum*, ab illustri *Pearsonio* conscriptarum patet, *Dallæum* hanc ipsam partem Orationis *Ignatii* impugnasse, atque existimasse, *Ignatium* modestiæ limites supergressum, dum ea sibi tribuat, quæ nulli mortalium concessa sint. Adferamus ipsa *Pearsonii* verba. „Prima modestiæ (secundum Dallæum nempe) violatio, quod *super-*
„*cœlestium scientiam sibi vindicat.* Quasi vero Christiano Viro & quidem Episcopo, & ab Apostolis edocto nulla supercœlestium scientia competeret. An τα ἐπερανια toties ab Apostolo memorantur, ut de illis nihil scire, nil scribere possent Christiani? mira hæc mihi videntur: & tamen ob hanc unam sententiam *a modestia hic Scriptor duplici nomine discedit.* Primo *sibi ea tribuit, quæ nemini homini mortali concessa sunt.* Nego, pernego. Dicit se πολλα φρονειν ἐν Θεω, *multa sapere in Deo*: an hoc nulli mortalium concessum est? an potius ab omnibus Christianis requisitum non est? ad sapientiam in Deo, & quidem multam, omnes vocantur: Ille præsertim, quem S. Chrysostomus ἀντιῤῥυπον πετρᾳ διδασκαλον appellare non veretur. Dicit se ea scribere posse, quæ Trallenses non caperent. An hoc nulli mortalium concessum est? Nondum tanta nobis tunc temporis Trallensium scientia fuisse adparet. Cum autem Smyrnæos supercœlestium & visibilium, invisibiliumque mentionem fecisset, statim addit: *Qui capit, capiat.* Postremo hæc ἐπερανια clarius definit, dum se τας τοποθεσιας τας ἀγγελικας καὶ τας συζασεις τας ἀρχοντικας intelligere posse dicit. Nec tamen patet, hæc ejusmodi esse, quæ nulli mortales sciant. Nos forte non recte intelligimus, quid Epi-

„ ſtolæ Scriptor per iſta verba voluerit, & eum illa non intellexiſſe, „ quæ his verbis ſignificare voluit, &c.„ Ita Illuſtris *Pearſonius*. At ex iis, quæ attulit *Eruditiſſimus Vir* ſatis conſtat, ipſum ſeſe in omnes verſare partes, atque omni niſu id agere, ut *Ignatii* Epiſtolis ſuum conſtet decus. Primo, ſcientiam τῶν ἐπερωνίων omnibus Chriſtianis competere ait; mox tamen nos neſcire ait, quid *Ignatius* his verbis ſibi voluerit: at ſi hoc eſt, cur dicendi ſunt ſcire omnes Chriſtiani, id, quod ne nos quidem intelligimus? Certe perſuaſus ſum, *Ignatium* interrogatum, quid per τοποθεσιας, & συχασεις ἀρχοντικας intelligeret, vix ac ne vix quidem reſpondere potuiſſe. 2.) Rurſus idem *Pearſonius* ad *Chryſoſtomum* provocat, probaturus, *Ignatium* ab Apoſtolis ῥητα & ἀπορρητα didiciſſe. Mox tamen adductis verbis Chriſoſtomi ait: *In excerptis Clementis* ἐκ της ἀνατολικης διδασκαλιας *ex orientali doctrina, quæ ſane Ignatio incognita eſſe non potuit, nonnulla de Angelorum variis officiis & dignitatibus referuntur.* Si hoc concedamus *Illuſtri Viro*, ſequitur eum neque per Viſionem, neque per Apoſtolicam inſtitutionem, quæ de his narrat, ſed ex ineptis illius ætatis opinionibus hauſiſſe. Et certe hæc ultima Viri Eruditiſſimi conjectura, vero quammaxime conſentanea eſt. Notum enim eſt, Pythagoricos, Platonicos, & Hæreticos Apoſtolici ævi multa de Ordinibus & Officiis Angelorum & Dæmonum temere garriviſſe, adeo ut Viri docti non ſine cauſa exiſtiment, Paulum I. ad Timoth. I. v. 4. digitum ad hæc intendiſſe. Videatur *Porphyrius* περι ἀποχης *Lib. II. Sect. 37. ſeqq.* Edit. *Holſtenii.* 3.) Cum Apoſtolis ipſis, de variis officiis & ſedibus Angelorum, nil perſpicue revelaverit Deus, num credibile eſt, Deum per Viſiones *Ignatium* de hiſce edocturum?

Alter locus, ad quem Cl. *Kettnerus* provocat, extat *Epiſtola ad Philadelphenos*, ubi Sect. VII. pag. 32. ita loquitur: *Quanquam enim ſecundum carnem voluerunt quidam me ſeducere: at Spiritus non ſeducitur a Deo exiſtens. Novit enim unde veniat, & quo vadat & ſecreta coarguit. Clamavi cum intereſſem, locutus ſum magna voce, voce Dei: Epiſcopo attendite & Presbyterio & Diaconis. Quidam autem ſuſpicati ſunt, me ut præſcium diviſionis quorundam hæc dicere. Teſtis autem mihi is eſt, in quo vinctus ſum, quod a carne humana non cognoverim: ſed Spiritus anuntiavit dicens iſta: Sine Epiſcopo nihil facite.* At nec hic locus probat, per Viſionem ipſum edoctum fuiſſe de hac propoſitione: *Sine Epiſcopo nihil facite.* Epiſtola enim ad *Trallianos Sect. II. ad Philadelph. Sect. VII. ad Magneſ. Sect. IV.* eandem denuo repetit, & inculcat, ſed tan-

tanquam præceptum Apostolicum. Hinc & illi ipsi, qui pro ignatianis Epistolis pugnant, inter quos eminet Illustris *Pearsonius*, excusaturi ea, quæ magnificentius de Episcopis dicta sunt in Epistolis *Ignatii*, traditione Apostolica, non extraordinariis Visionibus sese tuentur. Et certe, si *Ignatius*, vel ex Epistolis Apostolorum, vel familiari congressu cum Discipulis Apostolorum, tantum tribuendum esse honorem Episcopis edoctus fuit, frustra ad Visiones provocatur. Vide quid de hoc argumento differat *Usserius Dissertat. de Ignatii Martyriis Epistolis* &c. cap. X. pag. 22. extante in *Cotelerii Patr. Apostol. Vol. II.* Certe inter præcipuas rationes, quæ suspectas reddunt Epistolas *Ignatii*, refero *Episcopalis potestatis exaggerationem*. Talia apud Christum & Apostolos non legimus. Scio quid Viri Eruditi respondeant. At de his ex professo agere instituti nostri ratio non patitur, satisque sunt a Doctissimis Viris excussa.

Socrates Hist. Eccles. Lib. VI. cap. 8. adserit, *Ignatium* per Visionem edoctum fuisse artem hymnis alternatim canendi: *Dicendum porro est* (inquit) *unde consuetudo illa, hymnis in Ecclesia alternis canendi, initium sumpserit. Ignatius Antiochiæ in Syria Episcopus, post Apostolum Petrum ordine tertius, qui & cum Apostolis ipsis familiariter versatus est, vidit aliquando Angelos hymnis alternatim decantatis S. Trinitatem celebrantes, & canendi rationem, quam in illa Visione animadvertat, Ecclesiæ Antiochensi tradidit. Unde ista traditio ad omnes postea Ecclesias dimanavit.* At quam incerta hæc *Socratis* traditio sit, dudum ab Eruditis est ostensum. Vide quæ de hoc argumento in medium proferat. *Bingham Orig. Eccles. Lib. XIV. cap. I. Sect XI. pag 14 seq. Edit lat.*

VIII. Pergimus ad Visiones *Polycarpi* Martyris, qui circa Annum Christi 166. secundum *Ruinartum*, *Usserium* vero & *Pagi* An. 169. pro Religionis christianæ veritate vitam posuerat. Duas Visiones *Polycarpo* obtigisse memorant Ecclesiæ Smyrnensis Moderatores; De priore ita loquuntur pag. 198. apud *Cotelerium*: *tantus vero erat tumultus in stadio, ut nemo posset audiri. Porro Polycarpo intranti in stadium vox e cœlo facta est*: ἰσχυε καὶ ἀνδριζε πολυκαρπε; *fortis esto & viriliter age Polycarpe, & eum quidem qui vocem emisit, vidit nemo, vocem autem ex nostris, qui præsentes erant, audiverunt.* Cur autem dubitem, Deum per miraculum vocem hanc misisse, rationes sunt sequentes. 1.) Tumultus erat, testibus ipsis qui præsentes erant, maximus, variisque cogitationibus distractus *Polycarpi* animus; unde vix vocem audire, aut a voce hominis distinguere potuit. Hinc neque in Epistola ipsa

ipsa adseritur, *Polycarpum* vocem audivisse. At si Deus eum per miraculum cœlesti voce firmare voluisset, eo temporis articulo eam emisisset, quo nulla ratione dubitare potuisset, quin inusitata ratione sibi adesse vellet. 2.) Flagrabat B. Vir singulari Martyrii obtinendi cupiditate, metumque omnem cruciatuum subjecit pedibus. 3. Causa non est, cur dubitemus, Deum Viro Religionis christianæ amantissimo gratia sua, atque singulari favore adfuisse. Necesse igitur non erat, ut miraculo, homini sponte ad gloriam Martyrii currenti, calcar adderetur. 4.) Nolumus equidem negare, Spectatores hujus Tragœdiæ vocem illam audivisse: at unde sine miraculo novo persuasi esse poterant, tanto in strepitu, cælitus delapsam illam vocem? Denique ea, quæ ad finem narrantur, ut mox audiemus, efficiunt, ut dubitemus, utrum quæ de Visionibus illius dicuntur, vera sint, nec ne.

Altera Visio, quæ in Epistola illa Smyrnensium *Polycarpo* contigisse narratur, hæc est: *Cum oraret* (inquiunt Smyrnenses) *triduo antequam comprehenderetur, Visio ei oblata est. Viditque cervical suum incendio conflagrare. Tum conversus ad comites suos, prophetice dixit: oportet me vivum comburi.* At & hæc Visio non est extra dubitationis aleam posita. 1.) *Eusebius* Lib. IV. cap. 15. oranti quidem, sed *noctu* in somnum soluto hanc Visionem contigisse narrat. At naturaliter fieri potuit, ut hoc ei insomnium contingeret. Omittit idem *Eusebius* illud *prophetice*, quod in Textu nostro est. 2.) Cum Proconsul dixisset, se eum vel bestiis objecturum, vel igni traditurum, respondet: Φερε ὁ βελει. Quod si credidisset, Deum per Visionem sibi certo significare voluisse, fore ut igne extinguatur, optare debuit id, quod consentaneum erat voluntati divinæ. 3.) Dubitari potest de veritate Visionis, quia Deus per miraculum impediverat, quo minus igne absumeretur. Audi enim quomodo *Smyrnenses* loquantur, Sect. XV. seq. apud *Cotelerium*. *Et postquam Amen emisisset, precationemque complesset, homines seu Ministri ignis ignem accenderunt. Cum vero ingens flamma emicasset, grande miraculum vidimus, quibus spectare concessum fuit, qui & ideo reservati sumus, ut aliis, quæ contigerunt enunciaremus. Ignis enim fornicis speciem præbens, tanquam navis velum a vento repletum atque sinuatum, undique circumdedit Martyris corpus: quod quidem in medio positum, non ut caro assa videbatur, sed veluti panis coctus, vel sicut aurum & argentum in fornace candens. Tantam quippe fragantiam odorabamur, ac si thus aut aliud quoddam pretiosorum aromatum oluisset. Tandem igitur cernentes improbi, corpus ipsius ab igne non posse consumi,*

jusse-

jusserunt confectorem propius accedere pugionemque capulæ terus abdere. Quod cum ille feciſſet, egreſſa eſt columba, item tanta vis ſanguinis, ut ignem extingueret, utque univerſa plebs miraretur, tantum eſſe diſcrimen inter infideles & Electos. Ita *Smyrnenſes.* Quod ſi Deus per miraculum voluit impedire, quo minus corpus igne extingueretur, quæ cauſa eſſet tandem, cur Deus inſolita Viſione eum contrarium edocere vellet? certe corpus ipſius initio in cineres non fuiſſe redactum, docent ea, quæ in ſequentibus narrantur; refertur enim, Chriſtianos corpus ipſius ſepulturæ mandare voluiſſe. Confirmat hoc *Illuſtris Uſſerius* auctoritate Martyrologii Romani. „In Martyrologio quoque Romano „(inquit) in notis ad h. l. Januar. 26. ab igne minime læſus dicitur „fuiſſe *Polycarpus.*„ Indeque Romæ in Eccleſia S. Stephani in Cælio adſcripta, illi cernitur Siriacidæ iſta ſententia Eccleſiaſt. 51:6. In medio ignis non ſum æſtuatus: ſubjecto etiam, in eam ſententiam, hoc Epigrammate:

Phœnicem ſi quis medio miretur in igne
Emori, & extructo ſe reparare rogo
Obſtupeat, Polycarpe, avidas tibi parcere flammas
Non auſas ſacra te violare face.
Mille nitent tædæ, rutilantque hinc inde favillis
Atque in Te Dominum, quem colit ipſe, colunt
Præmia nunc majora tibi, ſed reddit Olympus.
Ignea qui pedibus, ſubjicit aſtra tuis.

4.) Miraculum hoc de igne non abſumente *Polycarpi* corpus dicitur factum in gratiam infidelium. At Centurio tandem homo gentilis corpus in medio ignis poſitum exuſſit, uti ſignificatur, Sect. XV. Certe hoc potius in dubitationem conjeciſſet Spectatores, quam ut miraculum eveniſſe credidiſſent. Viderunt enim ignis vim non nocere corpori B. Viri. Atque hoc potuiſſet adducere gentiles, ut crederent Deum ſingularem hominis curam gerere, atque adeo decreta ipſius mala eſſe non poſſe. At iidem mox vident per Centurionem effectum eſſe, ut corpus hactenus intactum, & in cineres non reſolutum prorſus diſſolveretur. Unde merito debuiſſent ſuſpicari, forte per cauſas naturales, ſed ignotas, factum, ut fruſtra flammæ eum lamberent. Quis autem tam prodigum miraculorum Deum eſſe credat, ut in ejusmodi circumſtantiis portenta edat? 5.) Dicitur columba e corpore ipſius egreſſa. De quo tamen portento ſilet *MStum Ruinarti*, *Euſebius*, *Ruffi-*

Ruffinus, imo ipse *Nicephorus* homo quammaxime credulus. Necesse igitur est, hoc ab impostore quodam Epistolæ Smyrnensium adjectum. *Prudentius* in Martyrio S. *Eulaliæ* Hymno III. similem fabellam refert, dicens:

Emicat inde columba repens
Martyris os nive candidior
Visa relinquere & astra sequi.
Spiritus hic erat Eulaliæ
Lacteolus, celer, innocuus.

Varias Eruditorum de columba illa e corpore Martyris, scilicet egressa sententias, vide in *Biblioth. Bremensi Class. III. fasciculo 3. pag. 429. seqq.*

6.) Dicitur tanta vis sanguinis e corpore ipsius emanasse, ut ignem extingueret. Sed unde tantum sanguinis e corpore senili & effœto? num Deus per miraculum sanguinem Martyris auxit? Si hoc vero est, atque per miraculum factum est, ut ignis extingueretur, cur tandem id a Centurione fieri permisit? 7.) Denique fragrans ille odor corporis Martyris, quem avidis naribus traxisse dicuntur spectatores illi, satis ostendit, quid miraculis illis tribui debeat. Certe hujus mirabilis effectus, neque physicæ, neque morales causæ dari possunt. In *legendis Monachorum* sequentis ævi talia magno numero referuntur; at ab iis tantum creduntur, qui cerebrum non habent: num enim odore hoc voluit Deus ostendere, corpora Martyrum ex alia plane quam cæterorum hominum materie conflata? at hoc falsum esse norunt omnes. Num probare voluit, sibi maxime placere constantes Religionis Christi confessores? at & hoc Christianis sine particulis istis odoriferis satis cognitum atque perspectum erat. Quod si hæc omnia in summam redigamus, non leves causæ sunt, cur non minus de narratis miraculis, quam de Visionibus dubitemus. Scio quosdam cum *Ruinarto* dicturos, certum ab incerto esse distinguendum, neque Visiones propter portenta illa, mendacii merito suspecta, simul in dubium revocandas. At quis nobis tandem fidem præstabit, homines, qui Smyrnensium Epistolæ inanes fabellas adsuere non sunt verecundati, a fingendis Visionibus sibi temperasse? Saltem nemo cordatus mihi vitio credo vertet, si, dum meliora edoctus fuero, Visiones illas valde mihi suspectas esse ingenue fatear. (*) Sed

(*) Vide quæ de Actis Martyrii Polycarpi in medium adduxit Anonymus in Diario Litterario cujus titulus: *Journal Britannique* par M. MATI Menfis Septemb. A. 1750.

Sed & alias Visiones hoc tempore, *Attalo* cuidam factas memorant Ecclesiæ Lugdunensis, & Viennensis Moderatores apud *Euseb. Hist. Eccles. Lib. V.* cap. 3. Verba ita sonant ex versione *Valesii*; *Alcibiades quidam, unus ex illorum Martyrum numero, durum & squalidum vivendi genus sectabatur; nullumque omnino cibum admittens solo pane & aqua, ad id usque temporis vesci consueverat. Cumque in carcere positus eandem vivendi rationem vellet retinere, Attalo post primum, quod in Amphitheatro fecerat certamen, revelatum est, non recte neque ordine facere Alcibiadem, qui & creaturis Dei minime uteretur, & aliis exemplum scandali fieret. Paruit itaque Alcibiades, & cunctis deinceps cibis promiscue uti cæpit, gratias agens Deo. Neque enim divina gratia eos destituerat. Sed consultorem habebant Spiritum Sanctum.* Ita loquuntur *fratres* illi *Lugdunenses*. *Attalo* revera per Visionem extraordinariam ejusmodi monitum datum credere non possum. Non enim unquam Deus facit miracula in gratiam hominum, quando vel sensu communi de re cognoscenda moneri possunt. *Alcibiades*, si pane & aqua vires refocillare non satis poterat, ratione sola duce probe cognoscere potuit, cibos a fratribus benigne communicatos respuendos non esse. Aderant aliorum Confessorum exempla. Et si neque ratio, neque fratrum piorum exempla sufficissent, adhortatio *Attali* strenui veritatis confessoris, vel sine Visione eum commovere potuisset. Non dubito equidem, quin *Attalus* singulari amore *Alcibiadis* tactus, existimarit, desiderium illud meliora illi suadendi, S. Spiritus monitum esse, præsertim postquam vidisset, hominem pertinaciter in squalido & duro vivendi genere perseverare, seque macerare sine necessitate velle; at Revelationem extraordinariam, ut hoc ipsum fieret, *Attalo* factam, ob ea quæ dixi, credere non possum. Certe omnibus portentis, & miraculis fides est habenda, si talia semel admittimus.

Seculo hoc secundo vixerat *Tertullianus*, qui in scriptis suis passim mentionem facit Visionum, quæ quibusdam Christianis contigisse dicuntur. At multum his tribuere non possumus, partim quod ingenium habuerit plane ad *fanaticismum* pronum; partim quod diu satis *Montanismo* fuerit addictus; notum autem est, *Montanum* cum sociis perpetuas Visiones, sed fraudis merito suspectas jactasse; ut jam non dicam, vix certo definiri posse, quos libros *Montani* erroribus imbutus, quos vero rectius sentientium opinioni addictus scripserit. Solus character animi hujus Afri, viro cordato sufficere debet, ad jactatas ab eo Visiones nauci faciendas. Qui enim fere constanter æstum imagi-

nationis sequitur, atque nunquam fere perspicuo stylo utitur, sed quidquid laudare vel improbare vult, ultra modum urget, ille vix ab homine fanatico distingui poterit. Quomode enim phaleratam orationem, cum de divinis loquitur, intelligemus, & ab homine qui Enthusiasmo quodam correptus est, distinguemus? at diu est, ex quo unanimi fere consensu Eruditi monuerunt, *Tertullianum* hoc morbo laborasse. Sufficiat duorum præstantissimorum Virorum judicia de ingenio *Tertulliani* adduxisse. *Prius* est Nic. *Malebranchii*, viri, uti notum est acutissimi ingenii, qui *Lib. II.* cap. 3. *de inquirenda veritate* ita indolem hominis depingit. „ Tertullien (inquit) étoit à la verité un „ homme d'une profonde Erudition, mais il avoit plus de mémoire „ que de jugement, plus de penetration & plus d'etendue d'imagina„ tion, que de penetration & d'etendue d'esprit. On ne peut douter „ enfin qu'il ne fût visionaire dans les sens, que j'ai expliqué auparа„ vant, & qu'il n'eut presque toutes les qualités, que j'ai attribuées „ aux Esprits visionaires. Le respect qu'il eut pour les Visions de Mon„ tanus, & pour ses Prophetesses, est une preuve incontestable de la „ foiblesse de son jugement. Ce feu, ces emportemens, ces enthusias„ mes sur des petits sujets, marquent sensiblement le dereglement de „ son imagination. Combien des mouvemens irreguliers dans ses hy„ perboles, & dans ses figures? Combien de raisons pompeuses & „ magnifiques, qui ne prouvent, que par leur éclat visible, & qui ne „ persuadent, qu'en etourdissant & qu'en eblouissant l'esprit. *Posterius* vero est Jacobi *Basnagii*, qui *Hist. de l'Eglise Tom. I. Lib. IV. cap. 3. pag. 177.* de ingenio ipsius ita judicat. „ Tertullien avoit un genie heu„ reux, il possedoit une vaste Erudition, son style étoit vif & serré; „ toutes ses periodes étoient autant des sentences & des preuves de ce „ qu'il avançoit, mais souvent il les outroit, & en les outrant elles de„ venoient fausses. L'on trouve dans ses Ouvrages un grand nombre „ des traditions, & de rites, qui seroient demeurés inconnus sans lui. „ il étoit un ardent defenseur de la verité, mais il s'abandonnoit trop „ au feu de son imagination, qui l'emportoit, & qui l'empechoit de „ raisonner juste. Il eut enfin le malheur de donner dans les Visions „ des Montanistes, dont les jûnes & les austerités l'avoient ebloui: „ il nous a donné par là une preuve bien sensible, que les grands hom„ mes tombent souvent dans des grandes foiblesses.„ Ita J. *Basnage.* Atque hinc factum est, ut illi ipsi, qui strenue causam agunt Visionum antiquis concessarum, auctoritate tamen *Tertulliani* uti nolint. *Dod-*

wellus

wellus Dissertat. Cyprianica. IV. Sect. VIII. initio, ait. *Tertulliani testimonia propterea non refero, quod illum Montanismi suspectum facit Rigaltius, nec negat apud eum prophetic arum Visionum exempla occurrere satis frequentia.* *Cl. Pfannerus* citato supra libello de *donis miraculosis antiquæ Ecclesiæ*, pag. 312. seq. satis ostendit, quid de Visionibus *Tertulliano* memoratis sentiat. „ Pertinet huc (inquit) quod *Tertullianus* re„ fert de fratre quodam (Christiano videlicet) per Visionem graviter „ castigato, quod januam ejus, subito annuntiatis gaudiis publicis, fer„ vi, quamvis injussu illius coronassent, ex more nimirum gentilis „ superstitionis, cui quocunque modo communicare Christiano, ista „ præsertim temporum disciplina, nefas habebatur; uti & de sorore „ quadam (de virgine veland. cap. ult.) nuda cervice incedere sueta, „ ideoque modestiæ per Angelum in somno admonita. Quali quidem „ monitore (ut hoc adjiciamus) etiam puellis nostræ ætatis opus foret, „ quæ nundinatitia (ut Tertulliani verba cum pace istarum usurpare „ liceat) capita gestantes, atque non furore tantum, quod iste queri„ ritur, sed & sinu nudæ, petulantiam audaciamque ostentatæ virgini„ tatis passim profitentur. Cæterum meminit idem alterius cujusdam „ sororis (de anima cap. 9.) quæ revelationum charismata sortita, quas „ in Ecclesia inter Dominica solennia per exstasin in Spiritu passa sit, „ & conversata cum Angelis, aliquando etiam cum Domino viderit & „ audierit Sacramenta, & quorundam corda dignoverit: Cui prout „ Scripturæ legerentur, aut Psalmi canerentur, aut quæ alia similia pu„ blica in Synaxi fierent, inde materiæ Visionibus submini stratæ fue„ rint; post solennia dimissa plebe renuntiare Tertulliano, quæ vide„ rit, solitæ. At quo loco fœminæ istius relationes habendæ, ex sub„ jecto specimine haud ita difficile judicatu est, ostensæ nimirum *ani„ mæ corporalis*, quo ipso ad confirmandam suam de *corporeitate ani„ morum* sententiam Tertullianus utitur, eo videlicet usque erroris „ progressus, ut & Deo corpus tribuere sustineret.„ Ita *Pfannerus*. Non igitur necesse est, ut singillatim Visiones, quarum mentionem injicit, examini submittamus. (*) Cum autem diximus *Tertulliano*,

(*) Qui ad ingenium Tertulliani attendit, non mirabitur qui factum fuerit, ut acerbissimis Verbis in Philosophiam, ejusque Cultores, quos Hæreticorum Patriarchas vocavit, fœ; issime invectus fuerit. Ingenia enim ad fanaticismum prona, nil minus ferre possunt quam rationis culturam. Hodie eadem luditur fabula. Dantur homines, qui quamprimum audiunt, hunc vel illum Theologum culturæ rationis vel Philosophiæ cum studio vacare, cum tantumnon Hæreseos suspectum habeant. Quasi vero rationis cultura homines necessario in errores conjiceret. At

inter alia vel eo nomine fidem non esse habendam, quod *Montanistarum* partibus addictus fuerit, satis constat, quid de *Montani* & sequacium sentiamus Visionibus. Nimirum meras impostoras fuisse credo, & crediderunt id illi ipsi, qui ea ætate vixerant. Non negabo equidem, unum atque alterum ex invidia *Montano*, & discipulis falso fuisse adscriptum, v. gr. quod se ipsum *Montanus* dixerit esse Spiritum Sanmum, & quæ alia sunt. Interim in eo omnes conveniunt, jactatas Visiones meras fuisse impostoras, quod ex variis rationibus probarunt, v. gr. quod fuco oculorum supercilia, capillosque illevisset *Montanus*; quod in insaniam & miros raptus profanus Spiritus eos adegisset; quod *Maximilla* teste *Epiphanio Hæres. 48. Sect. 2.* de se prædixisset, post se Prophetissam aliam non futuram sed consummationem; quod *Montanus* Salaria Prophetis suis, mercaturamque quandam eo prætextu constituisset; quod viros suos reliquissent ejus mulierculæ, cum Prophetissarum munus in se suscepissent; quod illæ quoque avaritiæ pecuniisque quavis tandem arte corradendis totæ incumberent; quod παρα το κατα παραδοσιν και κατα διαδοχην ἀνωθεν της ἐκκλησιας ἐθος docuissent &c. Et ne gratis hæc dixisse videamur, testimonia sunt adferenda, quibus hoc ipsum comprobetur. Atque hic non *Epiphanii* alicujus, aut *Hieronymi*, sed antiquiorum, quorum fragmenta adduxit *Eusebius*, vestigiis insistam. Producuntur hæc testimonia ab *Euseb. Lib. V. cap. 16-20.* Excerpemus quædam ad institutum nostrum facientia. Cap. 16. lib. cit. meminit *Eusebius* Anonymi cujusdam, qui cum *Montanistis* congressus, & postea, quæ dicta erant, in chartas conjecerat. Ita autem ille. *Igitur obstinata illorum coitio adversus Ecclesiam, & nova pernicioſi schismatis hæresis hanc habet originem. Vicus quidam esse dicitur in Mysia, contermina Phrygiæ nomine Ardaba. In qua ajunt Montanum quendam ex iis, qui fidelium numero recens adscripti fuerant, immodica primi loci cupiditate captum, primo sub Grato Asiæ Proconsule aditum in se adversario Spiritui præbuisse; Dæmone repletum, subito quodam furore ac mentis excessu concuti cæpisse, & nova quædam ac inaudita proloqui; hariolantem ac prædicentem futura præter morem, atque institutum Eccle-*

At quid facias cum ejusmodi hominibus? Ego in gratiam eorum adponam magni Theologi & Philosophi, nimirum Cl. Werenfelsii Epigramma, quod pro lubitu interpretari possunt. Sonat autem ita:

Usque tuis ratio cum dictis obstrepat, Aule;
Jure illi tandem, præcipis ut sileat.

Cæterum si quis loca Tertulliani, in quibus abjectissime de Philosophia, ejusque cultoribus loquitur, in unum collecta perlegere velit, is adeat Jacobum *Pamelium* in adnotat. ad Tertull. Lib. de præscript. cap. VII.

Ecclesiæ a majoribus traditum, & continua deinceps successione prorogatum. Porro ex his, qui tunc temporis adulterinos hominis sermones audierant, alii quidem, ut abreptitium & Dæmoniacum ac Spiritu erroris actum, turbasque in populo excitantem indignabundi objurgubant, & loqui ulterius prohibebant. Quippe qui in mente haberent discrimen a Domino prænotatum, minasque quibus jubemur adventum falsorum Prophetarum vigilanter ac solicite observare. Alii vero velut Sancto Spiritu & Prophetiæ gratia elati inflatique mirum in modum, & distinctionis a Domino præmonstratæ penitus obliti, illum infatuantem & adulatorem, vulgique seductorem Spiritum, ultro ad loquendum provocabant, capti ejus illecebris, & in fraudem inducti. Hac igitur arte seu potius fraude ac versutia, Diabolus adversus eos, qui dicto Domini audientes non erant, exitium machinatus, cum ab illis immerito coleretur, mentes eorum a vera fide secubantes, somnoque oppressas excitavit paulatim ac vehementius inflammavit. Quippe duas alias mulierculas suscitavit, & adulterino Spiritu replevit; adeo ut ipsæ quoque perinde ac supra memoratus ille, insana quædam & importuna, atque aliena loquerentur. Et eos quidem, qui ea re delectantur, atque intumescebant Spiritus ille beatos prædicabat, & promissorum magnitudine supra modum inflammabat. Interdum tamen conjecturis, & fide dignis argumentis utens, palam eos condemnabat, quo scilicet etiam objurgatorius videretur. Et paucis interjectis: *In eodem quoque libro, postquam nonnulla ad falsam illam Maximillæ Prophetiam convincendam interseruit, tum tempus ipsum quo hæc scripta sunt, designat, tum mulieris illius vaticinia commemorat, quibus bella & tumultus imminere prædixerat. Quorum quidem vaticiniorum falsitatem convincit his verbis. Nonne inquit hoc mendacium omnibus manifestum apparuit? Etenim ab obitu Maximillæ usque in hunc diem, plusquam tredecim anni jam elapsi sunt, nec tamen ullum aut particulare bellum, aut universale in terris fuit.* Idem Anonymus, quem *Asterium Urbanum* fuisse postea refert *cap. XVII. teste Eusebio* in eodem libro universos N. Testamenti Prophetas enumerat, inter quos *Ammiam* quandam & *Quadratum* recensetbis verbis: *Pseudopropheta autem inquit, in falso mentis excessu, cujus comes est licentia & audacia, a spontanea quidem imperitia initium sumens, in amentiam autem ut, jam dixi, involuntariam desinens. Hujusmodi vero Spiritu nullum unquam nec in Vetere, nec in Novo Testamento Prophetam afflatum poterunt demonstrare.* cap. 18. „ Apollonius Ecclesiasticus „ scriptor ita de Montano judicat: Sed quisnam est novus ille Doctor? „ opera ejus & doctrina satis aperte produnt. Hic est, qui nuptiarum „ dissi-

„ dissidia docuit, qui jejuniorum leges imposuit; qui Pepuzam & Ty-
„ mium & Phrygiæ oppidula Hierusalem nominavit, ut cunctos un-
„ dique homines eo convocaret. Qui pecuniarum exactores consti-
„ tuit; qui sordidam munerum captationem oblationum nomine cal-
„ lide obvelavit; qui doctrinam suam prædicantibus salaria præbet, ut
„ per fœdam ventris ingluviem doctrina ejus convalescat.„ De Mon-
tani vero Prophetissis aliquanto post loquitur in hunc modum: „ osten-
„ dimus igitur, inquit, has Principes Prophetissas, simul ac spiritu im-
„ pletæ sunt, Viros suos dimisisse. Quantopere ergo mentiebantur,
„ qui Priscam virginem vocabant? deinde subjungit hæc verba: Non
„ tibi videtur Scriptura universa prohibere, ne propterea munera &
„ pecunias accipiat? Cum igitur videam Prophetissam aurum & argen-
„ tum vestesque pretiosas accepisse, quomodo eam non repudiabo?
„ & paulo post de quodam ex eorum numero, qui confessores apud
„ eos habentur, hæc dicit: Præterea Themison specioſa avaritia obve-
„ latus, qui confessionis signum non pertulit, sed magna pecuniæ vi
„ erogata vincula abjecit. Cum ob eam causam modestius deinceps
„ ac submissius agere deberet, tanquam Martyr se offerens ausus est,
„ exemplo Apostoli conscripta Epistola Catholica, eos quidem qui
„ fideliores ipso extiterant, instituere; novæ autem doctrinæ patroci-
„ nari, ac postremo in Dominum, in Apostolos, & in Sacrosanctam
„ Ecclesiam impie loqui. Rursus de alio quodam ex numero eorum,
„ quos illi tanquam Martyres venerantur, ita scribit: Sed ne de plu-
„ ribus loquamur, respondeat: quo cum ipsa convivatur, qui adora-
„ tur etiam ipse a multis. Cujus latrocinia & reliqua facinora, pro
„ quibus pœnas dedit, nil opus est nos dicere præsertim cum in tabu-
„ lario contineantur. Uter igitur illorum alteri peccata condonat?
„ an prophetes Martyri vaticinia? an Martyr Prophetæ avaritiam?
„ Cum enim Dominus præceperit: nolite possidere aurum, neque ar-
„ gentum, neque duas tunicas; isti contra in rerum vetitarum posses-
„ sione graviter deliquerunt. Qui enim ab ipsis Prophetæ & Marty-
„ res dicuntur, eos non solum a divitibus, sed etiam a mendicis, pu-
„ pillis & viduis pecunias corrogare demonstrabimus. Quod si hac in
„ parte confidunt innocentiæ suæ, sistant se, & de his nobiscum disce-
„ tent; aut siquidem convicti fuerint, saltem in posterum delinquere
„ desinant. - - Necesse porro est, ut omnes Prophetiæ fructus atque
„ actus probentur. Die mihi, tingit ne capillos propheta? an stibio
„ oculos linit? an studet ornari? prophetane tabula ludit & tesseris?

„ an

„an pecuniam locat fœnori? ingenue fateantur & reſpondeant, „utrum hæc agere liceat an ſecus. Ego vero hæc apud ipſos acta „eſſe convincam.„ Ita *Apollonius*. Si hiſtoriam criticam *Montaniſmi* ſcriberemus, non allata tantum, ſed & alia teſtimonia diligenter eſſent excutienda. Nemo enim non videt, quædam odio *Montani* dicta, alia frigida plane eſſe, & ad invidiam *Montaniſtis* conflandam excogitata. Sed inſtituti noſtri ratio hoc non patitur. Pleraque eorum, quæ adferre poſſem, jam a Doctiſſimis Viris *Rigaltio præf. ad Tertullianum*, *J. Clerico*, *S. Basnage*, *Arnoldo*, & *Weiſmanno* ſunt notata. Hoc unum dicimus, temere & ſine ſufficientibus rationibus Hoſtes *Montaniſtarum* prophetias, quas jactabant, & Viſiones, Diabolo adſcripſiſſe. Certe ſi talis fuerat *Montanus* & ſectatores ejus, quales fuiſſe ipſimet dicunt Adverſarii, potius dicendum, atram bilem cerebrum eorum turbaſſe, & quosdam eorum impoſtores fuiſſe. Unde male fecerunt illi Epiſcopi, qui Dæmones ex *Montaniſtis* ejicere voluerunt. Nullus enim dubito, quin magis poſt exorciſmum adhibitum deliraturi fuiſſent *Montaniſtæ*, quam antea. Ita certe ſimplicioribus occaſio fuiſſet data, præclare de prophetis illis imaginariis, abjecte vero de Epiſcopis ſuis ſentiendi. Quid cum *Cebennatibus* Patrum noſtrorum memoria actum ſit, notiſſimum eſt. Sufficit nobis, quod nullum plane argumentum adſit, quo divinæ originis eſſe dicamus jactatas *Montaniſtarum* Viſiones. Non ſolet Deus miracula patrare ad diſciplinam Eccleſiaſticam emendandam. At hic unice quæſtio erat de rigore erga lapſos, jejuniis, nuptiis &c. De talibus diſponere ſapientum eſt Eccleſiæ Moderatorum. Sed ſatis de *Montaniſtarum* Viſionibus. (*)

(*) Conferenda hic eſt, ubi de Montaniſtis agitur Viri *Clariſſimi & Amiciſſimi N. Nomen Theologi Bremenſis meritiſſimi diſſertatio Critica ex Hæreſiologia de Luciano, ſeu quisquis ſit Author Dialogi Philopatris, Montaniſtas traducente.* Exiſtimat Vir doctiſſimus, Auctorem hujus Dialogi non tam Chriſtianam diſciplinam in genere, quam vero Montaniſtarum Decreta & Enthuſiaſmos acerbe perſtringere voluiſſe, de quo tamen argumento hic ſingillatim agere nolumus. Cœterum de hoc negotio legendæ tres diſſertationes doctiſſimæ, quas ſcripſit Vir *Clariſſimus & Eruditiſſimus M. G. Wernsdorfius* Profeſſor in Gymnaſio Gedanenſi digniſſimus de Vaticiniis, dogmatibus, moribus & diſciplina Montaniſtarum.

COROL-

COROLLARIA.

I. *Recte, neque sine gravissimis rationibus D. Psaltes, Psal. XIV. adserit eum stultum esse, qui aut cum animo suo cogitat, aut ore profitetur, non dari Numen supremum.*

II *Quamvis teste Paulo ad Romanos, cap. I. v. 19. 20. Id quod de Deo cognosci potest, Gentilibus etiam notum fuerit; inde tamen nondum sequitur, ideas de Deo omnibus mentibus esse insculptas atque impressas.*

III. *Totum universum singulæque ejus partes, sive cœlum, sive terram, sive homines, animantia & plantas; Sive denique singularum ordinem, pulchritudinem, harmoniam & usum consideremus, probant, a sapientissimo, optimo, liberrimo atque potentissimo Artifice, non solum cuncta esse facta & dispositа; sed eadem etiamnum ab eodem singulari cura conservari & gubernari. Hinc non solum ratio, sed Revelatio potissimum ad virtutes divinas in administratione mundi conspicuas, rite celebrandas nos inducit. Vide Psal. VIII. 4. 5. Psal. XIX. 1. Psal. CXLV. 15. 16.*

IV. *Licet ratio satis probabiles atque perspicuas adferat rationes ad probandum, morte carere mentes humanas; certum tamen est huic argumento maximum pondus addere Religionem Christianam.*

V. *Mosen non solum Pentateuchi Auctorem esse adserimus, sed & contendimus, eundem Legatum Dei fide dignissimum esse, secus ac nuperus Auctor isque impudentissimus libri, cui titulus:* Les Princesses Malabares, *profiteri non est verecundatus.*

VI. *Neque libri ab Impostoribus post Christi & Apostolorum excessum magno numero scripti, & sanctorum Virorum nomine in vulgus sparsi; neque variantes Lectiones N. Testamenti, divinæ origini Religionis christianæ quicquam detrahunt.*

VII. *Miracula sunt certa & infallibilia doctrinæ veræ, atque divinitus traditæ, signa.*

VIII. *Opinio* Woolstoni *miracula omnia N. Testamenti in meras allegorias convertentis, quæ tantos nuper in* Anglia *strepitus excitaverat, inepta est, & homine Erudito indigna.*

IX. *S. Scriptura in iis, quæ ad salutem consequendam scitu, atque factu sunt necessaria, satis clara atque perspicua est.*

X. *Ad S. Literas rite intelligendas & controversias componendas non*

non est opus infallibili Judice, & si id necesse esset, non magis hoc jus Principi Italo, quem Papam *vocamus, competeret, quam* Regi Maroccano.

XI. *Quamvis homines in gravissima peccata, quibus aditu cœlestis gloriæ excluduntur, prolabi possint, & ebeu! quotidie prolabantur: nostra tamen opinione nemo Christianorum hodie peccatum in Spiritum Sanctum committere potest.*

XII. *Inter eos, qui in iis, quæ ad Salutem consequendam scitu sunt necessaria, conveniunt, pax Ecclesiastica eaque artissima locum habere potest. Hoc autem cum de* Lutheranis & Reformatis *dici possit, pii & cordati Theologi est, omnia, quæ ad pacem illam ineundam & stabiliendam facere possunt, tentare.*

XIII. *Hæc ipsa tamen pax Ecclesiastica inter fratres ineunda non postulat, ut alterutra pars in dissentientis gratiam, receptæ hactenus sententiæ nuntium mittat; sed ut tanquam fratres, sive in uno, sive in diversis locis docentes, agnita dissensus levitate sese mutuo æquo animo ferant, ament, atque exosculentur.*

XIV. *Jesum Christum verum esse Messiam a Mose & Prophetis annuntiatum, & suo tempore in terris, ut talem doctrina & miraculis demonstratum, ex S. Literis evidentissimum est.*

XV. *Transsubstantiatio non solum rationi, sensibus, institutioni S. Cœnæ & aliis articulis Religionis christianæ contraria est, sed merum est σιδηροξυλον in Religionis christianæ opprobrium excogitatum, atque ebeu ad hunc usque diem in Ecclesia Romana defensitatum.*

XVI. *Periculosissima & pestilentissima Hæresis est vita improba.*

DISQUISITIONIS HISTORICÆ ET THEOLOGICÆ DE VISIONIBUS,

Quæ quatuor primis post excessum Christi & Apostolorum Seculis, Christianis quibusdam contigisse dicuntur.

PARS POSTERIOR.

Sect. IX.

PRogredimur jam quidem ad Seculum III. quo plures ejusmodi *visiones* Christianis, *Cypriano* præsertim contigisse memorantur. Ad initium hujus seculi, nimirum A. CCII. passionem *Perpetuæ, Felicitatis, & Saturi*, refert *Ruinartus*. Dissentiunt autem Eruditi inter se non solum de Collectore Actorum horum Martyrum; sed & de Religione, cui addicti fuerint Martyres illi. Collectorem horum Actorum *Montanistam* fuisse contendit *Valesius*; *Basnagius* vero uterque non solum Collectorem Passionis, sed & Martyres ipsos *Montani* opinionibus addictos fuisse, non contemnendis rationibus probant. *Ruinartus* vero & *H. Dodwellus* utrumque infitiantur. Ex visionibus ipsis dictisque Martyrum, difficile est litem dirimere; Dicta non abhorrent ab iis, quæ a *Montanistis* facta sunt. Sed possent etiam fœminæ orthodoxæ ita loqui. Cum autem nobis non solum sit expendendum, an vere tales quibusdam obtigerint, sed & utrum visiones illæ ita sint comparatæ, ut Deo dignum fuerit, tales hominibus offerre, perinde nobis quidem erit utrum mulieres illæ Montani, an vero Catholicorum castra secutæ sint, quanquam non diffi-

diffiteamur, nobis rationes a *J. Basnagio* allatas, si ad Probabilitatis leges revocentur, magis verisimiles videri, quam argumenta *Dodwelli* & *Ruinarti*. (*) At hæc utcunque sint, visionum argumenta, ex *Ruinarti* Actis Lectoris oculis subjiciam, & quid mihi de illis videatur, salvo aliorum Judicio, dicam. Pag. 93. Actor. *Ruinarti* post Collectoris Præfationem ita incipit Passio ipsa: „ Apprehensi sunt Adolescentes Catechumeni *Revocatus* & *Felicitas* conserva ejus, *Saturninus* & „ *Secundulus*. Inter quos & *vivia Perpetua* honeste nata, liberaliter institua, matronaliter nupta, habens Patrem & Matrem, & Fratres „ Duos: alterum æque *Catechuminum*, & Filium infantem ad ubera. „ Frat autem ipsa annorum circiter viginti duorum. Hæc ordinem „ totum Martyrii sui jam hinc ipsa narrabit, sicut conscriptum manu „ sua, & suo sensu reliquit. Sect. III. ait *Perpetua*: In ipso spatio pau„ corum dierum baptizati sumus; mihi autem spiritus dictavit, nihil „ aliud petendum in aqua, nisi sufferentiam carnis.

Sect. IV. incipit visio *Perpetuæ* quæ ita sonat: „ Tunc dixit mihi „ Frater meus: Domina soror, jam in magna dignitate es, & tanta, ut „ postules visionem, & ostendatur tibi an passio sit, an commeatus. „ Et ego, quæ me sciebam fabulari cum Domino, cujus beneficia tanta „ experta eram, fidenter repromisi illi dicens: Crastina tibi renuncia„ bo, & postulavi, & ostensum mihi est hoc: Video scalam auream „ miræ magnitudinis pertingentem usque ad cœlum, & ita angustam, „ per quam nonnisi singuli ascendere possent: & in lateribus scalæ om„ ne genus ferramentorum infixum. Erant ibi gladii, lanceæ, hami, „ macheræ, ut si quis negligenter, aut non sursum attendens ascen-

(*) De Perpetuæ, Felicitatis & Sociorum Martyrum orthodoxia adversus Samuelem Basnagium dissertationem apologeticam edidit Florentiæ 1728. Josephus Augustinus Orsi S. Theologiæ Lector, in qua multis argumentis erudite probare voluit, Perpetuam & Felicitatem una cum Sociis Martyribus ab errore Montanismi fuisse plane alienas. Res tanti momenti non videtur esse, ut singillatim omnia argumenta quibus suam sententiam comprobare voluit, examinem. Sufficit mihi quod Vir doctissimus fateatur, Auctorem compilationis hujus Martyrii Montani Sectæ addictum fuisse, quod mihi argumento est, Martyres ipsos non longe remotos fuisse ab iis opinionibus, quas Montanus cum asseclis suis defendebat. Si quis Romanæ Ecclesiæ addictus Martyrium hominis Protestantium cœtui adscripti exponeret, iisque phrasibus uteretur, quæ usurpari solent ab ipsis Protestantibus, nemo non colligeret, eum propenso fuisse in eum animo. Vir doctissimus quidem asserit phrases a Compilatore Martyrum horum usurpatas Orthodoxas esse. At ego postularem ab eo ut in quo orthodoxia illa sita sit exponat. Profecto ex asse conveniunt hæ locutiones cum iis opinionibus, quæ Montanistis familiares erant. Quod si non redoleant dicendi genus Montani, tales tamen sunt, quæ Fanaticis familiares sunt. Quantum autem differt *Fanaticismus* a *Montanismo* sciunt illi, quia utrorumque excusserunt Systemata.

„ deret, laniaretur, & carnes ejus inhærerent ferramentis. Et erat „ sub ipsa scala Draco cubans miræ magnitudinis, qui ascendentibus in„ fidias parabat, & exterrebat, ne ascenderent. Ascendit autem *Satu*„ *rus* prior, qui postea se propter nos ultro tradiderat, & tunc cum „ apprehensi sumus præsens non fuerat, & pervenit in caput scalæ, & „ convertit se ad me, & dixit mihi: *Perpetua* sustineo Te. Sed vide „ ne te mordeat Draco ille. Et dixi ego: Non me nocebit in nomi„ ne Domini Jesu Christi. Et de sub ipsa scala quasi timens me, lente „ elevavit caput, & cum primum gradum calcassem, calcavi illius ca„ put. Et ascendi, & vidi spatium horti immensum, & in medio „ horti sedentem hominem canum in habitu Pastoris grandem, oves „ mulgentem; & circumstantes candidatos millia multa. Et levavit „ caput, & adspexit me, & dixit mihi bene venisti tegnon, & cla„ mavit me, & de caseo, quod mulgebat, dedit mihi quasi buccellam, „ & ego accepi junctis manibus, & manducavi. Et universi circum„ stantes dixerunt Amen. Et ad sonum vocis exporrecta sum, com„ manducans adhuc dulcis nescio quid. Et retuli statim fratri meo, „ & intelleximus passionem esse futuram; & cæpimus nullam jam „ spem in seculo habere.

Sect. VII. & VIII. miram habuit hæc *Perpetua* visionem. Audi illam! „ Post Dies paucos cum universi oramus, subito, media ora„ tione, profecta est mihi vox, & nominavi *Dinocratem*, & obstupui „ quod nunquam mihi in mentem venisset, nisi tunc: & dolui com„ memorata casus ejus. Et cognovi me statim dignam esse, & pro „ eo petere debere. Et cæpi pro ipso orationem facere multum, & „ ingemiscere ad Dominum. Continuo ipsa nocte ostensum est mihi „ hoc in oromate: Video *Dinocratem* exeuntem de loco tenebroso, „ ubi & complures erant, æstuantem, & sitientem valde sordido vul„ tu, & colore pallido, & vulnus in facie ejus, quod cum moreretur „ habuit. Hic *Dinocrates* frater meus fuerat carnalis, annorum septem, „ qui per infirmitatem facie cancerata male obiit, ita ut mors ejus odio „ fuerit omnibus hominibus. Pro hoc ego orationem feceram, & in„ ter me, & illum grande erat diadema (*Holstenius* legendum putat „ Diastema) ita ut uterque ad invicem accedere non possemus. Erat „ deinde in ipso loco ubi *Dinocrates* erat, piscina plena aquæ, altiorem „ marginem habens, quam erat statura pueri, & extendebat se *Dino*„ *crates* quasi bibiturus. Ego dolebam, quod & piscina illa aquam ha„ bebat, & tamen propter altitudinem marginis bibiturus non esset.

Et

„ Et experrecta sum, & cognovi fratrem mecum laborare; sed confi-
„ debam profuturam orationem meam labori ejus, & orabam pro eo
„ omnibus diebus, quousque transivimus in carcerem castrensem. Mu-
„ nere enim castrensi eramus pugnaturi. Natale tunc *Getæ Cæsaris*, &
„ feci pro illo orationem die & nocte gemens & lachrymans, ut
„ mihi donaretur. Die autem quo in nervo mansimus, ostensum est
„ mihi hoc: Video locum illum quem videram tenebrosum esse, luci-
„ dum, & *Dinocratem* mundo corpore, bene vestitum, refrigerantem.
„ Et ubi erat vulnus video cicatricem; & piscinam illam, quam retro
„ videram summisso margine usque ad umbilicum pueri; & aquam de
„ ea trahebat sine cessatione, & super margine phiala erat plena aquæ;
„ & accessit *Dinocrates*, & de ea bibere cæpit, quæ phiala non deficie-
„ bat. Et satiatus abscessit de aqua, ludere more infantium gaudens, &
„ exporrecta sum. Tunc intellexi translatum eum esse de pœna.

Rursus Sect. X. *Perpetua* aliam, priore magis mirabilem habet visionem, quam ita narrat: „ pridie quam pugnaremus video in Oro-
„ mate huc venisse *Pomponium* Diaconum, ad ostium carceris, & pul-
„ sare vehementer; exivi ad eum, & aperui, qui erat vestitus distin-
„ ctam candidam habens multiplices calliculas, & dixit mihi: *Perpetua*
„ te expectamus, Veni. Et tenuit mihi manum, & cæpimus ire per
„ aspera loca & flexuosa. Vix tandem pervenimus anhelantes ad am-
„ phitheatrum, & induxit me in media arena, & dixit mihi; Noli pa-
„ vere, hic sum tecum, & conlaborabo tecum, & abiit. Et aspicio
„ populum ingentem attonitum. Et quia sciebam me ad bestias da-
„ tam esse, mirabar, quod non mihi mitterentur bestiæ. Et exivit
„ contra me quidam Ægyptius, fœdus specie, cum adjutoribus suis
„ pugnaturus mecum. Veniunt & ad me adolescentes decori, adju-
„ tores, & favitores mei, & exspoliata sum, & facta sum masculus.
„ Et cœperunt me favitores mei oleo defrigere, quomodo solent in
„ agonem, & illum contra Ægyptium video in Asa volutantem. Et
„ exivit vir quidam miræ magnitudinis, ut etiam excideret fastigium
„ Amphitheatri distinctam habens tunicam, & purpuram inter duos
„ clavos per medium pectus, habens & colliculas multiformes ex auro,
„ & argento factas, & ferens virgam tanquam lanista, & ramum vi-
„ ridem, in quo erant mala aurea, & petiit silentium & dixit: Hic
„ Ægyptius, si hanc vicerit, occidet illam gladio; & si hunc vicerit,
„ accipiet ramum istum, & recessit. Et accessimus ad invicem, & cæ-
„ pimus mittere pugnos. Ille mihi pedes apprehendere quærebat.

„ Ego autem illi calcibus faciem cædebam, & sublata sum in aëre, &
„ cæpi eum sic cædere, quasi terram concalcans. At ubi vidi moram
„ fieri, junxi manus, ita ut digitos in digitos mitterem. Et apprehen-
„ di illi caput, & cecidit in faciem, & calcavi illi caput. Et cœpit po-
„ pulus clamare, & favitores mei Psallere. Et accessi ad lanistam, &
„ accepi ramum; Et osculatus est me, & dixit mihi: Filia pax tecum.
„ Et cæpi ire cum gloria ad portam sanavivariam. Et experrecta sum,
„ & intellexi me non ad bestias, sed contra Diabolum esse pugnatu-
„ ram; sed sciebam mihi victoriam imminere. Hoc usque in pridie
„ muneris egi, ipsius autem muneris actum si quis voluerit, scribat.

Sequitur Visio *Saturi.* Sed & *Saturus* (ita Acta) benedictus hanc visionem suam edidit, quam ipse conscripsit: „ Passi, inquit, eramus,
„ & exivimus de carne, & cæpimus ferri a quatuor Angelis in Orien-
„ tem, quorum manus nos non tangebat. Ibamus autem non supini
„ sursum versi, sed quasi mollem clivum ascendentes. Et liberati, pri-
„ mam jam vidimus lucem immensam; & dixi: *Perpetua*, (erat enim
„ hæc in latere meo) hoc est quod Dominus nobis promittebat: per-
„ cepimus promissionem. Et dum gestamur ab ipsis quatuor Ange-
„ lis, factum est nobis spatium grande, quod tale fuit quasi viridarium,
„ arbores habens rosæ, & omne genus floris. Altitudo autem arbo-
„ rum erat in modum cypressi, quarum folia cadebant sine cessatione.
„ Ibi autem in viridario alii quatuor Angeli fuerunt clariores cæteris,
„ qui ubi viderunt nos, honorem nobis dederunt, & dixerunt cæteris
„ Angelis: Ecce sunt! Ecce sunt: cum admiratione. Et expavescen-
„ tes quatuor illi Angeli, qui gestabant nos, deposuerunt nos, & pe-
„ dibus nostris transivimus stadium via lata. Ibi invenimus *Secundum*,
„ & *Saturninum*, & *Artaxium*, qui eandem persecutionem passi vivi
„ arserunt; & *Quintum*, qui & ipse Martyr in carcere exierat; &
„ quærebamus ab illis, ubi essent cæteri. Dixerunt autem nobis An-
„ geli: Venite prius, introite, & salutate Dominum. Et venimus
„ prope locum, cujus loci parietes tales erant, quasi de luce ædificati;
„ & ante ostium loci illius quatuor Angeli stabant, qui introeuntes
„ vestierunt stolas Candidas. Et nos vestiti introivimus, & vidimus
„ lucem immensam, & audivimus vocem unitam dicentium: Agios,
„ agios, agios, sine cessatione. Et vidimus in medio loci illius seden-
„ tem, quasi hominem canum, niveos habentem capillos, & vultu ju-
„ venili, cujus pedes non vidimus. Et in dextra, & in sinistra senio-
„ res viginti quatuor, & post illos cæteri complures stabant. Introi-

„ vimus

„ vimus cum magna admiratione, & ſtetimus ante thronum, & qua-
„ tuor Angeli ſublevaverunt nos; & oſculati ſumus illum, & de ma-
„ nu ſua trajecit nobis in facie. Et cæteri ſeniores dixerunt nobis ſe-
„ niores: Ite & ludite. Et dixi: *Perpetua!* habes quod vis. Et dixit
„ mihi: Deo gratias, ut quomodo in carne hilaris fui, hilarior ſum &
„ hic modo. Et exivimus, & vidimus ante fores *Optatum* Epiſcopum
„ ad dextram, & *Aſpaſium* Presbyterum Doctorem ad ſiniſtram, ſe-
„ paratos, & triſtes, & miſerunt ſe ad pedes nobis, & dixerunt nobis:
„ componite inter nos, quia exiſtis, & ſic nos relinquitis. Et Dixi-
„ mus: Non tu es Papa noſter, & tu Presbyter, ut quid vos ad pedes
„ noſtros mittatis? & miſimus nos, & complexi illos ſumus. Et cæ-
„ pit *Perpetua* cum illis loqui, & ſegregavimus eos in viridario ſub ar-
„ bore roſæ. Et dum loquimur cum eis, dixerunt illis Angeli: ſinite
„ illos refrigerent, & ſi quas habetis inter vos diſſenſiones, dimittite
„ vobis invicem, & conturbaverunt eos. Et dixerunt *Optato:* cor-
„ rige plebem tuam; quia ſic ad Te conveniunt, quaſi de circo re-
„ deuntes, & de factionibus certantes. Et ſic nobis viſum eſt, quaſi
„ clauderent Portas. Et cæpimus illic multos fratres cognoſcere, ſed
„ & Martyres. Univerſi odore inennarrabili alebamur, qui nos ſatiabat,
„ tunc gaudens exporrectus ſum.

Hactenus *Viſiones*; ſequitur paſſio ipſa, de cujus circumſtantiis quædam adjiciemus. Sect. XVI. Actorum hujus paſſionis Anonymus ait, ſe quaſi mandatum fidei ſuæ a *Perpetua* commiſſum executurum, & hiſtoriam paſſionis deſcripturum. Sect. XVIII. ita loquitur: „ *Per-*
„ *petua* in Amphitheatrum producta pſallebat, caput jam Ægyptii cal-
„ cans. Sect. XIX. de Martyribus hiſce ait: ſi quando inter ſe de Mar-
„ tyrii voto ſermocinabantur, *Saturninus* quidem omnibus beſtiis velle
„ ſe abjici profitebatur; ut ſcilicet glorioſiorem geſtaret coronam.
„ Sect. XX. de *Perpetua* ait: jactata eſt, & concidit in lumbos, & ut
„ conſpexit tunicam a latere diſciſſam, ad velamentum femorum ad-
„ duxit, pudoris potius memor, quam doloris. Dehinc requiſita &
„ diſperſos capillos infibulavit. Non enim decebat Martyrem diſperſis
„ capillis pati, ne in ſua gloria plangere videretur. Ita ſurrexit & eli-
„ ſam *Felicitatem* cum vidiſſet, acceſſit, & manum ei tradidit, &
„ ſublevavit illam. Et ambæ pariter ſteterunt, & populi duritia de-
„ victa revocatæ ſunt in portam ſanavivariam. Illic *Perpetua* a quo-
„ dam tunc Catechumino, *Ruſtico* nomine, qui ei adhærebat, ſuſcepta,
„ & quaſi a ſomno expergita (adeo in ſpiritu & in exſtaſi erat) circum

„ ſpicere

„ſpicere cœpit, & ſtupentibus omnibus ait: *quando*, inquit, *produci-*
„*mur ad vaccam illam neſcio.* Et cum audiſſet quod jam evenerat,
„non prius credidit, niſi quasdam notas vexationis in corpore & ha-
„bitu ſuo recognoviſſet, & illum Catechuminum. Sect. XXI. de
„*Perpetua* ait Anonymus: Cæteri quidem immobiles, & cum ſilentio
„ferrum receperunt; multo magis *Saturus*, qui & prior ſcalam aſcen-
„derat, prior reddidit ſpiritum, nam & *Perpetuam* ſuſtinebat. *Perpe-*
„*tua* autem, ut aliquid doloris guſtaret, inter coſtas punĉta exulula-
„vit, & errantem dextram Tirunculi gladiatoris ipſa in jugulum ſuum
„poſuit. Fortaſſe tanta fæmina aliter non potuiſſet occidi, quia ab im-
„mundo ſpiritu timebatur, niſi ipſa voluiſſet. Hactenus Martyrii il-
„lius Collector.

Juvat ad hactenus dicta quædam annotare. Et (1.) quidem nemo miretur, ſi de viſionibus hactenus recenſitis dubitemus. Dubitarunt de iis, viri me longe acutiores & Doctiores. Cl. Jac. *Basnage*, acerrimus Religionis chriſtianæ in cæteris defenſor, *Perpetuam* inter *fanaticas mulieres* referre nullus dubitavit. Nil virtutibus Martyrum illorum detractum volumus. Laudamus ſingularem eorum in ferendis malis conſtantiam, atque fiduciam, quam in Deo habuerunt. At non propterea cuncta, quæ dixerunt, & fecerunt ſine examine admittenda cenſemus. Quod ſi quis putet, extraordinarias, atque divinas Martyribus hiſce contigiſſe revelationes, eum ſuo judicio frui lubentes, & æquo animo ferimus. Cur ſecus ſentiamus, non levibus, ut putamus, adducimur rationibus, ſive ad auctorem horum Actorum reſpiciamus, ſive ad viſiones ipſas. Quod (2.) ad Auctorem ipſum attinet, non contemnendis rationibus probavit *J. Basnage*, Eum *Montani* ſectæ fuiſſe addictum. Rationes legantur apud ipſum Tom. 2. pag. 1062. *Hiſtoire de l'Egliſe.* Si quis autem putet, rationes a Viro Docto allatas, non omni eſſe exceptione majores, certum tamen eſt, multa in hac ipſa narratione ſupinæ credulitatis reperiri veſtigia. Nihil jam dicam (quod ex præfatione, Actis præmiſſa, ſatis conſtat) hominem id omnibus viribus agere, ut perſuadeat, miracula & viſiones ſua adhuc, id eſt A. CCII. ætate, contingere poſſe, de qua re tamen cur tam anxie laborarit, nemo cauſam videt. Præterea multa his Martyribus tribuit, quæ ſunt a veriſimilitudine aliena. Qualia ſunt: (a) quod *Perpetua* illa paucis diebus antequam eſſet in carcerem conjecta, ſancto baptiſmatis lavacro fuerit tincta, & familiari tamen Dei commercio uſa. Si hoc unum vellet, fæminam illam piam, Deum ſincero

amore

amore fuisse complexam, atque precibus etiam jugiter ad Deum fusis, auxilium ejus imploravisse, nil esset, quod non lubentissime crederemus. At Deum perpetuas visiones concessurum fœminæ, nondum satis Religionis christianæ Decreta edoctæ, vix admitti potest. Solet Deus capacitati mentium sese accommodare, neque plura, quam ferre possunt ingenia humana, deposcere. Pius adfectus, cum scientia rerum ad salutem cognitu necessariarum conjunctus, sufficiebat ad animum in adversis sustentandum, & contra pericula muniendum. At quomodo fœmina, quæ nondum satis indolem naturamque Religionis christianæ perceperat, merum insomnium a visione extraordinaria distinguere potuisset, difficile dictu est. (*b*) pag. 95. Actorum asseritur: *Perpetuam* habita visione, de accepta particula casei, somno experrectam, *commanducasse adhuc nescio quid dulcis.* Ad hæc verba *Holstenius*, *Possinus*, & *Ruinartus* harum visionum acerrimi defensores silent. Manifestum autem est, aut *Perpetuam* deceptam, aut Collectorem horum Actorum data opera mentitum fuisse. Si enim per veram visionem somnianti hæc contigerunt, qua ratione tandem somno exporrecta manducasse aliquid dici potest? an non inde constat, eam veræ visionis naturam atque indolem non habuisse perspectam? nisi forte dicas (quod tamen ineptum esset) revera a Christo particulam casei ei fuisse datam, quod quid ad animum contra pericula ingruentia muniendum conferre potuisset, haud videmus. Hæc mihi in mentem revocant ea, quæ olim *Bremæ*, cum muliere paralytica acta sunt, quamque ipse conspexeram, & de visionis oblatæ natura interrogaveram. (*) (*c*) Refert Collector *Saturninum* omnibus votis expetiisse, ut

(*) Vide Cl. *Hasæi* τῦ μακαρίτυ *relationem Historicam de mirabili quadam sanatione mulieris, quæ mense Febr. 1719. in ptochotrophio Bremensi contigit.* Extat illa *Bibl. Brem. Tom. 2. fasc. 4.* Rei novitate inductus ipsam, dum heic loci studiis vacaveram, conveni mulierem. Hæc tanto oris vultusque constantia singula narraverat, ut multos etiam doctos viros in eam adduxerit sententiam, ut crederent, miraculum hic obtigisse. *Ivo* certe *Gaukes*, *Medicus Embdanus*, mathematicis argumentis, at mea opinione ridicule, voluit probare, per ordinarias naturæ leges, ea, quæ sibi evenisse narraverat mulier, fieri non potuisse. Quædam autem in hac historia sunt, quæ iis, quæ *Perpetuæ* contigerunt plane sunt similia. Audi, uti rem Cl. *Hasæus* ex ipsius uxoris ore hausiam exponit: *Refert autem* (ita ὁ Μακαρίτης) *cum in lecto jam per aliquot horas jacuisset, frustraque mulcentem pectora somnum exspectasset, sibi visum esse, dextram suam a quodam esse prehensam; oculos itaque cum sustulisset, videt omnia circa lectum clara collustrari luce, & simul hominem candidum instar nivis oculisque præditum scintillantibus, & instar ardentis facis lucentibus, his verbis se colloquentem: cape atque comede, ita convalescies (nihm hin und iss, so wirst du gesund werden,) tum ori suo offulam inferentem, habentem amyg-*

ut cunctis promiscue bestiis dilaniandus objiceretur. Hæc certe ad laudem Martyris hujus ebuccinandam non attulisset Collector, si Religionis christianæ accuratam habuisset notitiam. (*d*) Narrat insuper, *Perpetuam* a vacca hinc inde Jactatam, dispersos capillos infibulasse, ne scilicet, ut addit, in sua gloria plangere videretur. Num credibile est, piam fœminam, in ipso passionis æstu constitutam, de legendis capillis solicitam fuisse, aut credidisse capillis non rite dispositis, gloriæ suæ aliquid decessurum? magis incredibile, *Perpetuam* a vacca diu jactatam, & vulneratam, quasi altissimo somno sopitam, non solum nullum doloris sensum habuisse, sed & ignorasse hactenus, quod a vacca fuerit infestata. Non equidem dubito, quin Deus inter exquisitissima tormenta solatium piis animabus adferre possit, & soleat; at easdem nullum plane inter tormenta dolorem sentire, aut plane se torqueri nescire, difficile creditu est. (*e*) Ad finem narrationis suæ refert Collector, credibile esse, mulierem alia ratione occidi non potuisse, quam qua id factum est. Ex quibus inepta hominis credulitas apparet. Ipsa *Perpetua* se bestiis primo objectum iri, & ita vitam suam miseram profusuram existimavit, quid ergo tandem obstitisset, quo minus Deo ita dispensante interiret? nimirum quia ab immundo spiritu timebatur, nonnisi adacto in Jugulum gladio occidi poterat. Egregia ratio! (*f*) De eadem *Perpetua* ad finem ait, eam, ut aliquid doloris gustaret, errantem dextram Tirunculi gladiatoris in jugulum suum

amygdali magnitudinem, sapientem autem mel. Quam cum ore conaretur eximere, deprehendit, jam liquefactam distluxisse. Tum postquam rursus hæc audivisset verba: ora, spera, neque animum abjice. Omnia una cum lumine evanuisse. Alia occasione, ut idem refert *Hasæus*, per somnum eadem mulier visa est hanc vocem haurire auribus: *Evigila, quæ dormis & surge e morte, ut Christus tibi illucescat.* Quæ autem fuerit ultima hujus fabulæ scena, una cum ἐπικρίσει Clarissimi hujus, nobisque, dum viveret, faventissimi Theologi, heic adjiciam. *Nunc autem* (ita loquitur ejusdem Bibl Brem. Class. V. fasc. II. pag. 386. ὁ Μακαριτης) *indicandum tibi est, illam, postea quam iisdem pæne malis, quibus antea vexata fuit, denuo afflicta est, tandem dolorum impatientia inductam, noctem, quæ diem XIX. Maji antegressa est, e fenestra, qua in præterlabentem Visurgim prospicitur, semet ipsam dedisse præcipitem, & sic ivisse per iter tenebricosum illuc, unde negant redire quemquam. Hoc a me non negligi oportuit, ut videas, sententiam meam non parum accepisse roboris, quam vice plus simplici declaravi, non extraordinario cuidam miraculo, sed naturæ operationi, licet rariori atque obscuriori, quicquid illi contigit attribuendum esse. Attendant hæc illi, qui ea, quorum causas ignorant, actutum inter prodigia referunt, & caveant malesani sui cerebri phantasmata, somniaque, tanquam divinitus objectas visiones venditare.* Utinam *temporibus pristinis ejuscemodi historiolæ ita discussæ, atque lance sanioris sapientiæ ponderatæ fuissent. Quantillum fore putamus numerum miraculorum, quæ sanctulis suis tenebricosa illa atque infecta ætas affricuit.* Ita Celebris ille Theologus.

suum posuisse. Si spectator ipse fuit Anonymus, unde novit tandem nullo sensu doloris ante tactam fuisse piam fœminam? cur laudat, quod laudari certe non oportet? exspectare debuisset cum animi constantia fatalem ictum; non vero instar rabidæ gladium jugulo admovere. Hinc judicari potest, quid de *Holstenii* nota ad h. locum sentiendum sit, dicentis: *Id furore, ac rabie faciebant gladiatores, quod S. Perpetua pie, ac generose, instinctu Divino, fecit.* (*)

(3.) Si animum convertamus ad visiones ipsas, nil in illis reperiemus, mea quidem opinione, quod juxta consuetum naturæ ordinem his Martyribus in somno contigere non potuerit, quodque adeo nos cogat, ut dicamus, Deum per Miraculum ingessisse has visiones. Earum summa huc redit: *Christianos in carcerem conjectos, siquidem Religionem christianam abnegaturi non essent, mortem perpessuros, sed ob constantem veritatis confessionem singularem in cœlo gloriam deportaturos.* Hæc credere poterant homines illi, sine visionibus. Neque credibile est, eos nomen Religioni christanæ unquam daturos fuisse, nisi de ingenti præmio, & felicitate futuræ vitæ fuissent persuasissimi. Atqui, uti sæpe monuimus, sine causa Deus miracula profundere non solet. Sed & (2.) alia accedunt in his visionibus, quæ probare possunt, merum insomnium fuisse, non extraordinariam revelationem. Adsertit *Perpetua*, ut supra audivimus, se fratrem septennem demortuum precibus e limbo, vel purgatorio, vel si mavis, ipso inferno liberasse; quæ opinio, licet antiqua, falsa est, & S. Literis contraria; neque

(*) *Illustris Pearsonius Vindic. Ignat. Part. II. Cap. IX.* Hanc ipsam *Perpetuæ* actionem non solum laudat, sed & aliorum primitivæ Ecclesiæ Martyrum Exemplo, suam sententiam confirmare vult. At nil agunt exempla, quæ litem lite resolvunt. Aliud est dicere; Inusitatas ejusmodi Martyrum actiones non esse exagitandas, sed ob pietatem, Zelumque pro gloria Dei, quo incensi erant, benigne interpretandas. Aliud vero asserere; has ipsas heroicas, si ita velis adpellare, virtutes in exemplum, quod singuli fideles tempore persecutionum sequantur, esse ponendas, & laudandas. Postremum hoc adsertum duntaxat negamus, & principia, quibus sententia nostra innititur, in prima Exercitationis hujus parte Sect. VI. & VII adduximus. Ex ingenti Exemplorum numero, ad quæ provocat loco cit. *Illustr. Pearsonius*, eaque laudat, unum duntaxat adducam. *Celebre* (utor verbis ipsius *Pearsonii*) *inprimis fuit nomen Phocæ Martyris, qui cum lictores forte hospitio excepisset, qui narrabant missos se ad interficiendum Phocam, promisit die crastino se Phocam illis ostensurum, & loco ad sepulturam prius præparato astans eis dixit. Ego ille Phocas. Illi cum jam hæsitarent, animos eis, ut ipsum interficerent, exhortatione addebat,* ἐιπεν, ἐπειθεν, ἐπαθεν, και την κεφαλην ἀποτμηθεις ἱερειον τῶ Θεῶ κεχαρισμενον προσηχθη, *dixit, persuasit, passus est, ac capite truncatus grata Deo hostia oblatus est.* Ita *Pearsonius*. Utrum autem hæc actio tantopere sit laudanda, judicium sit penes Doctos, & pios Lectores.

adeo illi per visionem obtingere potuit. Probe hoc viderunt Viri Docti, qui examinarunt hanc doctrinam. *Ruinartus* vero, & *Holstenius* maxime sibi plaudunt, quoniam decreta Ecclesiæ suæ hic confirmari putant. *Prior* ait Actor. pag. 96. *Egregius locus, ad probandum, mortuos posse a pœnis, quas patiuntur, per vivorum preces liberari. Posterior* in notis ad hanc passionem pag. 112. exclamat: *En animam a purgatoriis flammis liberatam divina Revelatione Perpetua intelligit!* Ut nil de *Possini* inepta glossa dicam, vide quid contra hanc visionem monuerit *Basnagius* uterque, & *J. Clericus Bibl. Select.* Tom. 26. pag. 221. *J. Basnage* recensitis visionibus de locis tenebricosis mox vero lucidis, de piscina, & lusu pueri ait: *Je ne saurois raisonner sérieusement sur des pareilles visions; je ne sai si c'est l'enfer qu'on nous depeint proche d'une grande piscine comme celui des fables payennes; je ne sais si c'est le Paradis qu'on nous represente, ou les enfans vont joüer à leur maniere, lors qu'ils ont assé bû. Il me semble que des Martyrs devroient parler plus sérieusement, & plus nettement: une chose est évidente, que cette femme ne croyoit point que le sort des ames fût certain immédiatement après la mort, puis qu'on pouvoit sortir des enfers, & cela s'accorde assez avec les principes de Tertullien Montaniste.* Lege reliquas *Doctissimi hujus Viri* de his visionibus meditationes, & persuasum erit tibi, ejusmodi visioni multum tribui haud posse. (3.) Parum sibi constat *Perpetua* in narratione visionis suæ. pag. 97. ait: *Sciebam me ad bestias datam esse* pag. vero 98. adserit: *experrecta sum, & intellexi me non ad bestias, sed contra Diabolum esse pugnaturam.* At unde intellexit somno excitata Ægyptium illum Dæmonem esse? num nova accessit visio? dein certum est, quod cum vacca, id est bestia, pugnarit, quod tamen jam negaverat. Cum Dæmone autem non pugnavit. Collector Anonymus tanquam Interpres visionis ait: eam caput Ægyptii calcasse, quia psallebat. At num hymnos canere, idem est, ac cum Dæmone pugnare? Si vero cum Dæmone pugnare nihil aliud est, quam fortiter pro Religionis christianæ veritate stare, quem in finem tandem Ægyptius vir in visione repræsentatus? In visione mox vidit se cum bestiis pugnaturam, mox cum Dæmone; at mortis genus, quod sibi conscíverat, revelatum non fuit. Et quid sibi vult tandem fœmina illa pia, quando dicit, se *masculum* factam? *Possinus* ad h. l. ait, *significare hoc quod instar pugilis fortiter dimicarit;* idem adserit *Augustinus* Lib. 2. *de origine animæ* ad *vincentium* cap. 18. At alii, non minus eruditi visionum Interpretes rem aliter explicant. *Basnagius* jam jam citatus ita de hac re

loqui-

loquitur: *N'eſt on pas bien édifié de la lecture de ces Actes, tant vantés, & de voir une femme chrêtienne, qui devient garçon, qui ſe debat à coups de poins, qui écraſe la tête d'Egyptien en la prennant entre ſes mains? On voit la les viſions, & les extaſes des Montaniſtes, qui decouvroient tout pendant le ſommeil; l'homme dort, & je veille, diſoit Montan; c'eſt Dieu qui change le cœur des hommes en extaſe. On reprochoit à un Montaniſte, qu'ils tomboient dans des extaſes ridicules, & qui ne convenoient pas à des Prophetes, & c'étoit pour ce juſtifier, qu'ils diſoient, que Dieu avoit fait tomber un ſommeil & une extaſe ſur Adam: Ces mêmes extaſes ſe voyent dans le ſommeil de Perpetue, le ridicule n'y manque pas, puis qu'elle y changeoit le ſexe qu'elle y devenoit un mâle, & que de jeunes garçons venoit la frotter d'huile.* Denique neſcio utrum viſione opus fuerit, ad monendum *Optatum* Epiſcopum, de corrigenda plebe factiones alente. Atque hæc mihi ſufficere videntur, ad viſiones haſce, in numerum *ſuſpectarum Revelationum* referendas.

X. *Perpetuam*, atque ſocios apud *Ruinartum* excipit *Exuperius*, *Epiſcopus Toloſanus*, qui occaſione mortis *Sarturnini*, ejusdem loci Epiſcopi, *viſionem* habuit ſequentem. *Poſt cujus* (id eſt Silvii) ut Acta hæc *ſincera* habent, *obitum, ſanctus Exuperius in ſummum ſacerdotium cooptatus, vir absque ullius Præceſſorum injuria, absque ullius, qui id temporis Eccleſias regere videbantur, invidia, non ſolum nulli ſecundus; verum etiam ipſi Beato Martyri virtutum meritis comparandus, Baſilicam, quam deceſſor ſuus fideliter inchoaverat, inſtantiſſime conſummavit, & fideliter dedicavit. Qui, cum transferre illuc ſancti Martyris reliquias, non pro ſua incredulitate, ſed pro ſuo ipſius honore dubitaret, admonitus per quietem eſt, ne infideliter negligeret, quod fideliter credidiſſet, nullam fieri vel diminutione cinerum, vel commotione membrorum ſpiritibus injuriam. quia manifeſta res eſſet, hoc Martyribus proficere ad honorem, quod profuiſſet credentibus ad ſalutem.* Ita *Compilator*. Non opus eſt, ut de viſionibus ejusmodi pluribus agamus. Aut Impoſtores aut ſuperſtitione anili dementati homines fuerunt, qui per viſiones a Deo ingeſtas factum eſſe dixerunt, ut Reliquiæ Sanctorum huc illuc transferrentur. Res hodie notior eſt, quam ut pluribus probetur. Paſſio hæc circa Annum 250 ſecundum *Ruinartum* contigiſſe dicitur. Ipſe vero de translatione hac cæteris Monachis modeſtior, in Admonitione ita loquitur: *Quæ vero de ejusdem Martyris translatione in iisdem Actis referuntur, videntur eſſe priori narrationi adſuta circa ſeculi quinti initium.* Nimirum ante jam, fraude, atque malitia, id eſt ementitis viſionibus, &

miraculis, sacerdotes, & Monachi reliquiis, cum rationibus non possent, decus, atque honorem conciliare voluerunt. *L'Esprit de vision* (ita loquitur *J. Basnage Hist. de l'Eglise pag. 1152. seq. Tom. II*) *& des miracles, ne contribua pas peu à donner cours à la veneration des Reliques, & des Martyrs. D'un côté les hommes courent après le miraculeux dont ils sont amoureux jusqu'à l'excès; & de l'autre il est presque impossible de ne porter pas son respect au dela des justes bornes, pour les Instrumens, qui operent les miracles. La decouverte des Reliques se faisoit le moyen de quelque Revelation, & s'établissoit par une suite des miracles. Au lieu d'imiter la sagesse de Dieu, qui ne met point à tous momens sa Toutepuissance en compromis, & qui la rendoit mepriſable, s'il accoutumoit les hommes à la voir se deployer, pour des legers sujets, & pour travailler à la gloire ou satisfaire toutes les fantaisies de la creature, il n'y a rien dont on ait fait une plus large profusion que des miracles. On les debite avec la même facilité, que Dieu les produiroit, si des miracles si frequens s'accordoient avec sa sagesse. Par malheur, il se glisse jusques dans la devotion sincere un trait d'amour propre, qui porte les gens de bien à croire non seulement que Dieu s'interesse dans une Religion qu'il aime avec ardeur, mais qu'il doit entrer dans leur vûes, & dans leur pensées, pour en relever l'eclat & la gloire de l'Eglise. Si ceux, qui aiment Dieu sincerement tombent dans ce defaut que doit on penser du superstitieux? Non seulement il s'imagine que Dieu aime la Religion & l'Eglise, & qu'il s'interesse dans ses devotions particulieres, mais qu'il ne manque presque jamais à les authoriser par quelque evenement miraculeux, qui fasse honte à ceux, qui le raillent, ou qui le mepriſent. Ou plutôt comme les devotions volontaires, la veneration, & le culte des Saints ne peuvent s'établir par l'Ecriture, qui les combat directement, & que d'ailleurs on n'a point de preuve tirée de la raison & du bon sens, qui puisse montrer qu'un corp mort, & des os sont dignes du veneration, on est forcé d'avoir recours aux miracles, & de faire voir Dieu, qui parle, & qui enseigne au-delà de ses Ecritures, & qui viole toutes les loix naturelles, afin d'autoriser une devotion differente de celle, que le bon sens dicte, & qu'il a lui même établie dans sa Parole.* Ita ex vero, *doctus ille vir.* Hæc de reliquiis, visionibus confirmatis, semel dicta sufficiant; neque in sequentibus, tempus pretiosum examine visionum, ad Reliquias commendandas factarum, inutiliter fallemus.

Eadem circiter ætate nimirum circa medium tertii seculi, *Narcisso*, atque *Alexandro*, Episcopis Hierosolymitanis visiones obtigisse narrat

narrat ex *Eusebii Hist. Eccles. Lib. VI. Cap. X. Ruinartus.* Historia, vel potius fabula, mea opinione, ita sonat, juxta versionem *Valesii*, apud *Eusebium: Verum cum propter extremam senectutem ministerium suum* (nimirum *Narcissus*) *obire amplius non posset, supra dictum Alexandrum, alterius Ecclesiæ Episcopum divina dispensatio, per Revelationem quandam, quæ illi in somnis apparuerat, ad participandum cum Narcisso, sacerdotis officium evocavit. Hac igitur Visione tanquam divino admonitus oraculo Alexander, cum ex Cappadocia, in qua primum Episcopus fuerat ordinatus, Hierosolyma profectus fuisset, tum orandi, tum locorum visendorum gratia, fratres illius Ecclesiæ humanissime eum excipientes reverti post hæc in patriam non siverunt. Alia quippe revelatio etiam ipsis per somnum visa fuerat, & vox quædam evidentissima ab iis, qui sanctitate inter eos eminebant, audita; significavit enim ipsis, ut extra portas civitatis egressi, destinatum sibi à Deo Episcopum susciperent. Quod cum illi consentientibus Vicinarum Ecclesiarum Episcopis fecissent, manere deinceps eum apud se coëgerunt. Ruffinus* vero *Hist. Lib. VI. Cap. 8.* rem ita narrat, ut mirabilis magis Lectori videatur. Postquam enim monuisset *Alexandrum* Jerosolymam perveniisse, hæc subjungit: *Ostendebatur enim evidenter à Domino, non solum ipsi beato Viro Narcisso, sed & aliis plurimis per Revelationes in plebe, ut ipsum in loco Sancto Episcopum detinerent. Præterea, quod supra cætera omnia magis terrificum fuit, eo die, quo ingressurus Urbem Alexander nuntiatus est, & multitudo fratrum plurima extra portas in occursum ejus egressa est; Vox cœlitus manifestissime audientibus omnibus facta est:* Suscipite Episcopum, qui vobis a Deo destinatus est. *Cumque ex his omnibus evidenter apud eos fuisset Dei dispensatio declarata, Episcopi Urbium vicinarum, compertis omnibus, quibus de eo res geri Dei judicio docebatur, residere ibi Eum necessario compulerunt.* De hisce sequentia monemus: (1) *Narcissum*, atque *Alexandrum*, fuisse viros pietate, & virtutibus aliis florentes non dubitamus; at propterea non omnia, quæ de iis narrantur admittenda esse putamus. (2.) *Eusebius* Cap. IX. hujus libri ait: Πολλα μεν ἐν χῃ ἀλλα παραδοξα ὑπ της παροικιας πολιται ὡς ἐκ παραδοσεως των Κατα διαδοχην ἀδελφων τὸ Ναρκισσε μνημονευσιν. i. e. *De hoc Narcisso multa quidem alia stupenda commemorant civitatis illius incolæ, a fidelibus continua successione velut per manus sibi tradita.* En fontem, atque originem miraculorum unde suam narrationem hauserat *Eusebius!* nimirum Incolæ multa de suo Episcopo, quem maximi fecerant, passim narrarunt, atque hæc, ut fieri solet traditione cuncta adaugente, postea multiplicata. Atque

eo

eo refero miraculum, cujus ſtatim injicit mentionem *Euſebius*, nimirum mutatæ per miraculum aquæ in oleum. (3.) Quæ hoc ipſo capite nono referuntur de *Narciſſo*, probant, non omnes actiones ejusmodi hominum eſſe imitandas. Poſtquam enim dixiſſet, malos quosdam homines ſcelerum ſibi conſcios, graviſſimam illi calumniam adſperſiſſe, atque vel juramentis, mendaciis fidem facere voluiſſe; ſic pergit; *Sed quantumvis jurantibus nemo ex fidelium numero fidem adhibebat, quippe cum Narciſſi continentiâ, & ſanctitas vitæ omnibus virtutum numeris abſolutæ, cunctis ſemper ſpectata compertaque eſſet. At ille cum dictorum infamiam ſuſtinere non poſſet, & alioqui philoſophicæ vitæ amore jam dum teneretur, relicta Eccleſiæ plebe in ſolitudine, ac deviis agris plurimos annos delituit.* An non rectius feciſſet Epiſcopus, ſi curam Eccleſiæ ſuæ geſſiſſet, vitæque integritate Calumnias diluiſſet, præſertim poſtquam animadverterat, neminem calumniis, contra ipſum ſparſis, fidem habere? Idem dixerim de *Alexandro* ipſo, qui *Flaviadis* in Cappadocia Epiſcopus cum orandi, tum locorum viſendorum gratia, Hieroſolymam contendit. Præſtitiſſet, ſi domi apud gregem manſiſſet, atque ibi oraſſet. Videntur jam tum ſuperſtitioſo quodam amore terræ ſanctæ capti fuiſſe multi Epiſcoporum. (4.) Quod ad viſiones ipſas attinet, *Narciſſo*, *Alexandro*, & aliis factas, mihi veroſimiles non videntur, non tantum quod *Euſebius* traditione duntaxat nitatur; Sed ob rem ipſam. Nimirum ſine extraordinaria viſione potuiſſent fratres *Narciſſo*, propter ætatem miniſterium ſuum non amplius obire valenti, alium ſurrogare. Poſtquam in deſerta loca fugiſſet, finitimi Epiſcopi, teſte *Euſebio* Cap. X. *Dium* in ejus locum, poſtea *Germanionem*, & denique *Cordium* ſubſtituerunt; quidni tandem & nunc idem facere potuiſſent ſine revelatione? Accedit quod ipſe *Euſebius* teſtetur Lib. VI. Cap. 8. *Alexandrum* ob inſignem fidei confeſſionem celebrem fuiſſe. An non hoc ſatis, ſuperque cauſæ erat, cur fratres Hieroſolymitani eum rogaſſent, ut relicta ſede ſua Epiſcopatum Hieroſolymitanum acciperet? Magis mirum, *Euſebium* citato loco totidem verbis dicere, *Eum ob inſignem fidei Chriſtianæ confeſſionem ad ſupra dictum Epiſcopatum promotum fuiſſe*, nulla mentione facta Revelationum. Hinc ſatis conſtat, quid de *Valeſii* judicio ſentiendum ſit, cui ad l. hunc magis arridet *Ruffini*, quam *Euſebii* narratio. Nimirum prior miracula miraculis auxit. (5.) Si circumſpicio, quæ cauſæ fuerint, cur viſiones illæ fuerint excogitatæ, duas reperio. *Prior* eſt Celebritas Nominis *Narciſſi* & *Alexandri*, de quibus, ut ſupra audivimus, Incolæ locorum

corum multa mira narrarunt, inter quæ & hæc referenda esse videntur, quæ examini hactenus subjecimus. *Posterior:* quod hanc Electionem contra Canones Ecclesiasticos factam, visionibus Divinis defendere voluerunt auctores narrationis. Duo (verba sunt *Ruinarti* post *Valesium* ita dicentis) *adversus Ecclesiasticas regulas commissa sunt: primum quod Alexander ex una sede ad alteram fuerit translatus; secundum vero, quod Episcopo adhuc in vivis agenti substitutus, aut saltem adjunctus fuerit: cujus quidem facti nullum Exemplum in Ecclesia tunc temporis præcesserat. Ad quod proinde Episcoporum coadjutorum, qui jam nunc frequentiores sunt, origo refertur.* Cum autem sequenti ætate frequentissime contra canones illos peccatum esset, sine dubio rem, quorum intererat, miraculis confirmare voluerunt. Quicquid autem de causis hujus narrationis sit, nil plane nos cogit, ut Deum per miraculum heic interceſſisse credamus.

Narrationi de rebus gestis *Alexandri* & *Narcissi* subjungit *Ruinartus* Acta Martyrii *S. Pionii*. Quo tempore is Martyrium obierit, haud adeo constat. *Petavius*, *Scaliger*, & *Pearsonius*, *M. Aurelii*: *Baronius* vero, *Ussherius*, & *H. Valesius*, *Decii* ætate id contigisse existimant, quibus postremis suum calculum adjicit ipse *Ruinartus*. Hic *Pionius* etiam visionem habuisse dicitur. Rem ita narrant Actorum Collectores: *Secundo die sexti mensis, qui dies est quarto idas Martias, die Sabbathi majore, Natale Polycarpi Martyris celebrantes genuinum, Pionium, Sabinam, Asclepiadem, Macedonium quoque, & Lemnum Presbyterum vis persecutionis invenit. Sed quia bonæ fidei, totum Dominus ostendit, Pionius quæ imminebant supplicia, quia non timebat advenientia, futura prævidit. Ergo ante diem, quam natalis Polycarpi Martyris adveniret, cum Sabina & Asclepiade dum jejuniis devotus insisteret, vidit in somnis sequenti die se esse capiendum. Quæ cum aperte & dubitanter agnosceret, eo quod tam lucide omnia visus appareret, funis vinculo, suæ & Sabinæ & Asclepiadis colla circumdedit. Ut cum ab illaturis vincula victi invenirentur, scirent, qui venerant, nihil se novi esse facturos, intelligerentque, non eos, sicut cæteros, qui deguſtabant sacrificia, esse ducendos, cum essent vincula, prius quam juberentur imposita, & fidei testimonium & voluntatis indicium.* Ita Acta. At multa sunt in his Actis, quæ fidem faciunt a superstitiosis, & impostoribus adulteratam esse rerum gestarum historiam. *Primo* enim fatetur *Ruinartus*, *Pionii* Acta hactenus recepta, a *Simeone Metaphraste* primum fuisse edita, cui fabulatori nemo sanus fidem habet (2.) fatetur idem, Acta sua cum *Bollandianis*

tandianis ex *Metaphraſte* petitis, per omnia non convenire, verſionem vero antiquiſſimam, quam ſecutus ſit, *videri* ante *Metaphraſtæ* ætatem factam. (3.) *Pionii* oratio ad Gentiles, & Judæos habita, non Martyris, ſed græculi inepte rethoricantis ſermo eſſe videtur. (4.) Quam ſincera ſint illa Acta *Ruinarti*, docent quæ Sect. XXII. adjecta ſunt. Audi & ſinceritatem hominis, vel potius mentiendi impudentiam mirare. *Hæc paſſio fuit Viri, cujus vita incorrupta ſemper, & libera, omnique culpa vacua; pura ſimplicitas, fides pertinax, innocentia perſeverans; cujus pectus vitia excluſit, quia Deo patuit. Ita ille per tenebras feſtinavit ad lucem, & per anguſtam gradiens portam ad plena, & ſpatioſa properavit. Coronæ quoque ejus Deus Omnipotens oſtendit indicium. Subito namque illi, quos illuc aut miſericordia, aut videndi cura conduxerat, tale Pionii corpus viderunt, ut addita ſibi membra poſſent credi. Habebat erectas aures, meliores crines, barbam florentem atque ita erat omni membrorum mole compoſitus, ut Juvenis crederetur. Et corpus poſt ignem quaſi in minorem ætatem redactum oſtenderet, & illius meritum & reſurrectionis Exemplum. Mira præterea gratia de vultu ejus arriſit, & multa Angelici decoris ſigna fulſerant, adeo ut Chriſtianis fiducia, metus gentibus adderetur.* Quis ſanæ mentis huic fabulæ fidem habebit? *Capillos quidem* (utor verbis *S. Basnagii* ad A. Ch. 250.) *trium Martyrum in fornace Babylonica, Deus vi ſua potentiſſima tutos fecit ab incendio. At eo miraculo, & Martyrum vita ſervata eſt, & Rex magnus eo adductus, ut Regem Regum adoratione proſequeretur, veræque Religioni, quam maledictis inſectabatur ſe Patronum diceret. Ut vero in defuncti corpore id miraculi Chriſtus patraret, quo barba ab igne violentiſſimo ne minimum violaretur credere non poſſumus.* Plures ex temporis circumſtantia petitas rationes adfert Idem Vir doctus, quibus probatur hæc Acta fraudis eſſe ſuſpecta. (5.) *Euſebius* Lib. IV. Cap. 15. *Pionii*, virtutumque, quibus eluxerat, mentionem faciens, altum de viſionibus & miraculis poſt mortem ſilet. (6.) Viſio ipſa ita comparata eſt, ut nulli ſanæ mentis homini facile perſuaderi poſſit, Deum ejus auctorem eſſe. *Pionius*, uti acta teſtantur, erat vir pius, intrepidus, imo prævidiſſe dicitur ingruentia mala. Quæ cauſa ergo erat, ut Deus per miraculum eum edoceret, fore ut capiatur? Nec ſcio cur funem collo ſuo, & *Sabinæ* adpoſuerit: nimirum ait, ut ſcirent, qui eum capturi eſſent, ſe nihil novi facturos. At homines certe illi nil aliud credere poterant viſo fune collo circumjecto, quam *Pionium* vel violentas ſibi voluiſſe inferre manus, vel emotæ mentis eſſe. Num funis ille collo injectus fidei teſtimonium exhibere potuit? nugæ!

XI. Sed

XI. Sed veniamus ad Celeberrimum Ecclesiæ Doctorem, atque Martyrem, *Cæc. Cyprianum*, Episcopum Carthaginiensem. Huic multas numero visiones contigisse communis est sententia. Quam vere data opera, & sine studio partium dispiciemus. Addubitasse de multis *H. Witsium* modestissimum Theologum, supra audivimus; Eum sequitur Celeberrimus *Clericus* in vita *Cypriani* nostri, gallice scripta: Imo vel ipse *Episcopus Fellus*, Oxoniensis Editionis Editor, Patrum acris defensor, quibusdam in locis haud obscure fatetur, se promiscue omnes non admittere. Contra vero Doctissimus *Dodwellus*, *Dissertat. Cyprian. IV.* non solum cunctas visiones Beati Martyris acriter defendit, sed & eousque prolabitur, ut eos omnes profanos esse dicat, qui Earum divinam originem infitiantur. Nimio autem Antiquitatis studio, ut alibi, sic hoc in argumento abripi se passum fuisse Virum cætera Eruditissimum, perspicue probabimus. Et quomodo tandem hæc inter se cohærent: Hic vel ille doctus Vir dubitat, & quidem graves ob causas, utrum visiones omnes, quas habuisse dicitur *Cyprianus*, divinæ, & extraordinariæ sint; Ergo hic vir cætera probus, & Religionis etiam amans, favet impietati? O quam iniquam legem contra se metipsos faciunt Eruditi Viri, tam audacter de aliis judicantes! Ipsemet *Dodwellus*, quando suas de paucitate Martyrum, & causis Martyrii ediderat dissertationes, expertus est, quam vehementer illæ Præsulibus quibusdam Anglicanis displicuerint, existimantibus, Deistis ita triumphandi materiem dari. De quo videndus est Doctissimus *de la Roche*, *Bibliothecæ Anglicæ* Auctor (*). At erat, ut notum est, *Dodwellus*

(*) Biographiam *Dodwelli* conscripsit *F. Brokesby*. Compendium illius extat, in *de la Roche Bibl. Angl. Tom. I. pag. 77. seq.* Vir fuit *Dodwellus* in Arte Critica, Antiquitatibus Ecclesiasticis & Chronologia versatissimus, atque merito inter doctissimos seculi proxime elapsi Viros referendus. Idem pietate, continentia, modestia, benignitate erga pauperes aliisque virtutibus præditus erat. Juvat, in gratiam eorum, qui rerum inter Eruditos gestarum cognitione delectantur, virtutum ipsius quædam adducere specimina. *M. Dodwell* temoignoit (ita loco citato Brokesby) beaucoup de joie, lors qu'il apprenoit la conversion d'un pécheur. Il pardonnoit aisément à ses ennemis. Quoi qu'on le traitât d'Héretique; de Papiste, &c. il ne rendoit point injure pour injure. Il jeunoit trois jours de la semaine, savoir le Mecredi, le Vendredi, & le Samedi. Ses Jeunes étoient fort austéres. Il ne prenoit que du Caffé ou du Thée jusqu'à sept heures du soir, & il ne mangeoit point de viande à souper. Il jeûnoit de la même maniére pendant tout le Carême, excepté le Dimanche, il dinoit ce jour là; mais sans viande. Ses amis eurent bien de la peine à lui persuader de renoncer à ses Jeûnes, deux ans avant sa mort. *Après avoir observé le Carême*, disoit-il, *pendant quarante-neuf ans, faut-il que je cesse de l'observer?* Il étoit d'ailleurs fort charitable, quoi qu'il ne fut pas riche. Une partie de son bien consistoit en Terres & en Dîmes, qui apparte-

in cæteris pius, & religiosus. Idem quasi sui immemor Dissertat. II. in *Irenæum* postquam exemplo *Hieronymi* in vita *Pauli*, Athanasii in vita *Antonii*, *Palladii*, *Sulpitii* in Dialogis, & vita *Martini* ostendisset, Scriptores Seculi IV. fabulis fuisse addictissimos, monet, nihil magis Religioni nocere, quam ficta miracula. At hoc idem est ac si dixisset, prudenter & circumspecte de portentosis actionibus, quas scriptores his vel illis tribuunt Patribus, esse judicandum, neque sine gravissimis causis asserendum, huic vel Illi obtigisse visiones extraordinarias, quæ etiam nostra est sententia. Sed ad rem ipsam accedamus, modeste

appartenoit autrefois à l'Eglise, & qui produisoient environ vingt-trois Livres Sterling par an. Il ne voulut jamais recevoir cette portion de son revenu. Il en fit distribuer une moitié à quelques-uns de ses Parens, & l'autre à quatre Veuves & à un Orphelin. On rapporte quelques autres Exemples de la charité de Mr. *Dodwell*, dont je ne dirai rien. Mais je ne dois pas omettre, que, quelques jours avant sa mort, il fit venir de nuit *Mr. Brokesby*, pour lui dire, qu'il avoit trente Guinées dans une Bourse, & qu'il souhaitoit, qu'on en donnât la moitié aux pauvres Enfans de sa Paroisse, qui venoient au Catéchisme, & le reste à d'autres personnes indigentes. Lors qu'il faisoit imprimer quelque Ouvrage, il ne demandoit de l'argent aux Libraires que pour en faire des Charités. C'étoit ordinairement à des Ecclesiastiques necessiteux, qu'il distribuoit cet argent. Il avoit soin de donner de bons avis aux jeunes Etudiens, afin qu'ils se rendissent capables de servir l'Eglise & l'Etat. Il faisoit ressouvenir ses amis des choses, qui regardoient leur salut. On nous dit à cette occasion, qu'un savant Homme étant malade, *Mr. Dodwell*, qui le soupçonnoit d'indifference en matiere de Religion, lui écrivit, entre autres choses, que les *Siamois* seroient plus excusables au jour du Jugement, que les Chrêtiens, qui n'agissent pas selon leurs principes. Il étoit toûjours prêt à satisfaire ceux, qui le consultoient sur quelque point de Litterature, ou sur des cas de conscience. Il voyagoit à pied, afin de pouvoir lire en marchant; & les Livres, qu'il portoit alors dans ses poches, étoit, la *Bible Hebraique*, le *Nouveau Testament Grec*, la *Liturgie de l'Eglise Anglicane*, *l'Imitation de Jesus Christ par Thomas à Kempis*, les *meditations de St. Augustin*, &c. Il en étoit quelque fois si chargé, même de gros in quarto, qu'un de ses Amis disoit en badinant, qu'il avoit des tablettes portatives sous sa grande casaque, où il les rangeoit comme dans un Cabinet.

Ipse tandem Illustr. *Burnetus*, *Episcopus Sarisberiensis*, postquam in epistola ad ipsum *Dodwellum* data satis superque ostendisset, quantopere sibi displicerent opiniones quædam ab eo defensitatæ, pietatem tamen ejus laudat dicens loco citato pag. 92. *Vous êtes Savant, & vous avés mené une vie irréprochable, & même exemplaire.* Nimirum offendit vir cætera Doctissimus & præstantissimos Præsules Anglicanos, multasque sibi creavit molestias, cum propter editas de causis Martyrii & paucitate Martyrum dissertationes, tum ob paradoxam de anima natura mortali, sed per baptismum ab Episcopis administratum ad immortalitatis beneficium evehenda, opinionem: Ut jam non dicam, quod, cum Regi *Guilielmo*, & Reginæ *Mariæ* juramentum fidelitatis præstare noluisset, munere suo publico fuerit motus.

ſte in viſiones, quæ *Cypriano* factæ dicuntur, inquiſituri. Sequemur autem ordinem temporis, prout eum digeſſit *Illuſtris Pearſonius* in *Annalibus Cyprianicis*, adductis hinc inde, ubi neceſſe eſt, ejusdem, ut & *Felli*, atque *Clerici* adnotatiunculis. Libro de *Mortalitate* pag. 163. Edit. *Bremenſ.* adſerit *Cyprianus* ſibi Revelatione injunctum eſſe, ut fratres hortetur, ne nimis acerbe lugerent eos, quos dira peſtis tunc temporis graſſans, neci dederat. *Nobis quoque ipſis* (inquit) *minimis, & extremis quoties revelatum eſt, quam frequenter ac manifeſte de Dei dignatione præceptum eſt; Ut conteſtarer aſſidue, & publice prædicarem, fratres noſtros non eſſe lugendos accerſitione Dominica de ſeculo liberatos, cum ſciamus non eos amitti, ſed præmitti, recedentes præcedere ut proficiſcentes, ut navigantes ſolent; deſiderari eos debere, non plangi, nec accipiendas eſſe hîc veſtes atras, quando illi ibi indumenta alba jam ſumſerint: occaſionem non dandam eſſe Gentilibus, ut nos merito, ac jure reprehendant, quod quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos, ac perditos lugeamus & fidem, quam ſermone, & voce depromimus, cordis, & pectoris teſtimonio non probemus?* Neſcio qua ratione fratres, de Religionis chriſtianæ veritate perſuaſi dubitare potuerint, utrum homines pii, ſed peſtilenti morbo abrepti, ad beatam immortalitatem conceſſerint, atque utrum adeo dolori indulgendum ſit nec ne. Fac autem quosdam deſiderio ſuorum tactos, in dolore modum exceſſiſſe, num tandem ad eos revocandos ſingulari opus fuit Revelatione? An non præſto erant argumenta graviſſima, neque *Cypriano*, neque fratribus ignota? Vide, quid de hac Revelatione *Cypriani* ſenſerit *J. Clericus*, vitæ *Cyprian.* gallice ſcriptæ pag. 317. ſq. In Epiſt. XI. aliquot ſibi factas viſiones enarrat B. Martyr. In hac Epiſtola hortatur ad preces aſſiduas. Inter alia autem ſic loquitur pag. 24. *Nam quod magis ſuaſit, & compulit, ut has ad vos literas ſcriberem, ſcire debetis (ſicut Dominus oſtendere & revelare dignatur; dictum eſſe in viſione Petite & impetratis. Sane deinde præceptum plebi adſiſtenti, ut pro quibusdam perſonis deſignatis ſibi peterent. In petendo autem fuiſſe diſſonas voces, & diſpares voluntates: & vehementer hoc diſplicuiſſe illi, qui dixerat: petite, & impetratis, quod plebis inæqualitas diſcreparet, nec eſſet fratrum conſenſio una & ſimplex, & juncta concordia, cum ſcriptum ſit: Deus qui inhabitare facit unanimes in domo. Et iterum: dico autem vobis, quoniam ſi Duo ex vobis convenerint in terra, de omni re, quamcunque petieritis, continget & vobis a Patre meo, qui in cœlis eſt. Quod ſi Duo unanimes tantum poſſunt,*

sunt, quid si unanimitas apud omnes esset? Quid si secundum pacem, quam nobis Dominus dedit, universis fratribus conveniret? Jam pridem de divina misericordia impetravissemus, quod petimus, nec tam diu in hoc salutis & fidei nostræ periculo fluctuaremus. Vult ostendere *Cyprianus*, precibus non solum esse vacandum strenue, sed & unitis viribus hoc faciendum esse; Dissensionum autem semina obstare, quo minus multi ex plebe hoc fecerint, atque hanc ob causam Deum non exaudire semper orantes. At num hæc sine visione extraordinaria sciri haud possunt? præterea addendum est, quod hic rectissime monet *Clericus* dicens pag. 252. Vitæ *Cypr.* *Non dicit Cyprianus* (ita ex L. gallica verto) *hanc sententiarum diversitatem, in quam distracta erat plebs sibi cœlitus fuisse revelatam, neque eadem via extraordinaria sese edoctum esse, quod Deus propterea fuerit offensus. Unde pro certo haberi non potest quod adserit Dodwellus, Episcopum nostrum per revelationem perspectas habuisse plebis cogitationes. Scire illas potuit ex sermonibus ipsius plebis; ex eventu insuper, & ex scriptura cognoscere potuit Deo displicere, quod parum inter se, circa precum materiam, essent concordes. Unde probabile est, potuisse Cyprianum somnium naturale pro Revelatione extraordinaria habere.*

Sequitur *secunda visio.* *Imo vero* (inquit) *nec venissent fratribus hæc mala, si in unum fraternitas fuisset animata. Nam & illud ostensum est, quod sederet Pater familias sedente sibi ad dextram juvene, qui juvenis anxius, & cum quadam indignatione subtristis maxilla manum sustinens mœsto vultu sedebat. Alius vero in sinistra parte consistens rete portabat, quod se mittere, ut circumstantem populum caperet, minabatur, & cum miraretur quid hoc esset, ille, qui vidit, dictum est ei: Juvenem, qui ad dextram sic sederet, contristari, & dolere, quod præcepta sua non observarentur: Illum vero in sinistra exultare, quod sibi daretur occasio, ut a Patrefamilias potestatem sumeret sæviendi. Hoc prius longe ostensum est, quam tempestas vastitatis hujus oriretur. Et vidimus impletum quod fuerat ostensum, ut dum Domini præcepta contemnimus, dum datæ legis mandata salutaria non tenemus, facultatem nocendi inimicus acciperet, & minus armatos, & ad repugnandum minus cautos jactu retis operiret.* Totius visionis argumentum huc redit: Homines præcepta Dei negligentes, Diaboli insultibus patere, atque ingruente persecutione hoc ipsum eheu multorum exemplo fuisse confirmatum. Nimis autem vaga est hæc Revelatio. Facile *Cyprianus* sine revelatione cognoscere potuit, homines voluptatibus deditos, & præceptorum Dei immemores, nociva sibi pericula concitaturos, neque adeo ad mala subeunda rite fore

præpa-

præparatos. Ego certe, qui non sum Propheta, hoc confidenter omnibus impiis possum ante eventum annunciare. Neque adeo mirum, id, quod antea cogitarat *Cyprianus*, re ipsa contigisse. Idem dictum velim de iis, quæ immediate excipiunt verba proxime adducta: *Oremus instanter* (inquiunt) *& assiduis precibus ingemiscamus. Nam & hoc nobis jam olim per visionem, fratres Charissimi, exprobatum sciatis, quod dormitemus in precibus, nec vigilantes oremus.* Num ad præceptum, singulis Christianis a Deo injunctum insinuandum, opus est tandem Extraordinaria visione?

Sequitur *tertia visio* eadem epistola pag. 26. *Denique* (inquit) *ad minimum famulum suum, & in delictis licet plurimis constitutum, & dignatione ejus indignum, tamen illic pro sua circa nos bonitate mandare dignatus est: Dic illi*, inquit, *securus sit, quia pax ventura est, sed quod interim morula est, supersunt adhuc aliqui, qui probentur. Sed & victu parco, & sobrio potu, divinis dignationibus admonemur, scilicet ne vigore cœlesti sublime jam pectus illecebra secularis enervet, vel ne largioribus epulis mens gravata minus ad preces Orationis vigilet.* Commentarii loco in hanc visionem adducam in margine Cl. *Clerici* verba. (*) Epist. 93. ad *Cœcilium* data, per inspirationem se a Deo edoctum esse ait, quod nimirum necesse sit, ut in usu sacræ cænæ aqua vino temperetur. *Nec nos putes* (inquit) *frater charissime, nostra & humana conscribere, aut Ultronea voluntate hoc nobis audacter assumere, cum mediocritatem nostram semper humili, & verecunda moderatione teneamus: sed quando aliquid Deo adspirante & mandante præcipitur, necesse est Domino*

(*) Les defenseurs (inquit) des visions de *St. Cyprien* supposent, qu'il eût cette revelation dans un temps auquel on ne pouvoit pas prevoir humainement, si la persecution dureroit, ou non: mais il n'en dit rien, & il propose cette Revelation comme toutes les autres avec beaucoup d'obscurité, sans y joindre presque aucune circonstance. Mais quand on n'auroit pû prevoir la fin de la persecution, ce que l'on ne peut savoir, à moin que d'avoir vécu en ce temps-là: on pourroit toûjours dire, que l'on songe aisement, ce que l'on desire avec ardeur, & que quand on souhaite extrêmement d'avoir des Revelations, on prend aisement ses songes pour des Propheties. Et dès qu'il s'est trouvé quelque personne de consideration qui s'est imaginée, qu'elle a des visions, son imagination échauffée lui en fait avoir à tous momens, & fait que plusieurs croyent aussi, que Dieu ne dedaigne pas de les entretenir. On peut tomber d'autant plus aisement dans cette pensée que *St. Cyprien* ajoute, que Dieu lui avoit aussi daigné reveler qu'il ne falloit guere manger, ni guere boire, de peur, que l'Esprit élevé déjà par une vigueur divine ne fut enervé par les attraits du monde. Un précepte aussi général que celui là, n'auroit pas besoin de nouvelle Revelation; & Dieu, qui ne les a jamais prodiguées envers les anciens Prophetes, en auroit usé alors d'une maniére toute nouvelle.

no servus fidelis obtemperet; excusatus apud omnes, quod nihil sibi arroganter adsumat, qui offensam Domini timere compellitur, nisi faciat, quod jubetur. Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit; ut calix, qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur.

At hoc falsum esse norunt omnes, qui institutionis S. Cænæ a Christo traditæ cognitionem habent. Verum est, consuetudinem vinum aqua miscendi, fuisse antiquam satis, prouti adductis testimoniis *Irenæi*, *Just. M.* & *Auctoris Constitut. Apostol.* ostendit *Bingham. Orig. Eccles. Vol. VI. Lib. XV. Cap.* 11 Hodierna Ecclesia græca hunc ritum etiam servat, quod probant *Ricautus*, *Heineccius* & *Elsnerus*. Sed expressum Christi mandatum de hac re non extat. Quod si vel maxime Christus exemplo suo nos edocuisset, vinum in S. Cænæ usu aqua esse temperandum, num tandem nova visione opus erat ad id comprobandum? Nil jam dicam de violentis multorum S. Scripturæ locorum interpretationibus, quibus suam sententiam, visione scilicet oblatam, confirmare voluit. Plena enim sunt Patrum fere omnium scripta allegoricis interpretamentis & rethoricationibus. (*) *Epist. LVII.* quæ synodica est ad *Cornelium* Episcopum Romanum pag 119. ingruentem persecutionem graviorem longe futuram esse per visionem edoctus priore adserit. *Nos* (inquit) *quod fidei & Charitati & sollicitudini congruebat, quæ erant in conscientia nostra protulimus: Diem certaminis appropinquasse, hostem violentum cito contra nos exurgere, pugnam non talem, qualis fuit, sed graviorem multo, & acriorem venire, hoc nobis divinitus frequenter ostendit, de hoc nos Providentia & misericordia Domini sæpius admonent &c.* At vehementiorem non fuisse hanc persecutionem priore, ostendit *Pearsonius* in *Annalibus* pag. 37. sq. & *Dodvvellus* ipse *Dissertat. Cyprian. XI. Sect. LVIII.* mira est interpretatio *Felli* hujus

(*) Ne gratis hoc dixisse videar, audi verba Cypriani, quibus in hac ipsa Epistola ad ritus hujus utilitatem demonstrandam utitur. *Videmus* (inquit) *in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs sanguini ejus, in quem credit, copulatur & conjungitur. Quæ copulatio & conjunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari. Sic autem in sanctificando calice, Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest; nam si vinum tantum quis offerat sanguis Christi incipit esse sine nobis: si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc Sacramentum cœleste & spirituale conficitur.*

hujus loci. Ait enim: *Certe Cypriano erat gravior; qui post exilii tædia, tandem hac persecutione capite plectebatur. Sed Prophetæ visorum suorum non semper fidi interpretes. Donum prophetias interpretandi prorsus erat distinctum a prophetiæ charismate. Vid. 1. Cor. 1:10.* Si vero non gravior fuit persecutio, quæ ingruebat antegressâ, quomodo is, qui habet donum prophetias interpretandi, visionem *Cypriano* factam aliter interpretari potuit? 1. Epist. ad Cor. 1. v. 10. plane non agitur de hoc argumento. Errore Typothetæ sine dubio hoc factum. Respexit *Fellus* ad locum Cap. XII. v. 10. hujus Epistolæ. At & hîc nihil inveniet Eruditus Lector, quod Oxonienſis Episcopi interpretationi faveat. (**)

Epistola 66. invehitur *Cyprianus* vehementer in *Florentium*, Episcopum Africanum, Confessorem sub persecutione, sed Novatianis addictum. *Cyprianus*, postquam variis, iisque parum firmis rationibus, probare aggressus esset, quanta esset Episcoporum potestas, tandem promittit *Florentio*, se, si quidem in posterum rectius de se, suique muneris dignitate esset sensurus, veniam ipsi daturum, cumque eo sin gratiam rediturum, hac tamen conditione, ut Deum primo consuleret, utrum consilium hoc probaturus esset nec ne. *Quamobrem* (inquit) *frater, si Majestatem Dei, qui sacerdotes ordinat, cogitaveris; Si Christum, qui arbitrio & nutu, ac præsentia sua, & præpositos ipsos, & Ecclesiam cum præpositis gubernat, aliquando respexeris; si de innocentia sacerdotum non humano odio, sed divino judicio credideris; si temeritatis & superbiæ atque insolentiæ tuæ agere vel sero pœnitentiam cœperis; si Deo, & Christo ejus, quibus servio, & quibus puro atque immaculato ore sacrificia & in persecutione pariter, & in pace, indesinenter offero, plenissime satisfeceris; communicationis tuæ poterimus habere rationem, manente tamen apud nos divinæ censuræ respectu, & metu; Ut prius Dominum meum consulam, an tibi pacem dari, & te ad communicationem Ecclesiæ suæ admitti sua ostensione & admonitione permittat. Memini enim quid jam mihi sit ostensum, imo quid servo obsequenti & timenti, de dominica, & divina auctoritate præceptum: qui inter cætera, quæ ostendere, & revelare dignatus est, & hoc addidit: Itaque qui Christo non credit sacerdotem facienti, post ea credere incipiet sacerdotem vindicanti. Quanquam sciam somnia*

(**) Quid per τας διακρισεις των πνευματων intelligendum sit, in diversa abeunt Interpretes. Vide *Celeb. Wolfii curas Philolog. & Crit. Tom. II. pag. 169.* Qualemcunque autem arripias sententiam, eventus docuit, *Cyprianum* fuisse deceptum, quod nobis sufficit.

ridicula, & visiones ineptas quibusdam videri, sed utique illis, qui malunt contra sacerdotes credere, quam sacerdoti, &c. Ex adductis patet (1) *Cyprianum* insinuare voluisse, ac si electio Episcoporum illius ætatis extraordinaria quadam ratione fieret, quod tamen falsum fuisse omnes, qui ad Electionis rationem vel parum erant attenti, facile animadvertere poterant. Pessimum hoc erat, quod eodem argumento *Florentius* Episcopus uti contra *Cyprianum* poterat. (2.) Constat perpetuas visionum jactationes effecisse, ut quidam, qui nasum habebant, non sine causa de visionum illarum veritate dubitarint, quos certe parum firmiter refutat, dicendo: iis demum visiones illas ineptas videri, qui malint contra sacerdotem credere quam sacerdoti; quasi vero cæco adsensu cuncta, quæ dicuntur de sacerdotibus, pro oraculis sint habenda. (3.) Credibile igitur est, *Cyprianum* ad confirmandam suam auctoritatem, data opera hanc visionem effinxisse; nisi forte dicas, rectius eos sentire, qui putent, *Cyprianum* omne id, quod a se, bono animo factum, rectumque ac laudabile esse existimavit, pro visione cælitus concessa habuisse; quo sensu nemo bonus visionibus destituitur. At ne durius de hac visione sentire videar, aliorum etiam hæc de ea exhibebo judicia. *Rigaltius* ita loquitur: *Hic etiam utitur ostensionibus & visionibus, telo ad conterendos Adversarios in manu præsertim Cypriani, viri Optimi atque divini, valentissimo, alias vano ac futili. Nam & callidus Rhetor, & sophista vafer, hujusmodi visa ad causam appositissima poterit comminisci, & fallere incautos & simplices.* *Fellus* breviter, sed minus causæ fidens ita sentit: *Sed siquidem rumoribus fidem adhibendam crediderat Pupianus, æquum est, ut Cypriano somniis credenti non irasceretur.* Adeo præjudicium auctoritatis abripit Viros doctissimos, ut aperte suam sententiam dicere non ausint! Quid intelligit enim *Rigaltius* per *Divinum* hominem? num virum bonum, ac pium? at vir etiam bonus & pius adfectu abripi potest, & levi opinioni vel imaginationis lusui, tanquam firmæ sententiæ calculum adjicere. Num hominem perpetuo Inspirationis dono instructum? At probandum prius erat, *Cyprianum* hoc dono ornatum non vero pro certo admittendum. *Felli*, siquid intelligo, explicatio huc redit: Cum *Pupiano* licuerit, quibusvis fabellis existimationi *Cypriani* noxiis fidem habere, potuisse similiter *Cyprianum* contra Pupianum fictis ad eum reprimendum uti visionibus. Utrum hæc defensio honorifica sit Episcopo Carthaginiensi & Oxoniensi, muneris Episcopalis dignitatem supra modum elaturis, aliorum sit judicium. Nobis potius candor *J. Clerici* placet.

placet, qui rotunde suam super hac visione sententiam tulit. pag. 331. *Vitæ Cypr.* & sq. adponamus saltem in margine, quæ pag. 335. citato loco extant. (*) Quæ Doctissimus *Clericus* ad finem hujus censuræ monet ex universis scriptis *Cypriani*, libro præsertim de *Unitate Ecclesiæ* satis superque probari possunt. Vide quæ de hac materia disseruerint *Itti Eruditissimi*, J. H. *Böhmer* in *Dissertat. Juris Ecclesiastici antiqui Dissertat. III. pag. 203.* seqq. & *Joh. Barbeyracius Traité de la morale des Peres Cap. VIII. Sect. 42. seqq.* Atque ex hac frivola opinione, de supereminenti & prope divina Episcoporum auctoritate, evenisse puto, ut *Cyprianus* crediderit, ordinationes Presbyterorum a se factas, nonnisi extraordinaria Dei revelatione niti; saltem id credi voluit a Clero suo. *Epistola XL.* certiorem facit Ecclesiam Carthaginiensem de *Numidico*, Presbytero a se constituto. Ita autem loquitur initio Epistolæ: *Nunciandum vobis fuit, Fratres Charissimi, quod pertineat & ad communem lætitiam, & ad Ecclesiæ nostræ maximam gloriam. Nam admonitos nos & instructos sciatis dignatione divina, ut Numidicus Presbyterorum Carthaginiensium numero, & nobiscum sedeat in Clero, luce Clarissima confessionis illustris, & virtutis ac fidei honore sublimis.* Ad quæ verba *Rigaltius*. *Sic solet Cyprianus, quod absente Clero per se ipse facere ordinando videbatur, ad Dei monitum referre. Itaque infra dicet, interim quod ostenditur fiat. Sic Epistola præcedenti divinæ dignationis monitu suscepisse dicit Celerinum Lectoris officium. Epistola quoque 32. præcessisse ordinationem Aurelii suffragia divina. Hinc collige non prophanas, sed sacras jam olim habitas ordinationes Clericorum, non modo Hypodiaconorum, Presbyterorum, sed & Lectorum, usque adeo, ut fere signa*

(*) Si ces songes (inquit) étoient bons pour *St. Cyprien*, qui les avoit, ils ne pouvoient pas avoir beaucoup de force contre ses Adversaires, parce qu'ils n'étoient pas obligés de croire ce qu'il disoit sans preuves, qu'il faisoit dire à Dieu ses opinions que l'expérience dementoit; puisqu'alors comme depuis, Jesus Christ ne faisoit pas plus les Evêques que les autres choses, & qu'il y en avoit peut-être en ce temps là, comme dans le nôtre, autant de mauvais que de bons. Cette revelation au moins n'avoit pas les Caractéres qu'*Hermas* dit, que les véritables doivent avoir; c'est que les vrais Prophêtes n'ont pas des Revelations, quand ils veulent, & ne sont pas prêts à repondre à toutes les questions qu'on leur fait: Comme ils ne recherchent pas aussi les premieres places. Ce pouvoit être pour ces raisons, ou pour d'autres semblables, que les Adversaires de *St. Cyprien* traitoient ses songes de *ridicules*, & ses visions *d'impertinentes*, quoi qu'ils disoient que ceux, qui parlent ainsi, étoient des Gens, qui aimoient mieux ajouter foi à ce qu'on disoit contré un Evêque, que croire cet Evêque. Il auroit pû ajoûter: *parlant de soi-même.* Il paroit par-tout, que nôtre Martyr croyoit, que dès qu'un homme étoit élû Evêque, c'étoit un signe que Dieu l'approuvoit, & que tant qu'il demeuroit attaché au plus grand nombre des Evêques, on n'avoit pas droit de l'accuser. Il s'exprime en termes si generaux & si positifs, qu'on ne peut pas douter, que ce ne fût là son principe, à quelques Inconveniens, qu'il puisse être sujet.

quæpiam divinitus ante ordinationem illorum contingerent. Si *Rigaltius* rotundo ore voluisset loqui, dixisset, *Cyprianum* locis quibusdam scripturæ, præsertim V. Testamenti, deceptum, aut vana opinione delusum, existimasse, visionibus perpetuis opus esse, ad munus Episcopi obeundum. Et quid sibi vult æquivocatio Rigaltii: *Fere* signa ante ordinationem contigisse? Si *fere*, non *vere* obtigerunt signa, rethoricatus est *Cyprianus*, & Clero suo imponere voluit, aut si id durius videtur, deceptus saltem ipse est.

Epistola antecedente, id est 39. secundum Calculum *Pearsonii*, certiorem facit Ecclesiam Carthaginiensem de *Celerino* Lectore ordinato. *Ita autem de electione hac loquitur: Exultate* (inquit) *& gaudete nobiscum lectis Literis nostris, quibus ego & Collegæ mei, qui præsentes aderant, referimus ad vos, Celerinum, fratrem nostrum, virtutibus pariter & moribus glorioſum, Clero nostro non humana suffragatione, sed divina dignatione conjunctum. Qui cum consentire dubitaret, Ecclesiæ ipsius admonitu, & hortatu in visione per noctem compulsus est, ne negaret nobis suadentibus, cui plus licuit, quæ & coegit, qui nec fas fuerat, nec decebat sine honore Ecclesiastico esse, quem sic Dominus honoravit cœlestis gloriæ dignitate.* Conferantur ad h. l. denuo notæ *Rigaltii*; Inter alia dicit: *Notanda hic etiam est industria Cypriani, visionum efficacia tam suaviter utentis.* Metaphoricam loquendi rationem sequitur *Rigaltius*, ut aliquid pro *Cypriano* dicere videatur. Si *Celerinus* tantis virtutibus ornatus, rationibus moveri non potuit vigilans, ut munus hoc susciperet, quomodo species Ecclesiæ phantasiæ noctu objecta hoc efficere potuit, & quidem sine rationibus? forte singularem vim habet idea abstracta Ecclesiæ in quorundam ingeniis. At ut serio loquamur, nulla probabilitatis specie sese commendat hæc visio. Non deerant in *Africa* & *Italia* multi, qui officiis publicis, si forte unus vel alter ea obire detrectaret, defungi possent; neque adeo singularibus visionibus & miraculis opus erat, ad excitandos homines, ut munera Ecclesiastica peterent. At satis superque patet, *Cyprianum* absentem, Presbyteris & plebi persuadere voluisse, quicquid bono animo a se susceptum esset, visionibus divinis & Revelationibus comprobari. Hinc Epistola LIX. supra modum extollit auctoritatem Episcoporum, atque adserit, omnes hæreses ideo esse natas, quod Episcopis non fuerit obtemperatum. Episcopum non audire idem esse, ac Dei decreta vilipendere &c. Non jam dicam, quam miser Interpres Scripturæ sit *Cyprianus*, provocans ad loca S. Scripturæ ineptam opinionem defensurus, quæ prorsus de

aliis

aliis rebus agunt. Hoc unum dicam, Ipsum propria vineta cædere. Notum est, quid inter *Stephanum* Episcopum Romanum, & *Cyprianum* de baptismo Hæreticorum actum & disputatum fuerit. Utar autem principio *Cypriani*; *Episcopo obedire idem est ac Christo, vel Deo obtemperare.* Hoc posito, necessario sequitur, contradictoria, & quidem vi voluntatis Divinæ esse sequenda: unus enim Episcoporum Hæreticos denuo baptizandos, alter non baptizandos esse statuit, quorum prius *Cyprianus*, posterius vero *Stephanus* adseruit. Quid autem magis absurdum hoc adserto? Epistola LXI. contendit, *Cornelium* singulari Dei Providentia factum esse Episcopum Romanum, cum tamen sole meridiano clarius sit, Romanos & Afros Episcopos atque Clerum ad eam dignitatem *Cornelium* evexisse. Probe hoc adnotavit, & in rem suam convertit *Baronius*, reprehensus propterea ab Episcopo Oxoniensi, dicente: *Illustrissimus Annalista divino aliquo signo designatum putat. Sed nostrum non est miracula cudere. Ille Dei judicio electus dicitur, qui talis est, qualem lex ad id munus obeundum expetit. Hæc enim explicatio, licet nostris favens, non conveniens est stylo Cypriani. Verba ipsius ita sonant: factus autem est Cornelius Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, & de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum Virorum Collegio:* & paulo post: *Tum deinde post Episcopatum non exambitum, nec extortum, sed de Dei, qui sacerdotes facit, voluntate susceptum* &c. Ita *Reverendus Fellus*: Persuasus sum, virum hunc longe aliter interpretaturum fuisse verba *Cypriani*, nisi vidisset *Baronium* inde argumentum petere, ad stabiliendam Pontificis auctoritatem. Paraphrasis igitur illa ex studio partium videtur orta. Nam si *Cyprianus* nihil aliud dicere voluisset, quam hoc: *Cornelium* nempe secundum canones fuisse electum, satis fuisset, si ad optimorum Virorum, promotioni huic faventum, adsensum provocasset; at ulterius progreditur, atque ad Dei & Christi voluntatem provocat. Atque hanc ob causam jure dicere possumus, *Cyprianum* de auctoritate Episcoporum rethoricantem, plurimum contulisse ad Episcoporum Romanorum fastum, & quæ inde secuta sunt innumera mala, promovendum. Quo referas etiam ea, quæ de excommunicatione disseruit *Cyprianus*. Audi quomodo *Epistola IV.* respondeat *Pomponio* de quibusdam immorigeris consulenti: *Nec putent* (inquit) *inter alia sibi vitæ aut salutis constare rationem, si Episcopis & Sacerdotibus obtemperare noluerint; Cum in Deuteronomio Dominus Deus dicat: Et homo quicunque fuerit in superbia, ut*

ut non exaudiat Sacerdotem, aut Judicem, quicunque fuerit in illis diebus, morietur homo ille, & omnis populus, cum audierit, timebit, & non agent impie: Etiam nunc Interfici Deus jussit Sacerdotibus suis non obtemperantes, judicibus a se ad tempus constitutis non obedientes; sed tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc circumcisio carnalis manebat; nunc autem, quia circumcisio spiritualis esse apud fideles servos Dei cœpit, spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, & nemini salus esse, nisi in Ecclesia possit. Audacius adhuc loquitur Epistola III. Hæc loca ubi adduxisset *Illustris Böhmerus* libello erudito, supra citato, recte addit pag. 209. *Omnia, quæ in vetere fœdere potuit reperire argumenta, auctoritatem, potestatem & honorem Sacerdotum vindicantia in adducto loco coacervavit, non alium in finem, quam quia existimavit, eandem auctoritatem & potestatem, quæ tamen apud Judæos fere regia fuit, Episcopis quoque esse tribuendam. Quippe qui similes Sacerdotibus Summis & Pontificibus Maximis in Republica Judaica essent, ut omnia jura eorum illis applicari possent & deberent. Ex hac persuasione potestas Episcoporum in immensum aucta est, & posthac res Christianorum, quæ ab initio ad instituta Synagogarum Judaicarum se conformabant, ad liturgiam templi Jadaici in totum componi cœperunt.* Ita *Illustris Böhmerus.* Qua ratione sequentibus seculis *spiritualis*, vel *metaphoricus gladius* vere per *Episcopos* in *realem* mutatus sit, eheu satis compertum est.

Atque hæc, quæ hactenus adduximus, Cordato Viro sufficere possent, ad judicium, de pretio visionum, *Cypriano* oblatarum, ferendum. Ne quid tamen omisisse videamur, quod ad excutiendas illas visiones facere potest, age audiamus, qua ratione Eruditissimus *Dodwellus* probet, vere divinas illi obtigisse visiones.

Primo provocat ad *Epist. X.* in qua secessum suum Revelationi adscribit. *Et audietis omnia, quando ad vos reducem me Dominus fecerit, qui ut secederem jussit.* At Indubitatum hoc factæ revelationis extraordinariæ signum esse nego. Cum enim ipse Christus in Evangelio discipulis suis injunxerit, ut ingruente persecutione siquidem possent, ex loco in locum migrarent, *Cyprianus* eo sensu dicere potuit, Dominum hoc jussisse. Ad hoc eum vitæ amor, legesque prudentiæ, satis stimulare & inducere potuerunt. *Pontius* vero, scriptor vitæ *Cypriani*, ad quem provocat *Dodwellus* pag. 5. multas & varias hujus secessus addit rationes, quæ omnes vanæ sunt, si Revelatione sua ad secessum quærendum commotus fuit.

Secun-

Secundo adducit *Dodvvellus* verba *Cypriani*, quibus se per nocturnas & diurnas visiones castigari dicit, propterea quod Presbyteri, se inconsulto, pacem lapsis concesserint. Num autem quisquam sibi persuadebit, Deum etiam visiones propter canones disciplinæ Ecclesiasticæ, qui pro circumstantiarum ratione moderandi sunt, ingerere? an non ipse tandem *Cyprianus* a nimio adversus lapsos rigore recedendum esse putavit? num igitur perpetuis & nunquam interruptis visionibus hominem hunc gavisum esse credendum est? certe tota, quam de disciplina Ecclesiastica habuit opinio, male intellectis scripturæ locis, non visionibus innixa erat. Vide *Illustr. Böhmerum* loco supra citato.

Porro in auxilium vocat *Dodvvellus* ea, quæ de quinque Presbyteris *Felicissimi* factioni addictis, & per visionem, uti videtur, repræsentatis, Epist. 43. narrat *Cyprianus* Nimirum quinque Presbyteri factione *Felicissimi* adjuti, multorum animos a *Cypriano* abalienare cæperunt. Hæ dissensiones impediverant, quo minus ante festum Paschatis Carthaginem venire posset, metuens, ut erat admonitus, ne præsentia sua tumultum augeret, atque gentilibus occasionem suppeditaret Christianis insultandi. Scripsit igitur hanc Epistolam ad universam plebem, eamque non solum hortatur, ut sibi constanter adhæreat, sed & in adversarios vehementer invehitur, eosque omni modo exosos reddere cupit; imo videtur adserere, ac si in visione illos quinque Presbyteros vidisset, cum Optimatibus, Religionem Christianam impugnantibus, conspirantes. Verba *Cypriani* ita sonant: *Persecutio hæc est alia, & alia tentatio: & quinque isti Presbyteri nihil aliud sunt, quam quinque primores illi, qui edicto nuper Magistratibus fuerant Copulati.* Hæc verba ita explicat *Pamelius. Videtur mihi adludere ad visionem quampiam, in qua apparuisse videntur cum Magistratibus quinque primores, qui edictum contra Episcopos una publicarent.* Hæc Interpretatio placet *Dodvvello*, quoniam institutio suo favet. At ego nullum vestigium visionis alicujus in his verbis deprehendo. Mihi videtur potius Episcopus uti argumento ab invidia petito. Nimirum exosos reddere vult quinque Presbyteros illos, uti ex universa Epistola patet. Ut igitur hoc obtineat, eos comparat cum Præsidibus & Proconsulibus Provinciarum inter Ethnicos, bellum Religioni Christianæ indicentibus, atque Christianos persequentibus. Quis autem tandem credat, Deum, ut iram contra Presbyteros in animo *Cypriani* accensam acueret, & augeret, per miraculum effecisse? & cur Presbyteri tantum, non ipse etiam *Felicissimus* in visione illa comparent? *Rigaltius* equidem itidem visionem

in

in his verbis quærit, sed ita, ut haud obscure significare videatur, *Cyprianum* ita locutum esse data opera, ut plebs nimirum crederet, Presbyteros illos, tanquam homines profligatæ impietatis, per visionem fuisse repræsentatos. Verba sic sonant: *Quam exquisite omnia, quæ ad suam causum faciunt, congerit, ut invidiam adversario faciat! quinque Presbyteros, qui se Felicissimo sociaverant, ut calumniam & periculum Cypriano crearent, a Deo sibi ostensos, & significatos esse ait, per illos quinque primores, qui Magistratum adversus Christianos edicto subscripserant, ac proinde quinque illos Presbyteros non minore dignos odio, quam illos quinque primores persecutionis fautores.* Sapienti sat.

Pergit *Dodvvellus*, atque ait: *Cyprianum* persecutionem sub *Gallo* ingruituram prædixisse. At supra jam ad hanc objectionem respondimus. Idem *Cyprianus* ita locutus est, ac si ultimum Judicium, atque Antichristi manifestatio ante fores essent; num & hoc per visionem scivit? probandum nulla alia ratione instantem persecutionem cognoscere potuisse *Cyprianum*, quam divina Revelatione. Certe Reformati Galli ante annum 1685. persecutionem fœdam instare animadverterunt. (*)

Adeo familiares (sic porro ratiocinatur *Dodvvellus*) *Cypriano erant hujusmodi visiones, ut in disciplinæ etiam Ecclesiasticæ exercitio illas acceperit, aliasque deinceps provocaret.* Ad hoc probandum provocat ad ea, quæ cum *Florentio Pupiano* acta sunt, quæque supra a nobis discussa sunt. Certe tantum abest, ut talia probent, *Cypriano* obtigisse visiones divinas, ut potius veris, si quas habuit, non parum detrahant. At notum est, *absolutam potestatem Episcoporum* a *Dodvvello* fuisse defensitatam. Hinc in remotissima antiquitate conquirenda erant exempla & rationes, quibus illa thesis confirmaretur. Denique adserit *Dodvvellus*, *Cyprianum* somnium habuisse propheticum, de tempore Martyrii sui. Rem ita narrat *Pontius* in vita *Cypriani* pag. 7. Edit. Brem. *Eo die, quo primum in Exilii loco mansimus (nam & me inter domesticos comites dignatio caritatis ejus delegerat exulem voluntarium, quod utinam & in passione licuisset) apparuit mihi, inquit, nondum somni quiete sopito, juvenis ultra modum hominis enormis, qui cum me quasi ad prætorium duceret, videbar mibi tribunali sedentis tum Proconsulis admoveri. Is, ut in me respexit, adnotare statim cœpit in tabula sententiam, quam non sciebam, nibil enim de me solita interrogatione quæsierat; sed enim*

*) Refert *Pontius* in vita *Cypriani*, *Xystum*, Romanum Pontificem Eum de secutura persecutione monuisse.

enim juvenis, qui à tergo ejus ſtabat admodum curioſus legit, quicquid fuerat adnotatum. Et quia id verbis proferre non poterat, nutu declarante monſtravit, quid in Literis tabulæ illius haberetur. Manu enim expanſa & complanata, ad ſpathæ modum ictum ſolitæ animadverſionis imitatus; quod volebat intelligi, ad inſtar liquidi ſermonis expreſſit. Intellexi Sententiam paſſionis futuram. Rogare cæpi, & expetere continuo, ut dilatio mihi vel unius diei prorogaretur, donec res meas legitima ordinatione diſponerem. Et cum preces frequenter iteraſſem, rurſus in tabula cæperat neſcio quid adnotare. Senſi tamen de vultus ſerenitate judicis mentem, quaſi juſta petitione commotam. Sed & ille Juvenis, qui jam dudum de paſſionis indicio, geſtu potius, quam ſermone prodiderat, clandeſtino identidem nutu, conceſſam dilationem, quæ in craſtinum petebatur, contortis poſt invicem digitis ſignificare properaverit. Ego, quamvis non eſſet lecta ſententia, & ſi de gaudio dilationis acceptæ læto admodum corde gauderem; metu tamen incertæ interpretationis ſic tremebam, ut reliquiæ formidinis cor exultans adhuc toto pavore pulſarent. Quid (ita exclamat Pontius) *hac Revelatione manifeſtius, quid hac dignatione felicius? Ante illi prædicta ſunt omnia, quæcunque poſtmodum ſecuta ſunt. Nihil Dei verbis imminutum; nihil & tam ſancta promiſſione mutilatum. Singula denique ſecundum quod oſtenſa ſunt, recognoſcite. Dilationem petit craſtini cum de Paſſionis ſententia cogitaretur, poſtulans, ut res ſuas die illo, quem impetraverat, ordinaret. Hic dies unus ſignificabat annum, quo ille poſt viſionem acturus in ſeculo fuerat. Nam, ut manifeſtius dicam, eo die poſt exactum annum coronatus fuerat, quo hoc illi ante annum fuerat oſtenſum.* Patet (1.) ex hiſce verbis, ipſum *Cyprianum* viſionem non rite intellexiſſe, atque exiſtimaſſe, ſequenti die implementum habiturum oſtenſum. (2.) Omnis ergo explicatio viſi dependet a *Pontio*. Dum autem diem viſionis non exprimit, utrum exacto anni curſu paſſio illa contigerit, nec ne, ſciri non poteſt. (3.) Pro lubitu *Pontius* diem commutat in annum, interpretaturus ſine dubio diem pro lubitu, ſi longius protracta fuiſſet paſſio. *Ponce* (inquit *Clericus* pag. 369. vitæ Cypr.) *ne doutoit point, que ce ne fût l'accompliſſement du Songe dont on a parlé, & que le delai d'un jour ne marquât une année. Mais ſi au lieu d'une année S. Cyprien avoit demeuré dans l'exil vingt-quatre jours, vingt-quatre ſemaines, ou vingt-quatre mois, ſon Diacre auroit dit, que le jour étant compoſé de vingt-quatre heures, chaque heure marquoit un jour, une ſe-*

maine, ou deux mois. Ou s'il n'eut pas eu assez d'esprit pour expliquer ce songe, il n'en aurot rien dit, ou auroit avoué son ignorance. Atque hæc de visionibus *Cypriani* dicta sufficiant. Quodsi in universum, quid de iis sentiam, dicendum sit, existimo affirmari quidem certo non posse, prorsus nullas *Cypriano* obtigisse visiones. Earum tamen, quas in medium produximus, quasdam *falsas*, alias *falsi suspectas*, plures *dubias* esse adserimus.

XII.

Sed veniamus ad alios. Iisdem temporibus quibus floruerat *Cyprianus*, celebris fuit *Dionysius* Alexandrinus. Hic in epistola ad *Philemonem* Ecclesiæ Romanæ Presbyterum, quæ extat apud *Euseb. Hist. Ecclesiast. Lib. VII. Cap. 7.* sequentia narrat: *Ego vero* (inquit) *in libris, & traditionibus Hæreticorum cognoscendis operam posui; execrandis equidem illorum sententiis animum meum tantisper coinquinans; hanc tamen ex iis utilitatem percipiens, ut illos tacitus apud me refutarem, multoque magis, quam antea, detestarer. Et cum frater quidam ex Presbyterorum ordine, prohiberet me, veritus ne forte nequitiæ illorum cæno commiscerer, quippe animum meum contaminatum iri ajebat, & quidem verissime, ut ipsemet sentiebam, visione cœlitus missa confirmatus. Et vox ad aures meas perlata diserte mihi præcepit hoc modo: Lege omnia, quæcunque in manus venerint. Idoneus namque es, qui singula disquiras, & examines: hacque primum occasione ad Christi fidem impulsus es. Amplexus sum visionem illam, utpote quæ Apostolicæ voci consentiret, robustissimos quoque ita compellanti: Estote periti Nummularii.* Ita *Dionysius* ipse. Ad hæc sequentia hic noto. *Primum* est, vix credibile esse, Deum monitorum esse Episcopum, sine periculo legi posse Hæreticorum Scripta.(*) Annon quilibet sanæ mentis homo sine ulla inspiratione intelligere potest, non posse recte errores Hæreticorum refelli, nisi lectis eorum scriptis? Quis ergo hæc credet Dionysio? Facile equidem crediderim, bonum Virum angore & metu inani cum talia legeret, tactum, inter meditandum, vel dormiendum aliquando vocem sibi contigisse existimasse; at miraculum interfuisse adduci non possum ut credam. (2.) Exemplo *Dionysii*, & Presbyteri, cujus mentionem facit, constat, quam mature satis Orthodoxis odium erga dissentientes fuerit ingeneratum, quam-

(*) De Origine libros Hæreticorum & Gentilium in Ecclesia christiana proscribendi, vide P. *Sarpium Historiæ Synodi Tridentinæ Tom. II. pag. 150. Edit. Amstelod.*

quamque pauci fuerint, qui ἀθεῳ παθων Hæreticorum scripta excusserint. Unde mirum non est, iis sæpe talia tribui, quæ vix credibilia sunt, aut errores minus solide fuisse refutatos. (**) (3.) Unde hauserit ea verba, γινεσθε δοκιμοι τραπεζιται *Dionysius*, ignotum est. Citantur eadem ab *Origene*, *Pamphilo* in *Apologia Origenis*, *Cl. Alexandrino*, *Cyrillo Hierosolymitano* & *Palladio* in vita *Chrysostomi*. Eruditorum de proverbio hoc sententias recensent *Valesius* ad hunc locum. *Cotelerius Monum: Eccles. Gr. pag. 756.* & *Fabricius ad Codicem Pseudep. N. Test. pag.* 330. *Valesius*, post *Usserium* ex Evangelio secundum Hæbreos hæc verba petita esse existimavit. At nil certi definiri potest; mox enim citatur in genere, quasi è Scriptura petitum; mox Christo, mox vero Paulo tribuitur. De quo videndi viri Docti, jamjam laudati.

Sed diu ante hæc tempora, *Dionysio*, atque aliis, visiones obtigisse dicuntur, quas hic, quoniam ordinem temporis non exacte sequendum in hac quidem de visionibus Christianorum disquisitione existimamus, adducemus. Idem *Dionysius* Cap. XL. Lib. VI. apud *Eusebium* ita de se loquitur: *Ego vero coram Deo loquor, & ipse scit me nequaquam mentiri, nunquam* mea *sponte, nec sine Dei nutu fugam inii. Sed & prius cum persecutionis Edictum sub Decio propositum fuisset, Sabinus Frumentarium, qui me requireret, eodem temporis momento misit. Atque ego quidem quatriduo domi mansi, adventum expectans Frumentarii. Ille vero omnia circumeundo perscrutabatur; vias, fluvios, agros, ubi me occultari, aut quo me transiturum esse suspicabatur. Verum caligo quædam obtutum ademerat, ne domum reperiret. Neque enim opinabatur me domi consistere, grassante adversus me persecutione. Vixque post diem quartum, cum Deus mihi, ut alio migrarem, præcepisset, ac præter opinionem omnium viam aperuisset; ego & famuli, multique ex fratribus simul egressi sumus. Atque id divinæ Providentiæ opus fuisse, rerum eventus postea declaravit. Siquidem nonnullis fortasse haudquaquam inutiles fuimus.* Ita *Dionysius*. Fateor hanc visionem, vel divinam admonitionem, majorem veri speciem habere, quam eam, quæ ipsi de potestate Hæreticorum libros legendi facta dicebatur. Neque igitur eam prorsus in dubium vocabo. Duo saltem moneo: *prius* est: cum *Dionysius* adfectionem

(**) Quamvis per visionem monitus esset *Dionysius* sine periculo Hæreticorum libros legi posse, impedire tamen non potuit quo minus ipse Hæreseos esset suspectus. Vide Epistolam *Athanasii de Sententia D. Alexandrini* & *Basilii Epist. XLI.* Ex recentioribus vide *Bullum defens. Conc. Nic. Cap. XI.* pag. 141. Qui obedientiam cæcam nostra ætate promovere volunt, egregia consectaria ex hac Dionysii historiola elicere poterunt.

nem animi bonam, ut supra exemplo lectionis librorum Hæreticorum dixeramus, pro insolita Dei, & extraordinaria habuerit præcepto, facile etiam fieri potuit, ut, quod prudentia factum ab eo fuerat, singulari Dei, & miraculosæ custodiæ tribuerit. *Posterius* est: verba, οὐδὲ ἀθεεὶ πεποιημαι την φυγην significare possunt ipsum in timore Domini, & invocato ejus nomine, utrum persecutorum insidiæ fugiendæ essent nec ne, semper secum expendisse. Certe alibi jam diximus, Christum ipsum injunxisse discipulis suis, ut, siquidem sine detrimento veritatis illustrandæ fieri posset, ex uno in alium locum secederent.

Idem *Eusebius* Lib. V. Cap. 28. ex *Anonymo*, quem *Cajum* quidam esse putant, sequentia de *Natali* confessore narrat. *Erat* (inquit) *quidam Natalis* (*) *nomine, Confessor, qui non ita pridem, sed nostra ætate vixit. Hic forte in fraudem inductus est ab Asclepiodoro, & altero quodam Theodoto Argentario. Ambo autem discipuli erant Theodoti illius Coriarii, qui primus ob hanc doctrinam, seu potius insaniam, a Victore, ut dixi tunc temporis Episcopo, ab Ecclesiæ communione remotus est. Hi persuaserunt Natali, ut accepto salario Hæresis illius Episcopus crearetur; ea scilicet conditione, ut menstruos centum, & quinquaginta denarios ab illis acciperet. Sociatus igitur illorum partibus sæpe a Domino corripiebatur in somnis. Clementissimus enim Deus, & Dominus noster Jesus Christus, eum, qui passionum suarum testis extiterat, perire extra Ecclesiam nolebat. Sed cum nocturnas ejusmodi visiones negligeret Natalis, utpote honore primæ apud illos sedis, & turpis lucri cupiditate (quæ multis mortalibus exitio est) inescatus, tandem a sanctis Angelis per totam noctem flagris cæsus, & gravissime verberatus est: Adeo ut primo diluculo Consurgens saccum induerit, & cinere conspersus confestim cum lacrimis ad pedes Zephyrini Episcopi sese abjecerit, non solum Cleri, verum etiam Secularium vestigiis advolutus; & Christi misericordis Ecclesiam ipsam quoque misericordem fletibus suis commoverit, atque concusserit. Multisque precibus usus, ostensis etiam vibicibus plagarum, quas pro Christi confessione pertulerat, vix tandem ad communionem admissus est.* Ita *Anonymus* ille.

Dubiam autem esse illam visionem putamus (1) quia auctoris hujus fides non adeo est nota, neque constat, utrum a *Natali* ipso, quod narrat, acceperit, an vero narrationi aliorum fidem habuerit. (2.) Hæreticos visionibus ad meliorem mentem revocari probabile non est. Rationes & argumenta duntaxat sufficiunt, ad erroris alicujus naturam

(*) In Epitome hujus disquisitionis, priori parti præmissa per errorem pro voce *Natalis*, irrepserat *Attalus*, quem ut B. Lector corrigat, aut ignoscat, oro.

ram cognoscendam. (3.) Si Deus miraculum voluisset edere, tum effeciisset, ut potius prius lucri cupiditatem ex animo ejus eradicaret, quam ut eum turpiter lapsum demum, ad meliorem mentem revocaret. (4.) Si verum est, hominem nocturnis visionibus, iisque divinis, ut errorem fateretur, admonitum fuisse, vix probabile est, Deum post hæc dignum judicaturum, ut angelicis castigationibus compulsus errori demum nuntium mitteret. (5.) Unde tandem scivit *Natalis* Angelos esse, qui ipsum flagris cœderent? ubinam audiverat Angelos Hæreticorum Tortores esse? Et si Angelos illos esset scivit, unde cognovit is, hoc ideo duntaxat fieri, quod in hæresin esset prolapsus? forte quis conjiciat, hæc ad imitationem eorum, quæ de Paulo 2. ad Corinth. XII. v. 7. dicuntur, de *Natali* fuisse tradita. (*) (6.) Si ea, quæ de Hæreticis illis *Anonymus* in sequentibus narrat, perpendo, haud a vero abhorret, quosdam ex orthodoxis eum in finem talia de *Natali* tradidisse, ut orthodoxæ doctrinæ decus aliquod adferrent, Hæreticos vero invisos redderent. Verba *Anonymi* hæc sunt: *Sacras quidem Scripturas audacter adulteraverunt, primitivæ autem fidei regulam rejecerunt.*

(*) Ex difficili hoc loco ortas puto esse incertas narrationes Veterum de nocturnis & diurnis plagis, quas Angeli, mali præsertim, piis infligere soleant. In vita *St. Antonii* ab *Athanasio* scripta, frequens mentio ejusmodi angelicarum flagarum. In Legendis sequioris ætatis, ubi omnia fictis narrationibus & miraculis augentur frequentissime in scenam adducuntur Dæmones horrendis flagris sanctos excipientes. Hæc vero fabulam sapiunt. Atque hæc una ratio est, cur auctor Historiæ Paparum gallico scriptæ Idiomate pag. 48. narrationem *Caji* rejiciat. Vidi autem nuper aliud agendo, Rev. Episcopum *Bullum. in Judicio Eccles. Cath. de necessitate Credendi quod Dominus noster Jesus Christus sit verus Deus Cap. III. pag. 27. edit: Grabii*, veritatem narrationis hujus vindicare voluisse. Verba Doctiss. Viri ita sonant: *Cæterum ad repetitas visiones quod attinet, quibus ipse Dominus Jesus se exhibuisse divinæ suæ Majestatis vindicem lapsique Confessoris insaniam castigasse hic dicitur; nemo ipsas ut fictas facile rejiciet, qui observaverit hæc narrasse ipsum illum Confessorem de turpissimo lapsu suo, pœnitentiam in Ecclesia serio agentem coram multis testibus, quorum plerorumque tum superstitum fidem appellaverit gravissimus hujus Historiæ Scriptor:* Ita *Bullus*. Duo reponimus. *Prius* est, non diserte dici ab Auctore hæc coram multis testibus in Ecclesiæ conventu fuisse dicta. *Posterius:* non negamus, *Natalem* errorem suum publice confessum; neque in dubium etiam revocamus quæ de angoribus conscientiæ narrat Confessor. Hoc unum disquiritur, utrum visiones vere divinæ in somno illi obtigerint, flagrisque fuerit ab Angelis cæsus. Potuit ob fœdissimum errorem & lapsum in quem ob avaritiam incidit, diu noctuque macerari sine Angelorum flagris & nocturnarum visionum monitis. Quid enim magis vel primis Religionis Elementis est contrarium, quam ob turpe aliquod lucrum errori, quem exitialem esse ipsimet confitemur, patrocinari? an non facile de hujus criminis atrocitate sine visionibus nocturnis potuit convinci *Natalis*? cæterum hic ipse *Cajus* in disputat: contra *Proclum* Montanistam, probaturus Catholicæ Ecclesiæ excellentiam, & dignitatem ad S. Corpora *Petri* & *Pauli* Romæ servata provocavit; de quo videndus *Spanhemius Quatern. Dissertat. 1.*

Christum ipsum denique ignoraverunt, non inquirentes, quid sacræ doceant scripturæ, sed cujusmod syllogismorum figura, ad confirmandam impietatem suam, reperiatur, assidue meditantes. Quod si quis aliquem divinæ scripturæ locum iis objiciat, examinant, utrum connexum an disjunctum syllogismi genus ex eo confici possit. Relictisque atque abjectis sacris Dei scripturis Geometriæ studeut; quippe qui terrestres sint, & loquantur terrena, & illum, qui de cœlo advenit, ignorent. Euclidis igitur geometria apud nonnullos eorum studiose excolitur. Aristoteles vero & Theophrastus summa admiratione suscipiuntur. Galenus autem a quibusdam etiam adoratur. Proinde istos, qui infidelium artibus ac disciplinis, ad stabiliendam hæresis suæ opinionem, abutuntur, & subtili impiorum hominum versutia simplicissimam divinarum scripturarum adulterant fidem, remotissimos esse a fide, quid attinet dicere? Ita *Anonymus.* Verosimile est, homines, his Literis excultos, Episcopum electuros fuisse, qui talium disciplinarum amore quoque esset captus. Difficile autem perquam est credere, homines eo ingenio ornatos, atque his studiis addictos, nocturnis visionibus ab erroribus iri revocatum. Quod si vero rudis literarum Philosophicarum mera auri cupiditate huic factioni sese addixit *Natalis*, stimulis conscientiæ sine miraculo ad meliorem mentem revocari potuit. Quicquid sit, hoc certum, Auctorem *constit. Apostol.* qui hoc seculo vixisse videtur, ejusmodi librorum lectionem Episcopis & universo Clero non commendasse. Vid. *Constit. Apost. Lib. I. Cap. VI.* & ibi *Cotelerium.* Idem *Eusebius*, postquam initio *Lib. VI. Cap. II. sq.* de virtutibus *Origenis*, & discipulorum ejus, Martyrium etiam passis, multa præclara narrasset, meminit miræ conversionis *Basilidis*, unius ex apparitoribus, qui *Potamiænam*, non tantum elegantis formæ, castissimæque vitæ, sed & pientissimam, atque veritatis amantissimam fœminam ad supplicium abduxerat. Rem ita narrat *Eusebius: Protinus igitur Judicis* (inquit) *sententia damnatam Basilides, unus ex apparitoribus, ad supplicium abducit. Cumque vulgus eum vexare, & obscœnis verbis ei illudere conaretur, Basilides quidem eos, qui contumeliam virgini faciebant, absterrens propellebat, multaque misericordiæ, & humanitatis erga illam præbebat indicia. Illa vero benignitatem hominis erga se libenter amplectens, bono animo eum esse jussit: Se namque post obitum salutem ipsius a Domino impetraturam, & collata in se beneficia brevi remuneraturam esse. Hæc cum dixisset ferventi pice per varia corporis membra ab imis pedibus ad ipsum usque capitis verticem lente ac paulatim circumfusa, mortem constanti animo pertulisse memoratur, & hujusmodi quidem certamen*

tamen nobiliſſima virgo decertavit. Brevi autem poſt Baſilides, cum ob neſcio quam cauſam a contubernalibus ſuis ſacramento adigeretur, nefas eſſe ſibi affirmavit omnino jurare, quippe Chriſtianum ſe eſſe, idque palam profiteri. Illi primo quidem hominem jocari arbitrabantur. Verum cum id conſtanter aſſeveraret, ad Judicem eſt perductus, apud quem fidei ſuæ conſtantiam profeſſus in vincula conjicitur. Cumque quidam in Domino fratres eum audiiſſent, & cauſam ſubitæ illius atque inſperatæ converſionis interrogarent, dixiſſe fertur, Potamiænam tertio poſt Martyrium die noctu ſibi adſiſtentem coronam capiti ſuo impoſuiſſe, dixiſſeque, ſe ipſius cauſa Dominum oraſſe, atque id, quod petierat, impetraſſe; nec diu poſtea ipſum ad ſuperos migraturum. Poſt hæc ſignaculo Domini a fratribus accepto, poſtridie Chriſtum glorioſe confeſſus, capite truncatus eſt. Plures quoque alii ex Alexandrinis Civibus eodem tempore ad fidem Chriſti ſubito tranſiiſſe memorantur, quos ſcilicet Potamiæna in ſomnis apparens ad id faciendum provocaverat. Ita *Euſebius*. Cur autem hanc narrationem non omni exceptione majorem putem, ſequentia obſtant. (1.) *Euſebius* Cap II. ait, ſe ea, quæ narraturus ſit de *Origene*, partim ex epiſtolis *Origenis*, partim ex diſcipulis, qui ſua adhuc ætate floruerint, habuiſſe. Cum vero verba ipſa *Origenis* in epiſtolis illis contenta, non producat *Euſebius*, credibile eſt, ab iis ipſum audiviſſe, qui ſua ætate magni, & quidem merito, faciebant *Origenem*. At multa inde ab anno 210. quo Martyrium paſſa dicitur præſtantiſſima fœmina ad ætatem *Euſebii*, de *Origene* dictitari potuerunt, quæ incerta plane eſſent, atque dubia. (2.) *Euſebius* inſolitæ converſionis *Baſilidis* mentionem faciens ait: Λεγεται ειπειν dixiſſe fertur. (3.) Extat in Hiſtoria Lauſiaca *Palladii* Epiſcopi Hellenopolis Cap. 3. brevis narratio Martyrii *S. Potamiænæ*, quam ab *Antonio* ſe didiciſſe beatus *Iſidorus* profitetur. At picis quidem, in quam conjecta fuiſſe dicitur, meminit; converſionis vero ſingularis *Baſilidis* prorſus nullam facit mentionem. At quis credat, *Antonium*, quo erat ingenio, ſi conſtans hujus rei fama fuiſſet, rem commemorabilem ſilentio fuiſſe preſſurum? Vide Hiſtoriam *Palladii* apud *Ruinartum* Act. Mart. pag. 123. (4.) Non dubito, quin pientiſſimæ fœminæ imago, animis & oculis civium fuerit obverſata, hortatura quaſi ad idem conſtantiæ ſtadium decurrendum; at quod ipſa, miſſa cœleſtis gloriæ ſede, ſi vel maxime glorioſo corpore, quo tamen nondum erat induta, fuiſſet ornata, ipſis Alexandrinis adſtiterit, vix mihi perſuadeo. Certe quomodo ipſamet mente cœlo recepta, ſeſe viſendam exhibere potuerit, non capio. Quod ſi dicas,

Deum

Deum per miraculum eam Alexandrinis visendam exhibuisse, ut imagine ipsius incensi ad Martyrium obeundum alacriores essent, respondeo: neque hoc probabile esse. Cum enim Alexandrini testes essent ἀυτοπται incredibilis constantiæ, sine miraculo ad tantarum virtutum imitationem incitari potuissent. Certe, ut non semel dixi, Deus sine necessitate miracula patrare non solet. (5.) *Basilides* ille apparitor homo erat a Religione Christiana alienus. Quomodo autem sola visione illa exhibita de Religionis christianæ divina origine ita potuit persuaderi, ut statim ad Martyrium, pro ea obeundum paratus esset? num veri nominis Martyr est, qui nondum rite persuasus mortem appetit? Quod si dicas, hominem admirabili constantia *Potamiænæ* alte ad animum revocata de Religionis christianæ veritate edoctum fuisse, atque demum percepta cœlestis disciplinæ præstantia, sanguinem pro ea fudisse, tum opus non erat mirabili illa adparitione. Certe narratio hæc nitebatur opinione tum temporis recepta, sanctos post mortem pro vivis Deum orare, atque eorum preces plurimum valere.

Quæ de singulari Electione *Fabiani* Episcopi Romani *Eusebius* narrat Lib VII. Cap. XXIX. huc non pertinent. Vide quid de hac Historia judicent Viri Doctissimi *Hasæus*, & *Heumannus Biblioth. Brem. Class. III. pag. 435.*

Redeamus ad visiones Martyrum hujus seculi. *Ruinartus* ad An. 259. refert Acta Martyrii *Fructuosi Episcopi*, *Augurii*, & *Eulogii Diaconorum.* Quæ huc faciunt sic sonant. l. citato pag. 221. *Igitur in foro Amphiteatri constitutus* (Sc. Fructuosus) *cum jam prope esset, ut ingrederetur ad coronam immarcessibilem potius, quam ad pœnam, observantibus licet ex officio beneficiariis, quorum nomina supra memorata sunt, ita ut ipsi audirent fratres nostri, monente pariter & loquente spiritu sancto. Fructuosus Episcopus ait: Jam non deerit vobis Pastor, nec deficere poterit caritas, & repromissio Domini, tam hic, quam in futurum. Hoc enim, quod cernitis, unius horæ videtur infirmitas. Consolatus igitur fraternitatem ingressi sunt ad salutem: digni & in ipso Martyrio felices, qui S. Scripturarum fructum ex promissione sentirent similes Ananiæ, Azariæ, & Misaeli extiterunt, ut etiam in illis Trinitas divina cerneretur. Siquidem jam in igne singulis constitutis, ut Pater non deesset, & Filius subveniret, & Spiritus sanctus in medio ignis ambularet. Cumque exustæ fuissent fasciolæ, quibus manus eorum fuerant colligatæ, Orationis Divinæ, & solitæ consuetudinis memores, gaudentes positis genibus, de resurrectione securi in signaque Tropæi Domini constituti, Dominum deprecabantur, donec simul animas*

animas effuderunt. Posthæc solita Domini non defuere magnalia, apertumque est cœlum, videntibus Babylon, & Mygdonio fratribus nostris ex familia Æmiliani Præsidis, qui etiam filiæ ejusdem Æmiliani, Dominæ eorum carnali ostendebant Fructuosum Episcopum cum Diaconibus adhuc stipitibus, quibus ligati fuerant, permanentibus in cœlum ascendentes coronatos. Cumque Æmilianum vocarent, dicentes: Veni, & vide quos hodie damnasti, quemadmodum cœlo & spei suæ restituti sunt. Igitur cum Æmilianus venisset, videre eos non fuit dignus.

Fratres autem tristes, vel ut derelicti sine Pastore sollicitudinem sustinebant: non quod dolerent Fructuosum, sed potius desiderarunt, unius cujusque fidei, & agonis memores. Superveniente autem nocte ad Amphitheatrum cum vino festinanter pervenerunt, quo semiusta corpora extinguerent. Quo facto eorundem Martyrum Cineres collectos, prout quisque potuit, sibi vindicavit. Sed nec in hoc Domini & Salvatoris nostri defuere Magnalia, ut credentibus fides augeretur, & parvulis monstraretur Exemplum. Oportebat enim Fructuosum Martyrem, quod in seculo per Misericordiam Dei docendo promiserat in Domino, & Salvatore nostro in sua postea passione & resurrectione carnis comprobare. Igitur post passionem apparuit fratribus, & monuit, ut, quod unusquisque per caritatem de cineribus usurpaverat, restituerent sine mora, uno quoque in loco simul condendos curarent. Æmilio etiam, qui eos damnaverat, Fructuosus pariter cum Diaconibus suis ostendit, se in stolis repromissionis increpans pariter, & insultans nihil profuisse, quod frustra exutos a corpore in terra crederet, quos cerneret glorioso. Ita Acta.

Quam sincera hæc sint Acta ex narratione ipsarum circumstantiarum cuivis cordato constare potest. Nullus dubito, quin *Fructuosus* cum suis Diaconis Martyrium perpessus sit: at circumstantias omnes heic adjectas veras esse non credo. Provocat equidem *Ruinartus* ad *Augustinum*, & *Prudentium*, qui horum Martyrum mentionem injecerint. At centum demum post hoc Martyrium annis nati sunt hi Patres. Natus enim est *Augustinus* An. CCCLIV. *Prudentius* vero An. CCCLXVIII. quorum annorum spatio multa potuerunt addi, & a posteris etiam adjecta sunt. Ipse *Prudentius* libro de coronis, in quibus hymnos in laudem Martyrum canebat, fatetur, tempus edax, Gentiliumque furores Acta multa Martyrum sustulisse. Hinc ait Hymno I. v. 73.

O vetustatis silentis obsoleta oblivio!
Invidentur ista nobis, fama & ipsa extingitur
Chartulas blasphemus olim nam satelles absulit.

Notum præterea ſeculi IV. Scriptores in his rebus admittendis faciles nimis fuiſſe, fatente ipſo *Dodwello Diſſertat. Irenicarum 2. Theſi LV.* pag. 195. (2.) Circumſtantiæ ipſæ oſtendunt, Auctores fabulas adjicere religioni non duxiſſe. Dicitur Spiritus Sanctus in medio ignis ambulaſſe, quod aut ineptum, aut metaphorico ſenſu intelligendum. (3.) Dicuntur *Babylon* & *Mygdonius* vidiſſe *Fructuoſum* in cœlum aſcendere, *Prudentius* vero verſu 121. Unius tantum meminit. Idem *Prudentius* non meminit Martyrum *Æmiliano* minantium. (4.) *Æmilianum* hoſtem Chriſtianorum duos Chriſtianos, quos fratres vocant Actorum Auctores, in contubernio habuiſſe, a veriſimilitudine abhorret. (5.) Viſos eſſe ſtipitibus, quibus ligati fuerant, permanentibus, tres Martyres in cœlum raptos fabula eſt. (6.) Increpatio de cœlo erga *Æmilianum* facta, non magis credibilis eſt. (7.) Idem dixeris de monito cineres colligendi. Recte ad hæc addit *S. Baſnage*

ſcilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos
ſollicitat.

Sequntur apud *Ruinartum* Acta Martyrii *Jacobi*, *Mariani*, & aliorum in Numidia. Annus, quo hæc contigiſſe dicuntur, eſt 259. pag. 225. & ſeq. apud *Ruinartum* referuntur viſiones, quæ *Jacobo*, & *Mariano* contigiſſe dicuntur, ſed ita comparatæ, ut ſine miraculo naturaliter obtingere ipſis potuerint. Nimirum huc omnia redeunt; Martyres in cœlo ſingularibus iri mactatum honoribus, unde & vidit *Marianus Cyprianum* Martyrem ad dextram Judicis. Apponam ſaltem *Æmiliani* Militis viſionem, ex qua de cæterorum etiam Valore judicari poteſt. Verba ita ſonant: *Æmilianus in ſomnum media die reclinatus, moxque quiete diſcuſſa, talia nobis ſuæ viſionis patefecit arcana: perducto mihi, inquit, de carcere, homo gentilis, hoc eſt frater meus carnalis, occurrit. Is res noſtras admodum curioſus inſultabunda voce perquirit, ſciſcitans quatenus nos in pœnalibus tenebris illis, & medio carceris haberemus. Cui reſpondi: Milites Chriſti in tenebris Clariſſimam lucem, & in jejunio cibum ſaturabilem Dei habere ſermonem. Et cum hæc audiret: Scitote, inquit, quod omnes vos, quicunque in carcere habemini, ſi obnixe perſtabitis, maneat pœna capitalis. At ego, qui verebar, ne compoſitum luderet fraude mendacium, confirmare votum meum volui: Vere, inquam, patiemur omnes? At ille rurſus affirmans dixit: Gladius vobis, & ſanguis in proximo eſt. Sed velim ſcire an omnibus vobis, qui vitam contemnitis, diſcreta, an æqualia munerum cœleſtium præmia rependantur?*

Cui

Cui respondi: non sum idoneus tam magnæ rei proferre sententiam. Attolle, inquam, ad cœlum pauliſper oculos, jam videbis innumerabilem turbam micantium ſyderum. Numquid ſtellæ omnes pari luminis bonore præfulgent? Et tamen omnibus lumen eſt. Ad hæc ille curioſus iterum, quid interrogaret, invenit. Ergo ſi qua diſcretio eſt, inquit, qui veſtrum ſunt in promerenda Dei voluutate potiores? Nimirum, inquam, præ cæteris Duo, quorum nec tibi, dicenda & Deo nota ſunt nomina. Noviſſime acrius incumbente atque perſcrutante moleſtius: Hi ſunt, inquam, qui, quo difficilius & rarius vincunt, glorioſius coronantur, & propter hos ſcriptum eſt: facilius camelus intrabit per foramen acus, quam dives in regna cœlorum. Ita Miles ille. Hæc certe ſimplici narrationi, quam cœleſti, & extraordinariæ viſioni magis ſunt convenientia. Ut adeo mirum plane eſſet, ſi hic miraculum interceſſiſſet. Omnia huc redeunt: gradus fore in futura vita; eminentem autem dignitatis gradum accepturos Martyres. Hæc ſane ſine viſione cognoſci poſſunt. Mirum autem eſt hominem gentilem de gradibus hiſce adeo fuiſſe ſollicitum.

Sequente IX. Sectione horum *Actorum* de quodam Martyrum hæc dicuntur: „*Et ecce unus e circumſtantibus fratribus noſtris, omnium „in ſe gentilium convertit oculos, quod jam per gratiam proximæ paſſio„nis Chriſtus in ore ejus & facie relucebat.*. Qua ratione hæc explicari poſſint, fateor me intelligere non poſſe.

Sect. XII. ſequentia de Martyribus quibusdam dicuntur: *Tunc oculis ſub ictu ferri de more velatis, nullæ tamen aciem liberæ mentis clauſere tenebræ, ſed largus atque inæſtimabilis ſplendor immenſæ lucis affulſit. Nam plerique cum proximis atque aſſiſtentibus ſibi fratribus, quamvis in viſum carnalis acies non pateret, videre tamen ſe mira loquebantur; & quod ſibi apparerent equi deſuper niveo colore candentes, quibus inveherentur juvenes Candidati. Nec defuerunt ex eodem Martyrum numero, qui Collegarum relationem atteſtarentur auribus & exauditos equorum fremitus ac ſonos recognoſcerent.* Mirum eſt, qua ratione auribus ſtrepitum equorum percipere potuerint, quorum tamen imaginationi duntaxat, non vero externis ſenſibus, equi illi objiciebantur. Duplex miraculum interceſſiſſe dicendum, & quidem eum duntaxat in uſum, ut probaretur, Martyres gloriam ingentem conſecuturos, de quo ante Martyrium nullus Chriſtianorum dubitaverat. Omnes tamen viſiones illæ, ad hoc unum declarandum tendunt. Ita pag. 232. Sect. VII. *Viſio*, quæ *Victori* contigiſſe dicitur, ejusdem eſt argumenti. Supereſſent, ad hoc ſeculum quod ſpectat, viſiones, quæ *Gregorio Thaumaturgo*

turgo obtigisse a *Nysseno* dicuntur. At cum omnes, quibus nasus est, facile sentiant, vitam hanc *Thaumaturgi* innumeris fabulis esse repletam, tempus in examinandis hujus Patris visionibus non teram. Ipse *Dodwellus*, strenuus Patrum defensor, *Dissertat. Cypr. Dissertat. IV. Sect. XVI.* ita loquitur: *Benignum hic præberet argumentum vel una illa Gregorii Thaumaturgi, Origenis discipuli, vita, a Nysseno conscripta; ni id metuerem, ne certioris fidei monumentis fidem detraherem, si incertiora etiam coacervarem. Hausit illa Nyssenus non e coævis monumentis, sed vero ex orali plerumque traditione, nec illa propius, quam ex unius ad minimum ætatis intervallo deducta.* (*)

XIII. Pergimus igitur ad Seculum IV. specimina quarundam visionum sed falsi suspectarum exhibituri. At breviori compendio, quæ dicenda sunt, complectemur, partim quod hoc seculo fabulis omnia plena sint, partim quod Viri Doctissimi hujus seculi scriptorum, *Chrysostomi* præsertim & *Augustini* testimoniis comprobarint, miracula, veri nempe nominis, hoc seculo desiisse. Vide quæ de hoc argumento differant *Dodwellus Dissertat. Irenaic. II.* Sect. LIX. & LX. & *Pfannerus diatrib. de donis miraculosis.* Cap. VII.

Atque hic quidem primum sibi locum deposcit visio, quæ *Constantino magno* vigilanti, & somnianti obtigisse dicitur. Rem omnem narrat *Eusebius Lib. I. Vitæ Constantini Cap. XXVIII. sq.* Postquam enim Cap. 27. ad finem dixisset, *Constantinum* solum Deum Genitoris sui sibi colendum esse censuisse, sic pergit: *Hujus ergo opem implorare cæpit, orans atque obsecrans, ut se ipsi noscendum præberet, ac præsentibus negotiis adjutricem manum porrigeret. Hæc precanti ac suppliciter postulanti Imperatori quoddam admirabile signum a Deo missum apparuit. Quod siquidem ab alio quopiam diceretur, haud facile Auditores fidem essent habituri. Verum cum ipse Victor Augustus nobis, qui hanc Historiam scribimus, longo post tempore, cum videlicet in ejus notitiam, & familiaritatem pervenimus, id retulerit, & sermonem sacramenti religione firmaverit, quis posthac fidem huic narrationi adhibere dubitabit, præsertim, cum*

(*) Lege duntaxat, quæ *Nyssenus* in Oratione de vita hujus *Gregorii*, de Dæmonibus e Gentilium templis per *Gregorium* ejectis; de ingentis molis Saxo solo verbo ex uno in alium locum trajecto; de lacu eadem verborum efficacia in continentem redacto; de baculo *Gregorii* in arborem mutato, sine pudore garriat, & cujus furfuris cætera futura sint facile constabit. Cætorum ego nullus dubito, quin visiones illæ passim inter Christianos jactatæ effecerint, ut hujus & sequentis Seculi Philosophi Platonici *Plotinus*, *Jamblichus*, *Porphyrius*, *Proclus*, *Syrianus*, aliique non dubitaverint divinam ejusmodi facultatem sibi tribuere. Testimonia hujus rei diligenter collegit *Doctissimus & Amicissimus Bruckerus Hist. Philosoph. Tom. III.*

cum id, quod subsecutum est tempus, hujus veritatem testimonio suo confirmaverit? Horis diei meridianis, sole in occasum vergente, crucis tropæum, in cœlo ex luce conflatum, soli superpositum, ipsis oculis vidisse affirmavit, cum hujusmodi Inscriptione: Τουτο νικα, hoc vince. *Eo viso, & seipsum & milites omnes, qui ipsum, nescio quo iter facientem, sequebantur, & qui spectatores miraculi fuerant, vehementer obstupefactos. Interim ipse, ut ajebat, addubitare animo cæpit, quidnam hoc spectrum sibi vellet. Cogitanti ipsi, & diu, multumque apud se reputanti, nox tandem supervenit. Tum vero Christus Dei dormienti apparuit cum signo illo, quod in cœlo ostensum fuerat, præcepitque, ut militari signo ad similitudinem ejus, quod in cœlo vidisset, fabricato, eo tanquam salutari præsidio in præliis uteretur. Ille primo statim diluculo surgens, arcanum omne amicis exposuit. Convocatis deinde auri ac gemmarum fabris medius inter eos sedens, speciem signi eis sermone depinxit, jussitque ut auro ac lapillis similitudinem ejus exprimerent.* Enarrata deinde Cap. XXXI. crucis forma ita loquitur *Eusebius. Hoc igitur salutari signo, tanquam munimento adversus oppositas quorumvis hostium copias Imperator semper est usus; aliaque ad ejus similitudinem expressa signa cunctis exercitibus præferri jussit.* Hactenus *Eusebius.*

Variæ sunt *Virorum Doctorum* conjecturæ de his visionibus. Quidam neutram in partem propendent. Alii *Eusebio* fidem habendam putant propterea quod Imperator hoc juramento confirmavit. Rem ipsam admittit, sed ad naturales causas refert, crucemque in *halone* tum solari comparuisse existimat Cl. *Fabricius* ὁ Μακαριτης *Biblioth. Gr. Vol. VI. Cap. I.* (*)

Alii denique inter fabulas, vel artes militares rem omnem referunt, ut *Hornbekius*, *Oiselius*, *Tollius*, & *Arnoldus*. Eorum nos accedimus sententiæ, quibus visiones hæ falsi suspectæ sunt. Et hic adsunt duplicis generis argumenta. Quædam ex circumstantiis ipsius narrationis emergunt; aliæ vero desumi possunt ex fine & intentione facti miraculi. Si ad circumstantias rei gestæ attendamus, ex ipsa varietate narrationis patebit, jure de visione illa diurna dubitari posse. Rationes has, cum in unum congesserit *S. Basnage* Annal. Tom. II. pag. 631. Eas in gratiam Lectoris hîc adducam. *Ac primum* (inquit)

(*) Quid de hac Magni Viri sententia judicaverint Illustris Cuperus, & Jesuitæ Trevoltienses vide in βιογραφια Fabricii pag. 263. Inter recentiores sententiæ Celeb. Fabricii subscripsit Eruditissimus Warburton. Vide le Journal Britanique mens. Septembr. 1750.

Lactantius, qui Magister datus Crispo Cæsari, familiari Constantini colloquio usus est sæpius, de diurno crucis Tropæo, ex luce conflato, ne verbum quidem habet. Hæc tantum habet: (de mort persecut. Cap. 44.) *Commonitus est in quiete Constantinus, ut cœleste signum Dei notaret in scutis, atque ita prælium committeret. Quid? præteriissetne silentio diurnum crucis prodigium, si hujus notitiam habuisset? potuit ne vero illud nescire, si Constantino apparuit? Nonne prodigium æque Lactantio locutus esset, atque Eusebio? Argumenti vires intendit Ruffinus in Eusebianæ Historiæ versione: Constantinus videt per soporem ad orientis partem in cœlo signum crucis igneofulgore rutilare. Dormienti igitur, non vigilanti cœleste signum Constantino oblatum est, idque prædicabat traditio, quæ Ruffini tetigit aures. Visi quoque diurni Sozomenus ignarus est. Belli Maxentiani curis districtus Constantinus vidit in somnis* (ita Sozom. Lib. I. Cap. 3.) *Signum crucis in cœlo resplendescens. Præterea tam publicum dissimulasse prodigium Auctorem Panegyrici, non modo multo post cœleste visum, in laudem Constantini dicti, quis credat? Quæ felicior atque amplior in Panegyrico materia? De eo tamen ostento profundum agit silentium. Quid quod Nazarius, qui celebratum obscura, incertaque fama miraculum extollit in Panegyrico, de fulgida cruce nihil commemorat: Romano quodam in bello ferunt, duos cum equis juvenes extitisse, spectatos forma pariter, ac viribus, quia in dimicando præter cæteros insignes fuissent, jussu Imperatoris ad remunerandum requisitos, ubi nullus inveniebatur, fides habita est, divinos fuisse, quod laborem sedulo communicavissent, laboris pretium respuissent . . . . Estote, o gravissimi Auctores, de scriptorum Religione securi, credamus facta, quæ majora nunc sensimus . . . duo quondam juvenes, sed nunc exercitus visi. Scilicet Nazarius, qui ficta, incerta saltem prodigia narrat, notissimum Romanis, publicumque miraculum præteriisset. Denique Ethnicorum nullus Historicorum celeberrimæ hujus visionis meminit. Id sane constat ex Gelazio Cycizeno crucem illam diurnam Ethnicis ludibria dedisse: Hæc narratio* (Gelas. Conc. Nic. Lib. I. Cap. 4.) *Infidelibus fabula, & commentum esse videtur in gratiam doctrinæ nostræ. Quod si palam, publiceque Romanorum ante oculos lucida crux adducta est, mirum quod Ethnicis pro fabula habita sit. Itaque sunt Eruditi, qui in somnio divinitus profecto visam a Constantino crucis figuram existiment. Quorum unus est Joannes Columbus in notis ad Lactantium. De nocturna hac visione fidem faciunt post Lactantium inscriptiones, quas Romæ Constantinus poni jussit.* Ita *S. Basnagius.* Hæc a Doctissimo Viro allata testimonia non levis sunt ponderis. Ipse *Valesius* ex textu græco,

non

non sine ratione conjicit, visionem illam die inclinato jam factam. Hoc certum, præter *Eusebium* neminem visionis illius meminisse. Fortius autem adhuc argumentabimur contra visionem illam mirabilem, si ad finem, quem Deus, edito hoc portento, intendisse dicendus esset, animum convertamus. Aut enim dicendum est, Deum per crucis illam figuram, sive interdiu, sive noctu *Constantino* oblatam significare voluisse, crucem sive ex auro, sive ex argento, vel quacunque materia factam, incredibilem vim habere, adversus hostes, & ad varios corporis, mentisque morbos tollendos: aut Deum saltem illi in memoriam revocare voluisse cruentam passionem Jesu Christi, ejusque ad tollenda hominum peccata mirificam efficaciam: Prius nemo sanus credet. Ita enim Deus turpissimam superstitionem miraculo confirmasset. Præscivit sine dubio Deus, quam alte jam hoc seculo radicata esset superstitio, quamque vim signaculo crucis tribuere solerent ingenia ad superstitionem prona. Quod si igitur insigne portentum edidisset ad stabiliendam crucis ipsius, e quacunque tandem materia constantis, vim & efficaciam, ad superstitionem *Constantinum* induxisset, quod sanctissimæ naturæ divinæ contrarium est. Accedit quod ante visionem *Constantinus* talia de cruce cogitaverit. Postulavit enim a Deo, teste *Eusebio*, Cap. XXVIII. ut præsentibus negotiis adjutricem manum præberet. Hinc Christus ipse in somno Constantino visus juſſit, ut hoc signo προς τας των πολεμιων συμβολας ἀλεξηματι uteretur; & Cap. XXXI. τετω μεν τω σωτηριω σημειω πασης ἀντικειμενης καὶ πολεμιας δυναμεως ἀμυντηριω διαπαντος ἐχρητο βασιλευς. Prorsus igitur falsum, Deum, ad ineptam, & superstitiosam opinionem confirmandam miraculum patrasse. Quod si quis ad alterum prolabatur, asserendo; Deum hac ratione in memoriam revocare *Constantino* voluisse, cruentam passionem Soteris nostri Jesu Christi, & incredibilem ejus ad tollenda peccata efficaciam, nec sic quidem quicquam dicit, quod veri amanti satisfaciat; ut enim non dicam, longe plura, ad salutarem divinæ passionis notitiam comparandam requiri, quam nuda crucis imago offerre potest; ut taceam etiam nil prodesse repræsentationem alicujus rei corporeæ, nisi prius jam cognitum, perspectumque sit, quid illa sibi velit, quemque in finem ad aliquid repræsentandum sit instituta; Denique non dicam *Constantinum* hactenus Religionis christianæ ignarum fuisse; ut, inquam, hæc omnia prætermittam, potuit facillime *Constantinus* de universa Religione christiana, & capitali hoc articulo sine portentosa crucis repræsentatione edoceri;

habuit

habuit *Constantinus* Parentem nulli ob religionem gravem ; mater Christianæ disciplinæ erat dedita ; Familia ejus a Christianis variis adficiebatur beneficiis ; aderant magno numero homines Religionis christianæ gnari, a quibus de singulis cœlestis disciplinæ capitibus , accuratam notitiam accipere poterat ; Quid ergo opus erat umbratili quadam crucis repræsentatione , per miraculum phantasiæ objecta ? Accedit , quod ipso teste *Eusebio* , Cap. XXXIII. hujus vitæ *Constantini*, demum post visum oblatum catechumenus factus sit , atque prima Religionis christianæ rudimenta fuerit edoctus. Quid autem necesse est, per miraculum rem offerre , quam non intelligas , cujusque naturam & indolem postea non sine labore addiscas ? Quæ hactenus dicta sunt ita mihi comparata esse videntur , ut sive priorem , sive posteriorem propositionis partem tuearis , frustra te esse probe cognoscas.

Opponunt autem nobis Viri Doctissimi *Eusebii* narrationem , & juramentum *Constantini*. At velim attendant ad sequentia. *Primo* fatetur ipse *Eusebius* , *Constantinum* , elapso non exiguo temporis spatio demum sibi mirabilem narrasse fabulam. At quis credat tandem rem adeo miram , & ab universo Exercitu interdiu visam , Christianos , & ipsum *Eusebium* latere potuisse ? *Secundo* , notum est ipsum *Eusebium Constantini* Encomiasten fuisse , atque religioni non duxisse singulas actiones ejus & virtutes in majus extollere. Potuit igitur *Eusebius* , quoniam hoc plurimum ad laudes Imperatoris facere posse videbat , fingere , ac si hoc ipsum sibi ab Eo narratum fuisset ; quod si dicas *Eusebium* equidem antea cognovisse mirabilis rei historiam , confirmatum autem duntaxat ab ipso *Constantino* ; Respondeo , opus plane non fuisse sermonem sacramenti religione firmare in probanda re notissima , & cujus universus Exercitus , hostes atque amici testes esse possent. *Tertio*. Receptum erat hujus seculi dogma : *Fallere ac mentiri , si res ita postulet Religionis , virtutem esse*. Quod ipsum totidem verbis adserit *Eruditissimus Mosheimius Hist. Eccles. pag. 248.* licet ipsemet ad juramentum Principis provocet ; Num igitur mirum esset , si *Eusebius* Encomiastes perpetuus *Constantini* , talia ipsemet excogitasset ? Quod si quis putet , tantam impudentiam in *Eusebium* cadere non posse , nondum tamen probavit , juramentum Principis necessario inferre , veri nominis hic miraculum intercessisse. Ut enim non dicam , non adeo circa hoc argumentum religiosum fuisse semper Principem , quod ex iis , quæ cum *Licinio* acta sunt , haud obscure patere videtur , (*) potuit juramento

(*) Vide Acta Halens. Tom. I. Observat. XXIV. Sect. VIII.

mento confirmasse, rem sibi, ut existimavit, visam, atque adeo convenienter persuasioni suæ licet erroneæ loqui, neque adeo contra conscientiæ dictamen peccare. Nimirum rem omnem ita concipio: *Constantinus* teste *Eusebio*, multas ob rationes inceperat de Religione gentili minus reverenter sentire; audiverat Christianos gloriari, eos, qui sanctissimæ disciplinæ nomen darent, præsentissimam Dei curam, & præsidium experiri, atque inprimis de cruce & passione Christi multa verba facere, signaculo etiam crucis plurimum tribuere; animus præterea inter spem & metum ob imminentis pugnæ eventum dubius erat, atque anceps. Noctu igitur in somnum resolutus, visus sibi est crucem illam tanquam certissimum contra hostes præsidium a quoquam adferri. Cumque amicis, quid sibi oblatum fuisset, narrasset, Christiani, qui bene ei cupiebant, insomnio in suam rem utentes, non sine miraculo hoc ei obtigisse narrarunt, atque adeo magis magisque confirmarunt, ut tanquam rem cœlitus oblatam visum illud agnosceret. Hæc quin ea ratione contingere potuerint, nullum est mihi dubium. Certe minoribus difficultatibus obnoxiam esse hanc meam interpretationem credo, quam pervulgatam illam, & miraculo plenissimam. At fruatur quisque suo judicio. Hæc ipsa visio, quæ *Constantino* contigisse dicitur, aliam, quam Helena mater ejus habuisse dicitur, mihi in memoriam revocat. Meminit illius *Socrates Hist. Ecclesiast. Lib. I. Cap. XVII.* Rem ita narrat Historicus: *Mater Imperatoris Helena, cujus gratia Imperator Drepanum, quam ex vico civitatem effecerat, Helenopolim voluit appellari; a Deo in somnis admonita venit Hierosolyma. Et cum veterem illam Hierusalem, juxta Prophetæ vaticinium desertam sicut pomorum custodiam offendisset, Christi monumentum, in quo ille sepultus resurrexit, studiose cœpit perquirere, ac difficile quidem illud, sed tamen opitulante Deo tandem reperit. Quæ vero causa fuerit hujus difficultatis paucis aperiam. Qui Christi fidem sequebantur post mortem ejus, monumentum istud magnopere coluerunt. Hi vero, qui a Religione Christi abhorrebant, locum aggere opplentes templum Veneris in eo extruxerunt, & simulacro superposito, memoriam loci penitus abolere studuerunt. Et hoc quidem olim eis successerat. Verum Imperatoris matri ea res innotuit. Deturbato igitur simulacro, egestaque humo & loco undique purgato, tres cruces in monumento reperit: Unam quidem beatam, in qua Christus pependerat: Duas vero alias, in quibus duo latrones, qui una cum illo crucifixi sunt, mortem obierant. Cum his inventa etiam est tabella, in qua Pilatus Christum crucifixum Regem esse Judæorum variis linguis ac literis pronuntiaverat*

tiaverat. Sed quoniam ambiguum erat, quænam esset crux illa, quæ quærebatur, Mater Imperatoris non mediocri dolore affecta est. Quem quidem brevi post tempore Hierosolymorum Episcopus, nomine Macarius sedavit, & ambiguitatem omnem fidei virtute dissolvit. Signum enim a Deo petiit, & impetravit. Signum vero fuit hujusmodi: Mulier quædam illius loci diuturno confecta morbo, jam in ipso mortis articulo erat constituta. Huic ergo animam agenti, Episcopus singulas cruces apponi jubet, certissime sibi persuadens, fore ut mulier pristinæ valetudini restitueretur, si pretiosam Domini crucem attigisset. Nec vero spes eum fefellit. Admotis enim duabus crucibus, quæ Dominicæ non erant, mulier nihilominus in summo vitæ discrimine remansit. Adhibita vero tertia, quæ vera Domini crux erat, illa in vitæ mortisque confinio posita, statim convaluit, & pristinum vigorem recuperavit. Hoc igitur modo repertum est crucis lignum. Hactenus *Socrates*. Hanc autem crucis inventionem falsi suspectam merito esse, fatebuntur omnes, quotquot ad mores illius seculi, quo hæc acta dicuntur, animum convertunt. Unde mirum non est, recentioribus scriptoribus, *Basnagio* utrique, *J. Clerico*, & inprimis *Dalæo*, *de objecto cultus Relig. Latin. Lib. V. Cap. II.* explosam fuisse *Socratis* narrationem. Ut autem ita sentirent Viri Doctissimi plurimæ adsunt rationes, quarum quasdam duntaxat adducam. *Prima*, eaque gravissima ratio petitur a silentio *Eusebii*. Notum est *Eusebium* in cœlum extulisse actiones *Helenæ*, atque *Constantini*. Hic *Eusebius* inquam Lib. III. Cap. XXV. Vitæ *Constantini* refert, quomodo Imperator Hierosolymis in sancto dominicæ resurrectionis loco templum extrui præceperit: Cap. XXVI. quomodo Impii sepulcrum Domini ruderibus, & simulacris superpositis obtexerint; Cap. XXVIII. manifestationem S. Sepulcri narrat. At ne γϱυ quidem de inventione crucis meminit. Quis autem credat Cæsariensem Episcopum hoc ignoraturum fuisse, aut silentio transiturum rem, quæ ad augendam *Helenæ*, & *Constantini* gloriam tantum facere poterat? (2.) Cur mentionem facit sepulcri non item crucis? (3.) Idem *Constantinus* apud eundem *Eusebium* Lib. 3. Cap. 30. ad *Macarium* Episcopum literas dedit, in quibus de ædificatione Martyrii servatoris nostri agit; hic denuo occasionem habuerat mentionem faciendi crucis, sed altum de ea re silet. (4.) Imo *Eusebius vitæ Constant. Lib. III. XXV.* narrat ante adventum Helenæ in terram sanctam sepulcrum Christi fuisse inventum. (5.) Ipse *Socrates*, postquam fabulam narrasset, ait: Ταυτα μεν ἀκοη γϱαψας ἐχω. Παντες δε ἐχεδον οἱ την Κονϛαντινα πολιν οἰκουντες ἀληθες εἰναι φασι. (6.)

Qui

Qui fabulæ fidem habent, provocant equidem ad plures alios, nimirum *Cyrillum*, *Ambrosium*, *Sulp. Severum*, *Paulinum*, *Ruffinum*, & *Chrysostomum*. At nullius fidei testes esse, loco citato pluribus probat *Dallæus*. Eminet inter illos *Cyrillus*, qui in sua ad *Constantinum* epistola pag. 247. ita loquitur: *Ac tempore Deo dilectissimi*, & *beatæ memoriæ Constantini salutare crucis lignum Hierosolymis repertum est, divina gratia concedente ei, qui recte quærebat pietatem, etiam abstrusam locorum sanctorum inventionem.* At *Cyrillus* non *Helenæ*, sed *Constantini* meminit, neque miraculi diserte mentionem facit. Vivebat insuper *Theodosio* imperante, & mirus erat ut & *Ambrosius* reliquiarum amator. Hoc ex eo constat, quod *Cateches.* II. 7. X. 9. & XIII. 2. asserat, per omnem terram particulas ligni S. Crucis esse divisas. Longius procedit, ne quid fabularum deesset *Paulinus Nolanus*, *Epist. 33.* ita de cruce garriens: *Quæ quidem crux, in materia insensata, vim vivam tenens, ita ex illo tempore, innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat, & quasi intacte permanet, quotidie dividua sumentibus & semper totam venerantibus, sed istam imputribilem virtutem, & indetribilem soliditatem de illius profecto carnis sanguine bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem.* Ejusmodi Scriptoribus quis tandem sanæ mentis fidem habebit? Conferantur præter citatos Auctores, *Clerici Bibl. Anc. & Mod. Tom. XVI. pag. 113. seq.* & *Act. Halens. Tom. I. Observat. XXIII.* (*)

Quid de visionibus boni *Antonii* judicaturus sim, cordati omnes facile judicabunt. Nimirum *Athanasius*, *Antonii*, quem maximi fecerat, vitam τερατολογιαις plenissimam conscripsit. His fabellis delectantur ingenia superstitione prava capta, non Viri, qui rationis & Revelationis decretis duntaxat subscribere solent. *Antonium* hominem fuisse, ut tum tempora erant, pium, non nego, si vera sunt, quæ veteres de eo tradunt. At non ideo quibusvis narratiunculis, ab *Athanasio* adlatis, fides est habenda. Neque mirum etiam, homines, qualis erat *Antonius*, sæpe deceptos, & imaginationis phantasmata pro inspirationibus habuisse. *Sozomenus* Lib. I. Cap. XIII. expresse de eo ait: γεαμματα ἀδε ἠπιςατο ἀδε ἐθαυμαζεν, *Literas nec noverat, nec magni æstimabat.* Tales autem loco Literarum visionibus sæpe pascuntur.(**)

(*) De Messalianis, Constantii, Valentiniani & Valentis temporibus, visiones, insomnia, & revelationes jactantibus, vide *Theodorit. Hist. Eccl. Lib. IV. Cap. XI. Epiphanium Hæres. LXXX. Damascenum de Hæres. Tom. I.*

(**) Si quis ἀθεος πωλων vitam *Antonii*, ab *Athanasio* scriptam perlegerit facile constabit,

Unius duntaxat visionis mentionem faciam, quia *Pfannerus* & *Arnoldus* ad eam provocant. Mentionem illius præter *Athanasium*, in vita *Antonii*, *facit Sozom. Hist. Eccles. Lib. VI. Cap. 5. ferunt* (inquit Sozom.) *regnante Constantino, priusquam Ariani Ecclesias obtinerent, Antonium in somnis vidisse mulos Altari insultantes, & sacram mensam evertentes; statimque prædixisse futurum, ut ex adulterinis, mixtisque dogmatibus perturbatio Ecclesiam occuparet, & Hæretici rebellionem excitarent. Sed hæc quidem verissime ab eo visa & prædicta fuisse, ex iis rebus, quæ ante hoc tem-*

bit, parum huic narrationi tribui posse. Quod ut pateat quædam ex hac βιογραφία adducam. Initio quidem hujus vitæ adserit Athanasius, magnam sibi fuisse veritatis dicendæ curam. At exiguam ipsum habuisse veritatis rationem, aut inepte credulum fuisse, ipsa lectio libelli docet. (2.) Manifestum satis est Athanasium Monachis ostendere voluisse, qua ratione monastica vita rite sit instituenda. Vide pag. 794. Edit. *Benedictinorum* hinc & pag. 865. monet ut hanc vitæ narrationem diligenter legant. Unde facile patet, eum non id egisse, ut accuratam rerum gestarum historiam repræsentaret, sed ut ideam aliquam Monachi, omnibus numeris absoluti effingeret. Hinc frequentissimæ Diaboli adparitiones, colloquia familiaria cum eo habita, plagæ ab eodem Antonio inflictæ, crucis denique mirabilis contra insultus Diaboli vis Vide pag. 802. 806. 814. pag 829. Eximium adfert *Antonius* bonam visionem a mala discernendi rationem. Audi Eam: *Hoc sit vobis ad securitatem indicium: cum quædam aderit visio, ne statim pavore concidas, sed qualiscunque illa sit, fidens primum interroga: Quisnam tu es, & unde? tum si sanctorum sit visio, certiorem te facient, atque terrorem tuum in gaudium vertent: sin diabolica illa sit, statim debilitatur, perspecta animi firmitate, nam imperterriti animi signum est, vel sic interrogare quis tu es, & unde?* pag. 835. refert Athanasius omnes generis feras, dum in deserto loco esset, Dæmonesque veluti agmine facto Antonium, sed frustra impugnasse, imo, quod mirabile est, feras verbis increpat, & confestim illæ obediunt. *Ac initio quidem* (verba sunt Athanasii pag. 834) *Feræ solitudinis, potus causa illuc accedentes, ejus satui & culturæ sæpius nocebant; is una placide apprehensa, omnibus ait: Quid me læditis nil a me læsæ? abite & in nomine Domini; ne unquam huc appropinquate. Et ex eo tempore quasi mandatum veritæ, nunquam ad eum locum accessere.* Nemini non, dum hæc legit, in mentem veniet illud *Phædri*.

Calumniari autem si quis voluerit
Quod arbores loquantur, non tantum feræ,
Fictis jocari nos meminerit fabulis.

Hinc miror, Doctissimos *Monachos Benedictinos* in præfatione huic libello *Athanasii* præmissa, stultis narrationibus colorem aliquem conciliare voluisse. Audi quomodo causam perorent *Athanasii*: *Restat ut unum levemus quorundam scrupulum, qui ægre tot visis, tot prodigiis, tot Dæmonum phantasiis & portentis, quot in hac vita leguntur habent fidem: sed hac in re tria cum primis cogitanda sunt.* (1.) *Quicquid sit de visis illis, & Dæmonum phantasiis an vera scilicet sint nec ne, ex Chrysostomi, Rufini, Augustini & Socratis testimoniis superius allatis compertum est, res ejusmodi multas in Vita Antonii ab Athanasio scripta fuisse recensitas, quare nullius id momenti est, ad eam Athanasio abjudicandum.* (2.) *Licet non temere cuique visa & Dæmonum spectra loquenti credendum sit, cum maxime multi fabulis ejusmodi recensendis gaudeant, temerarium prorsus foret sine delectu omnia explodere, cum potissimum*

tempus, & quæ postea facta sunt, satis declaratum est. Ita *Sozomenus.* Eandem narrationem l. citato repetit *Athanasius.* At sine visionibus facile cognosci potuit, Arianos, in quos Orthodoxi primi sæviebant, siquidem emersuri, atque Principes in suas partes pertracturi essent, par pari relaturos. Sane Ariani hanc visionem *Antonii* adversus ipsos orthodoxos interpretari poterant. Notius est quam ut dicam, inter dogmata hujus seculi pernicioſissima fuisse: in errantes quibusvis pœ-

mum ejusmodi plurima in Evangelio legamus, Dæmonum scilicet Legiones unicum aliquando hominem, aliquando porcorum bina millia invadentes, Diabolumque videamus ad Jesum accedentem forma (ut putant fere omnes) humana: cum prænuntiarit item Deus fore, ut qui crederent in eum, in nomine ejus Dæmonia ejicerent, aliaque prodigia, etiam majora, quam ipse ederent: cum apud omnes ferme Patres etiam gravissimos Eruditissimosque paria enarrentur. Unde non prudentis esset res ejusmodi solum quia sunt præter consuetudinem, nulla habita narrantium ratione inter aniles fabulas computare. (3.) *Quæ hic de Dæmonum phantasiis leguntur, eadem ipsa iisdem fere verbis expressa habentur in Epistola ad Episcopos Ægypti & Lybiæ sub initium; ubi bene multa reperies istis ideo similia, ut eandem facile Athanasii manum agnoscas.* Ita *Eruditi* illi *Monachi.* Spatium chartæ non permittit, ut pluribus ostendamus quam frivola sit hæc Apologia. Concedimus V. Doctis *Athasium* hujus βιογραφιας esse auctorem. At inde colligimus eum aut mendaciis delectatum, aut turpi & anili superstitione fuisse dementatum dum hæc scriberet. Cum vero quæ in S. Literis de ejectione Dæmonum per S. nostrum Soterem facta narrentur, testibus nitantur fide dignissimis & φερομενοις ὑπο πνευματος ἁγιου, hujus autem qua vixit *Athanasius* ætatis scriptores contestentur, miracula passim cessasse, multaque temere a maleferiatis hominibus ad superstitionem alendam & promovendam fuisse excogitata, quis tandem sanæ mentis homo a nobis postulabit, ut narratiunculis ineptis fidem habeamus? Si hæc argumentandi ratio, qua Viri illi docti utuntur valet, putidissimæ Legendæ pro certissimis historiis in posterum erunt recipiendæ. (4.) Antonius non solum cum bestiis sermones miscet, sed & videt animas aëra trajicientes. *In monte cum sederet* (ita pag. 841.) *Sublatis oculis vidit in aëre quemdam efferri, & magnum eorum gaudium, qui ipsi erant obviam. Admiratus ille, atque ejusmodi cœtum beatum prædicans rogabat, ut quid illud esset, ediceret. Voxque statim ad illum facta est, esse Amunis in Nitria Monachi animam. Is ad obitum usque in Ascetæ statu perseveraverat. Atque a Nitria distat mons in quo erat Antonius tredecim dierum itineris intervallo. Qui cum Antonio erant cernentes admirantem senem, rogabant quid id esset, audiereque: jam obiit Amun. Erat quippe notus, quod frequens isthuc se conferret, multaque per eum ederentur signa.* Nisi Monachorum animæ alius plane sint quam cæterorum hominum naturæ, deceptus est hac sua visione bonus *Antonius.* (4) Quod denique attinet ad visionem cujus *Sozomenus* facit mentionem, facile præter ea quæ diximus causæ hujus visionis dari possunt. Ipsemet *Athanasius* pag. 847. hujus libelli testatur, *Antonium* dissentientes omnes averſatum, imo maximo prosecutum fuisse odio. Ipse Literarum erat rudis, & tamen errantes retutare identidem voluit. Experientia nimirum omnium seculorum ostendit, eos omnium ad alios persequendos, & infectandos esse paratissimos, qui nunquam per vitam momenta controversiarum Religionis rite expenderunt. Hinc Monachorum semper, eorumque ignorantissimorum maximus fuerat, & adhuc est, contra dissentientes fervor. Quis ergo miretur, *Antonium* & vigilantem & somniantem cum Hæreticis pugnasse, & vidisse quod tanto expetierat semper desiderio?

nis & suppliciis animadvertendum esse. Quæ pestilens sententia *Augustini* postea auctoritate confirmata est. Quid mirum ergo Arianos violenter oppressos, vicissim insultasse Orthodoxis?

Sed mittamus visiones *Antonii*, & pergamus ad eas, quæ instante nece *Juliani* Imperatoris, quibusdam oblatæ dicuntur. *Sozom. Lib. VI. Cap.* 2. de morte Imperatoris agens, hæc narrat: *Verum ut uno omnes consensu affirmant, vera ad nos pervenit narratio, Eum divina ultione peremptum esse. Cujus rei argumentum est cœlestis visio, quam a quodam ex ejus familiaribus visam accepi. Nam cum is ad illum, tunc in Perside agentem, contenderet, in loco quodam viæ publicæ diversatus esse dicitur, & penuria tecti in Ecclesia illi posita decubuisse; ac sive inter vigilandum, sive in somnis vidisse plures Apostolos, ac Prophetas, qui in unum convenientes de Principis in Ecclesias contumelia quærerentur, & quidnam agendum esset, deliberarent. Cumque hac de re diutius consultassent, ac veluti ancipites hærerent, duo e medio surgentes reliquos bono animo esse jusserunt, & tanquam ad delendum Juliani Imperium festinantes, statim e concilio digressi sunt. At ille, qui res tam admirabiles viderat, cæptum quidem iter deinceps prosequi neglexit: formidans autem quemnam exitum habitura esset hæc visio, cum eodem rursus in loco somnum cepisset, eundem, quem prius cœtum vidisse dicitur, ac repente duos illos, qui superiore nocte adversus Julianum profecti erant, velut ab expeditione redeuntes in Concilium ingressos esse, ejusque necem reliquis nuntiasse. Eodem die Didymus quoque Ecclesiasticus Philosophus Alexandriæ degens, cum utpote Imperatore adversus Religionem peccante gravissimo dolore afficeretur, tum propter ipsum vano errore deceptum, tum ob contumeliam Ecclesiarum jejuniis & orationibus vacabat. Cumque præ nimia sollicitudine, ne superveniente quidem nocte cibum sumsisset in cathedra sedens somno oppressus est, ac velut in mentis excessu positus, equos candidos per aërem discurrentes videre sibi visus est, virosque ipsis insidentes, ita clamantes audire: nuntiate Didymo, hodie Julianum hac ipsa nocte peremtum esse. Idque ille Athanasio Episcopo significet & surgens comedat. Et hæc quidem tum a familiari Juliani, tum a Didymo Philosopho visa fuisse accepi.* Ita *Sozomenus.* Nisi Auctori huic, & aliis periisset de fronte pudor, visionibus fictis, rei turpi colorem aliquem conciliare aggressi nunquam fuissent. A vero non abhorret, a Christiano quodam, homine nequam, interemtum esse *Julianum.* Certe non solum id probat *Libanii* Sophistæ Oratio, sed & ipse *Sozomenus* id fateri videtur, dicens: *Et Libanius quidem ita scribens, Juliani interfectorem Christianum fuisse innuit. Resque for-*

fortassis ita se habet. Neque enim a vero abhorret, quempiam eorum, qui tunc temporis in Exercitu Romano militabant, id animo reputasse, Tyrannorum interfectores tum a veteribus Græcis, tum a reliquis mortalibus ad nostram usque ætatem summis laudibus efferri, ut qui pro communi omnium libertate, mortem oppetere non dubitarint, & civibus suis, & propinquis ac amicis alacri animo opitulati sint. Hisce adductis execrabilem hanc addit sententiam: *Nemo certe, eum facile reprehenderit, qui propter Deum, & propter eam, quam colebat, Religionem strenuum facinus edidit.* En *Jesuitam* ante *Jesuitas!* quis non exclamet!

Tantum Religio potuit suadere malorum!

Iniquam, execrandam, humanitati, æquitati, Religioni naturali & Revelatæ contrariam esse propositionem, nimirum licitum, imo fas esse, Principes a Religione publice recepta abhorrentes, propter Religionem duntaxat interficere, non opus est, ut pluribus probem. Et hujus tamen furfuris homines nobis persuadere volunt, Deum ipsum singularem ex ejusmodi detestabili flagitio cepisse voluptatem, atque bonum illum nuncium per miraculum attulisse. Certe sine visione homines cœco odio excœcati ab iis, qui insidias struxerant Imperatori, quid mox futurum esset, scire potuerunt. (*) De *Juliano* vero ejusque Religione pluribus agemus in *Disquisitionibus nostris de Viris Eruditis Atheismi suspectis.*

Revertamur autem ad Martyres hujus seculi, quibus visiones obtigisse dicuntur. Refert *Ruinartus* ad Annum 303. Martyrium *S Theodoti Ancyrani*, & *septem Virginum Auctore Nilo.* At (1.) visiones *Theodoti*, & adparitio *Tecusæ* ad reliquiarum cultum probandum unice sunt directæ, quod satis probat cujus ponderis sint illæ visiones. (2.) Pag. 342. ait *Tecusa* corpus suum a feris, avibusque iri discerptum. Mox vero, postquam submersa erat, comparuit *Theodoto*, eum sic alloquens: *Dormis fili Theodote, & nulla te nostri cura tangit? Neque meministi adhortationum, quibus te juniorem instruxi, ac præter opinionem Parentum ad virtutem manu duxi? Et tu quidem viventem nunquam negligebas, sed colebas*

(*) Plures alias fabulosas circumstantias quæ proxime ante mortem Imperatoris & post eam contigisse dicuntur mittimus. Dudum enim a Viris doctis sunt explosæ. Anonymus Gallus, cujus Vita Juliani 1735. Amstelod. prodiit pag. 319. rumuscu-los illos vagos recenset & quam parum illis tribuendum sit, candide monet *S. Basnage Annal. Tom. II. pag. 881.* Recensitis narratiunculis, & Revelationibus, quæ de instanti nece Juliani factæ dicuntur, breviter ita judicat; *De Revelationibus ejusmodi fides sit penes Auctores.*

colebas ut matrem: nunc vero, postquam obii, oblitus es, quod usque in finem mihi ministrare debebas. Ne obsecro finas nostra corpora sub aquis laci fieri escam piscium. Nam & post duos dies magnum te expectat certamen. Surge igitur accede ad paludem. Verum cave tibi a proditore. Falsum igitur fuerat, quod dixerat antea, quod corpus ab avibus & feris sit discerpendum, ut nihil dicam quam visio sit ipsa suspecta. (3.) Sequntur postea denuo miracula, & visiones ad invenienda tandem illa corpora. (4.) Nilus ipse, qui testem oculatum se esse perhibet, varias ob causas fraudis est suspectus, quas adduxit *S. Basnage. Annal. Hist. Eccles.* Tom. II. pag. 591. (5.) Deus, qui per visionem monuerat *Theodotum*, corpora submersorum esse sepeliunda, scopo suo excidit; Præses enim, postquam ea terræ condita, & ex aqua retracta esse audiverat, comburi jussit. (6.) *Asina*, (pag. 350.) forte etiam amore reliquiarum tacta, procubuit supra locum, ubi jacebat corpus *S. Theodoti.* Plura non addo, sed miror *Ruinartum* hæc Acta digna judicasse, quæ numero sincerorum aggregarentur. Pag. 364. Actorum *Ruinarti* ad annum 304. refertur Martyrium *S. Vincentii*, descriptum ab *Anonymo*, homine, uti universa Acta docent, perquam credulo. Provocat equidem *Ruinartus* ad *Augustinum* & *Prudentium*, fidem τερατολογιαις conciliaturus. At præterquam quod & ipse *Augustinus* credulus valde fuit, ex ipso *Prudentio* adparet, jam tum Martyrum auxilium rebus in arctis advocasse credulos Christianos, imo existimasse, Martyres certorum quorundam locorum esse Patronos. Vide *Prudentii Hymnum primum v. 10.* Ibid. *Hymno II. v. 457. III. 311. IV. 175. & 196. V. 545. IX. 97. X. 1139. XIV. 124.* Idem confirmant disputationes *Vigilantii*, & *Hieronymi*, de quibus videatur ipsius *Hieronymi Oper. Tom. II.* & ea, quæ adfinem horum Actorum dicuntur: *Tandem autem* (ita loquitur compilator horum Actorum) *cessante perfidorum credulitate, ac fidelium crescente devotione beatissimus Martyr ad sepulturæ honorificentiam inde levatus, digna cum reverentia deportatur, & sub sacro altari extra muros ejusdem civitatis Valentiæ ad quietem reponitur, ubi meritis ipsius divina multipliciter præstantur beneficia ad laudem & gloriam nominis Christi, &c.* Nimirum totius narrationis scopus eo collineat, uti probetur, corpus B. Martyris per varia miracula eum in finem esse servatum, ut a Christianis reliquiæ ipsius debito, id est divino honore adfici possint. Quo ipso satis jam patet, quam fidem mereantur visiones, & miracula, quorum mentionem injicit Auctor Actorum. Abjecte certe de Dei *sapientia* sentit, qui tantillæ rei gratia eum mira-

miracula patrare ait; Ejusdem vero *sanctitati* detrahit, qui ad stabiliendum reliquiarum cultum quibusvis portentorum generibus uti eum statuit. Ut autem B. Lector recte judicare possit, cujus naturæ sint illa miracula, ad conservandum corpus B. Martyris *Vincentii* patrata, duorum saltem mentionem faciam. Postquam B. Martyr exquisitissima perpessus esset, tormenta, nec tamen succubuisset, *Dacianus* Præfectus ad apparitores ait: *Quærite locum tenebricosum, & oppressum urgente tectura, ab omni publica luce sepositum, perpetuaque nocte damnatum, reatui ejus peculiarem, extra videlicet carceres carcerem. Ibi fragmenta testarum exasperata passim congerite, ut quicquid jacentis corporis male incisa fractura tetigerit, illimatis infigat aculeis, & ipsa conversio laterum innovetur ad pœnam; ut id scilicet, quod commutatis artubus membra quærunt evadere, semper offendant. Divaricatis præterea & distentis crucibus, ligno pedes ejus constringite, quatenus discissis pœna artubus rebellis Principum expiret. Inde Clausum relinquite in tenebris, ne oculis quidem respiret ad lucem. Nullus ibi hominum relinquatur, ne vel consortio alicujus sermonis animetur. Clausa & obserata sunt omnia; solliciti tantum estote, ut, quando defecerit, nuntietur. Implent sine mora ministri, quod judex præceperat, & Dei athletam fortissimum horrendo recludunt ergastulo. Sed cum prima quies fessos artus custodum somno vincente laxasset, quod Dacianus pro pœna gravissimæ mortis intulerat, divinitus commutatur in gloriam. Carceris illius nox æternam accipit lucem, flagrant cerei ultra solis fulgorem radiantes, laxatumque ligni robur dissiluit, ac testarum asperitas fit florum redolentium jucunditas & mollities. Quibus invictissimus Dei athleta refectus psalmum Deo & hymnum dicens, lætus exultat. Sicque solitudo horribilis Angelorum relevatur frequentia, quorum caterva vallatus Martyr egregius, venerando fovebatur obsequio, & mulcebatur alloquio. Agnosce* (inquiunt) *o Vincenti invictissime, pro cujus nomine fideliter decertasti, ipse tibi revera coronam præparatam servat in cœlestibus, qui te victorem esse fecit in pœnis. Esto jam igitur securus de præmio, quia mox deposito carnis onere, nostro addendus eris Collegio.* Dantur hinc laudes Deo, & resonante organo vocis angelicæ modulata suavitas procul diffunditur. Turbati vero subito expavere custodes, & ut vehementi stupore attoniti certius de miraculo explorare contendunt, clausas fores adeunt, & introspicientes per rimas, deitatis ministros siderea venustate coruscare cernebant: antrum tartareum tenebris pridem horribile immensa luce splendere, testarum aculeos multipliciter florere, sanctumque Dei Martyrem solutis cunctis nexibus deambulantem psallere.

Qui mox divino terrore atque respectu compuncti, relicto gentilitatis errore Christianæ Religioni fideliter sese dedere, cupientes jam mutata devotionis suæ obsequia ei impendere, in cujus ante nece erant grassati. Postquam in lecto mortuus erat B. Martyr, *Dacianus* in cadaver ejus sævire voluit, at ne sic quidem quicquam multa conando effecit. Audi narrationem hujus *Nili* & ingenium ipsius admirare: *Cognitio igitur, inquit, abscessu ejus jam victus atque confusus Dacianus dixit: si non potui superare viventem, puniam vel defunctum. Non est spiritus, qui repugnet, non est anima, quæ vincere contendat: cum vacuo corpore nullum est certamen. In exangues artus corporis destituti novis suppliciis debachabor. Projicite, inquit illum in apertum campum, nullo defendente obstaculo, ut cadaver exanime sepulturæ carens honore a feris & avibus penitus consumtum non compareat, ne forte Christiani tollentes ejus reliquias, Martyris sibi vindicent dignitatem: Expositum ergo ad supplicia sine tegmine venerabile corpus, angelicis rursum excubiis & obsequiis honoratur. Non illud aliqua hominum, quæ forte corrumpi potuisset, manus servabat; non ipsa licet pia sanctorum miseratio, quæ sibi tantum provenisse Martyrem in commune gaudebat. Et puto ob hoc divino instinctu humana negata esse obsequia, ut divina non deesse aliquatenus videretur custodia. Corvus itaque avis lenta, & pigerrima haud procul residens, quasi tetra sui specie lugentis habitum demonstrans, cum adventantes aves reliquas ac pernicibus metuendas alis quodam impetu eminus fugaret, advenientem subito immanem lupum in cursu etiam non segni abegit a corpore. At ille reflexa cervice in adspectum sacri corporis stupefactus hærebat, & , ut credimus, custodiam mirabatur angelicam. Reddita nunc nobis est antiquitatis historia per avem similem. Nam qui ante Eliæ pleno ore cibos detulerat, nunc Vincentio Martyri jussa ministrat obsequia.* Ita *Nugator* ille. Si talia inter *Acta sincera* Martyrum sint referenda, nescio tandem cujus argumenti futura sint Acta *falsi suspecta*, & *ficta*.

In iisdem *Actis sinceris Ruinarti* ex *Gregorio Nysseno* refertur Martyrium *Theodori*, cujus in gratiam miracula, & visiones factæ. At ille sanctus scilicet, templum matri deorum sacrum incendit. Mirum quod non puduerit *Gregorium* hominem talem Martyrum numero adscribere, imo quod amplius est eum invocare. Vide verba Rhetoricatoris hujus pag. 485. Sect. VII. apud *Ruinartum*. Similis furfuris Martyr erat *Abdas*, vel *Abdaa*, templum Persarum igni sacrum incendio vastans, de qua re vide *Theodoretum Hist. Eccles. Lib. V. Cap. 39.* quam recte id factum sit, quamque contra prima Juris Naturæ præcepta peccaverit

ille

ille Episcopus Incendiarius, nemo non videt. Vide autem de hoc *Bayle* in Lexico voce *Abdas*, & *Barbeyracium*, *Traité de la Morale des Peres*, Cap. XVII. Sect. 3. sq. (*) His adnumerari potest *S. Leo*, cujus Martyrium legitur apud *Ruinartum*, pag. 545. Hic insultans sacris Gentilium deprehensus, & ad necem, quam adpetebat, tractus est. Si quis inter Nostros sacris Pontificiorum insultaret, atque ideo pœnas daret, sat scio Romanenses eum in numerum Martyrum non relaturos. At quicquid contra Gentiles fit, id jure quidam factum putant. Plures ejusmodi visiones quarti seculi ad superstitionem duntaxat, & reliquiarum cultum stabiliendum excogitatas, silentio transmitto.

Coronidis loco adjiciam visionem, quæ contigisse dicitur *Augustino*, Manichæorum sectæ hactenus addicto, sed visione aliqua subitanea ad Catholicorum partes pertracto. Rem ipsemet narrat *Augustinus Confess. Lib. VIII. Cap. XII.* *Ego* (inquit) *sub quodam vici arbore stravi me nescio quomodo, & dimisi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi: Et tu Domine usque quousque quo Domine irascéris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri, & jactabam voces miserabiles: Quamdiu, quamdiu cras & cras? Quare non modo? Quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Dicebam hæc & flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis, & crebro repetentis, quasi pueri, an puellæ nescio: TOLLE, LEGE, TOLLE, LEGE. Statimque mutato vultu intentissimus cogitare cœpi, utrum non solerent pueri in aliquo genere ludendi cantitare tale aliquid: nec occurrebat omnino audivisse me usquam. Repressoque impetu lachrymarum surrexi, nihil aliud interpretans, nisi divinitus mihi juberi, ut aperirem codicem, & legerem, quod primum caput invenissem. Audieram enim de Antonio, quod ex Evangelica lectione, cui forte superveneràt, admonitus fuerit, tanquam sibi diceretur, quod legebatur: Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis; & veni*

(*) Theodoritus loco citato ita de hoc facinore judicat: Ἐγω την τε πυρεἰε καταλυσιν ὀκ εἰς καιρὸν γεγενησθαι φημι. ὁδὲ γαρ ὁ θειος Ἀποστολος εἰς τας Ἀθηνας ἀφικομενος, και την πολιν κατειδωλον θεασαμενος, των βωμων τινα των ὑπ' ἐκειων τιμωμενων κατελυσεν, ἀλλα λογω και την ἀγνοιαν ἠλεγξε, και την ἀληθειαν ἐδειξε. Ego Pyræum quidem imtempestive destructum fuisse fateor. Neque enim divinus Apostolus, cum Athenas venisset, & urbem Simulachrorum cultui deditam esse vidisset, aram ullam Deorum, qui ab iis colebantur, evertit, sed illorum errorem verbis coarguit, & veritatem demonstravit.

veni sequere me, & tali oraculo confestim ad te esse conversum. Itaque concitus redii ad eum locum, ubi sedebat Alipius: ibi enim posueram codicem Apostoli, cum inde surrexeram. Arripui, aperui & legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei: Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induite Dominum Jesum Christum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis. Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine hujus sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebræ diffugerunt. Tum interjecto aut digito, aut nescio quo alio signo codicem clausi, & tranquillo jam vultu indicavi Alipio. At ille quid in se ageretur, quod ego nesciebam, sic indicavit: Petit videre quid legissem, ostendi, & attendit etiam ultro quum ego legeram, & ignorabam, quid sequeretur. Sequebatur vero: infirmum autem in fide assumite. Quod ille ad se retulit, mihique aperuit. Et tali admonitione firmatus est. Commentarii loco in hanc *Augustini* visionem, & subitaneam mutationem, non mea, sed *Doctissimi Jacobi Bernardi* verba, e Gallico Idiomate in L. Latinam conversa, quæ extant *Nouvelles de la Republique des Lettres Mens. Mart. 1703. pag. 259. sq.* adponam: *Ipse Augustinus* (ita loquitur V. D.) *in suis confessionibus singulares circumstantias conversionis suæ narrat. Illas non sine miraculis contingere potuisse quidam sibi persuadebunt, alii vero superstitione delusum Augustinum putabunt. Vox illa, quam sæpius audiebat, Tolle; Lege; ratio illa aperiundi primum, qui se offerebat, S. Scripturæ locum, consiliumque, actiones suas juxta illius sensum componendi, suspecta erit Viro cordato, haud ignoranti, Deum, si mentem hominis Spiritus S. gratia mutare vult, animo simul offerre, & insinuare rationes gravissimas, omnique exceptione majores. Sæpe* Φιλαυτια *inducitur homo, ut credat, Deum in sui gratiam leges naturæ mutasse, Exemploque Pauli insolitâ ratione ad Relig. Christianæ confessionem perducti, ut suæ persuasioni pondus addat, utitur. Hæc autem non eo animo dico, ac si credam Augustinum datâ opera fucum voluisse facere Lectoribus. Crediderim bona fide prout ipsi videbatur, quicquid hic contigerit, narrasse. At sanctissimi etiam ab omni erroris periculo immunes non sunt. Decipere nos noluit, at ipsemet tamen decipi potuit.* Ita Doctissimus *Bernardus*. Haud diffiteor valde mihi arridere sententiam hujus *Viri docti*. Ne tamen cæco adsensu eum sequi videar, alias rationes, quæ meditanti de hoc argumento in mentem venerant, in medium adducam. Et (1.) quidem meminerit Lector, vocem illam cœlestem, cujus nutu Codicem S. aperuisse dicitur *Augustinus*, secundum ipsius

ipsius *Augustini* interpretationem hoc unum voluisse, ut pravis, quibus captus erat, voluptatibus valediceret, Christoque non solum nomen daret, sed & ut secundum sanctissimæ & castissimæ disciplinæ præceptiones vitam, moresque suos conformaret. Nimirum inspexit *Augustinus* versum 13. & 14. Cap. XIII. Epist. ad Romanos, ubi hæc verba: ὡς ἐν ἡμέρᾳ εὐσχημόνως περιπατήσωμεν, μὴ κώμοις καὶ μέθαις, μὴ κοίταις καὶ ἀσελγείαις, μὴ ἐριδι καὶ ζήλῳ. Ἀλλ' ἐνδύσασθε τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεισθε εἰς ἐπιθυμίας. Quis autem credat *Augustinum* Religionis Christianæ non ignarum, inque scriptis philosophicis veterum versatum, ignorasse, quam turpia, imo detestanda sint scelera, quorum mentionem facit Apostolus? Ipsimet Gentiles, solius rationis ductu usi, fœditatem ejusmodi actionum deprehenderant. Hinc quæ hoc commate vitia prohibentur, *Pythagoras* in aureis carminibus inde a vers. 9. sq. damnavit. Quem in finem ergo miraculo opus est, ad ea in mentem revocanda, quæ sine longa meditatione a quovis sanæ mentis sciri possunt? (2.) Augetur difficultas, si perpendamus ea, quæ ipsemet de se in confessionibus narrat. Nimirum fatetur se impuro amore fuisse captum, atque annum agenti decimum octavum natum esse sibi ex concubina puerulum, nomine *Adeodatum*. Vide Confess. Lib. III. Cap. I. Hanc ob causam se jam tum temporis, licet non satis sincere, fuisse contristatum, imo se a perditis scholasticorum ætatis suæ moribus abhorruisse? Quod si jam tum *Augustinus* juvenis agnovit, male se egisse, quod impuris amoribus mentem corpusque contaminasset, sane vel sine Revelatione extraordinaria edoceri potuit de fœditate scelerum Paulo Apostolo memoratorum. Denique (3.) ipsemet de moribus *Manichæorum* Cap XIX. & XX. pluribus exponit, quam fœdis atque turpissimis sceleribus addicti fuerint *Manichæi*, atque hanc ipsam præcipuam discessionis suæ ab hac secta causam fuisse contestatur. Non examinabo, utrum nihil plane ex odio adfinxerit *Augustinus* Manichæis, quod aliquando factum docet *Eruditissimus Beausobre Hist. Crit. du Manicheisme pag* 227. & alibi. Annon inde per legitimas consequentiæ leges sequitur, vel sine miraculo *Augustinum* fœditatem illorum scelerum, quæ ab Apostolo damnantur, detestari potuisse? Quid ergo opus erat insolita illa voce: TOLLE, LEGE, TOLLE, LEGE? Quod si quis dicat in citatis Apostoli versibus non solum damnari turpissima crimina, quorum fœditatem facile potuerit agnoscere *Augustinus*; sed & considerandum esse illud ἐνδυσασθε κυριον Ἰησεν χριστον, respondeo: ne id quidem probare,

bare, opus fuisse extraordinaria Revelatione. Quamvis enim Interpretes in explicatione phraseos metaphoricæ in diversa abeant, omnes tamen in eo consentiunt, postulari secundum verborum illorum vim, salutarem S. Soteris nostri cognitionem, cum amore ejus conjunctam. At & hoc non ignoraverat *Augustinus*. *Primo* enim (quod secundum nostrum argumentum est) jam a puero edoctus erat Mysteria Religionis christianæ. Audi quomodo *Doctissimi Monachi Benedictini vitæ Augustini* Lib. I. Cap. 2. de hac re loquantur: *Augustinus certe Christianam Religionem sibi puerulo a Parentibus insitam, & se Christianum Catholicum ante fuisse profitetur, quam in Manichæorum errores incidisset. Audierat adhuc puer de vita æterna, nobis promissa per mysterium incarnationis Domini Dei nostri, qui superbiam nostram humilitate sua sanaturus advenit. Itaque jam tum credebat in Christum, ut & ejus mater & omnis domus, uno excepto Patre, cujus tamen iniqua consilia & hortamenta jus maternæ pietatis evincere in ejus animo nunquam valuerunt. Secundo.* Audierat ante mirabilem illam conversionem sermones sacros *Ambrosii* publice habitos, qui tantum in ejus animum valuerunt, ut a *Manichæis* discedere, atque in Ecclesia catholica catechumenus manere constituerit, donec certi aliquid sibi adfulgeat. Imo magis magisque audiendo publicas orationes Ecclesiæ catholicæ veritates intellexit & adprobavit, ut pluribus iidem *Monachi docent Cap. II. & III. Lib. II. vitæ Augustini*. Hinc etiam, ut Cap. IV. hujus vitæ docetur, diligentissime incepit lectitare S. Literas, Pauli cumprimis epistolas. Quis credat autem *Augustinum*, a puero Religionis christianæ mysteria edoctum, *Ambrosii* orationibus sacris compunctum, & Lectioni S. Literarum intentum, sine miraculo capere & percipere non potuisse, requiri a veri nominis Christiano non solum fidem in Jesum Christum, sed & vitam sanctissimæ disciplinæ convenientem? *Tertio. Augustinus* ante suam hanc mirabilem conversionem nonsolum Mysteria Religionis christianæ cognoscebat, sed & *Manichæorum* sectæ addictus, acerrime fidem Christianam impugnavit: *Post* (verba sunt Doctiss. Benedict. in Cap. VI.) *ubi Manichæis nomen dederat, nihil illi antiquius fuit, quam ut susceptæ a se hæreseos placitis atque institutis affatim imbueret. Illos igitur sedulo audiit, eorum figmenta omnia curiose indagavit, iis fidem temere præbuit, quin etiam instanter ea, quibus potuit, persuasit, & adversus alios pertinaciter animoseque defendit. Nec defuit consilio, & conatui temerario successus secundus, usque adeo, ut fidem catholicam miserrima ac furiosissima loquacitate vastasse se lugens agnoscat.* Cap. IX. ejusdem

Libri

Libri narratur, *Augustinum* collata argumentorum utriusque partis veritate, mox errores *Manichæorum* deprehendisse. At quomodo quæso potuisset *Augustinus* veritatem catholicam, uti tum temporis vocabatur, argumentis impugnare, aliosque in suam sententiam pertrahere, si ignorasset plane capitalia Religionis christianæ decreta? Si haud ignoravit, quid opus erat insolita luce ad ea demum percipienda? Accedit, quod ipsemet eodem loco, nimirum *Confess. Lib. VIII. Cap.* 12. ubi hujus conversionis meminit, fateatur, se ob commissa scelera, erroresque cordis fuisse compunctum, lachrymisque ora rigasse, quod jam, secundum ipsa principia *Augustini*, conversionis indicium erat. Denique ea ipsa, quæ de miraculis scripserat *Augustinus*, nos monent, ut sine gravissimis rationibus haud facile ejusmodi narrationibus fidem habeamus. Ab una enim parte plurimis in locis adseruit, miraculis, postquam veritas Religionis christianæ tantopere esset probata, opus non esse; ea suo tempore cessasse, neque veræ doctrinæ, præsertim ubi adversus *Donatistas* sermo erat, perspicuum, & infallibile signum esse, perhibuerat. Loca, quibus ita sententiam suam expromit, passim extant, & cumulatim a *Theologis Protestantibus*, in Disput. cum Eccl. Rom. doctoribus, sunt allata. Vide quid inter Recentiores, *Celeb. Pfaffius* in suis adversus *Scheffenmacherum Disputationibus*, *de hoc argumento*, *Epistola IV. monuerit.* Ab altera constat satis, *Augustinum* credulum nimis fuisse hoc in negotio, atque torrente superstitionis, quæ sua ætate vires adquisiverat, sæpe sese abripi passum. Exempla ex scriptis ejus plura adduci possunt. Vide quam vim tribuat miraculis, per reliquias quasdam factis *Libro XXII. Cap. VIII. de Civitate Dei*; de restitutione *Innocentii* pag. 90. *vitæ August* per Benedictinos scriptæ; De laude reliquiarum in genere ibid. pag. 448. de curatione *Pauli*, & *Palladiæ* per *Stephani* Martyris reliquias facta; de *dentium dolore*, a quo non sine portento olim sese liberatum dicit Cap. IX. *Vitæ August*: ut plura taceam. Confer ea, quæ de hoc argumento in medium protulit *Doctissimus Lenfant*, *Preservatif contre la Réunion avec le siege de Rome Tom. III. Epist. XIV.* Quid ex hisce colligi pro nostra sententia possit, facile quilibet sentiet. Quod si enim conversionem *Augustini* sine ejusmodi miraculo facile explicare possumus; si ejus ætate vel nulla, vel pauciſſima miracula facta sunt; Si falsis narrationibus de miraculis, per reliquias factis, temere fidem habuit *Augustinus*, sperare possumus, eos, qui veri rectique amantes sunt, haud micaturos, si *Ipsius* narrationi temere non adsentiamur, sed credamus,

eum

eum bona fide erraſſe, atque pium animi adfectum pro re extraordinaria habuiſſe. Ubi ſimul monemus, nimiam boni *Antonii*, & *Philoſophiæ Platonicæ*, ad Enthuſiasmum fovendum prorſus accommodatæ admirationem, ad arripiendam hanc opinionem, de converſione inſolita, multum contuliſſe. In hac ipſa enim converſionis ſuæ narratione ait: *Audieram enim de Antonio, quod ex Evangelica lectione, cui forte ſupervenerat, admonitus fuerit tanquam ſibi diceretur, quod legebatur: Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis, & veni ſequere me, & tali oraculo confeſtim ad Te eſſe converſum.* Sed ſatis, & forte quorundam judicio, plus quam ſatis, de Viſionibus, quæ Chriſtianis quibusdam, primis quatuor poſt Chriſti & Apoſtolorum exceſſum ſeculis, obtigiſſe dicuntur, diſputatum eſt.

ΈΠΙΜΕΤΡΟΝ

Theſium Theologicarum.

I. *Graviter errant, qui dicunt, perinde eſſe quamcunque tueamur Religionem.*

II. *Diſtinctio Articulorum Religionis in Fundamentales & non fundamentales, quam Theologi Proteſtantes omnes facere ſolent, ſolida eſt, atque non ſolum S. Literarum auctoritate nititur, ſed & ex indole & natura Religionis, ingeniique humani facile probatur.*

III. *Cum Apoſtolus Paulus in Epiſtola ad Titum Cap. I. v. 1. Religionem Chriſtianam vocet agnitionem veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt, ſequitur neceſſario articulos Religionis vel majoris vel minoris eſſe ponderis, prout vel magis vel minus ad pietatem excitandam, fovendam atque perficiendam faciunt. Errorem contra vel leviorem vel graviorem, prout pietatis ſtudio magis vel minus officit.*

IV. *Hominem mera Dei gratia propter perfectiſſimum Chriſti meritum, per fidem juſtificari, teſtatiſſima S. Scripturæ vox eſt. Vide Act. XIII. 38. 39. Rom III 24 25 28. Ibid. IV. 5. Ibid. V. 1. Galat. II. 16. Epheſ. II. 4 5 7. 8 9. 2 ad Tim III. 15. &c.*

V. *Hanc fidem, veram illam atque ſalutarem, quam Theologi juſtificantem vocant, utrum cauſam ſine qua non, an virtutem divinam, vel*

cauſam

causam instrumentalem, aut denique conditionem appelles perinde est, modo hæc duo firmiter teneantur: Prius est: Unicam, & solam justificationis nostræ causam esse perfectissimam S. Soteris nostri obedientiam, & satisfactionem; Posterius: fidem illam non esse ejus dignitatis, & præstantiæ, ut per se meriti rationem habeat.

VI. Cum autem vera illa, & salutaris fides sine pœnitentia seria, atque amore Dei, & proximi consistere non possit juxta Gal. V. 6. Ibid. Cap. VI. 15. 1. Cor. VII. 19. Manifestum est, Illos demum de tanti Boni possessione gloriari posse, quibus serium pietatis studium inest.

VII. Quando optimus Doctor & Magister noster Jesus Christus discipulum suum Petrum, ut hodie loqui solemus pro S. Ministerio examinaret, hanc potissimum ei quæstionem proposuit, eamque ter repetiit. Petre amas me? Unde colligimus, sincerum Christi amorem primarium Pastoris requisitum esse. Vide Joh. XXI. 15. 16. 17.

VIII. Quamvis haud negemus, impios V. D. Ministros infinitorum malorum in cœtu Christiano causas esse, merito tamen rejicimus eorum sententiam qui negant, Ministrum Ecclesiæ legitimum esse posse, nisi sit regenitus. Hæc enim opinio ad pacem in Ecclesia turbandam, ejusque ordinem & unitatem dissolvendam aptissima est.

IX. Licet conscientia errans non minus obliget, quam recta; exinde tamen nondum sequitur, errantem semper culpa vacare.

X. Si tantum diligentiæ atque operæ Christiani, Doctores præsertim publici insumerent, ad virtutes divinas ex opere Creationis, Providentiæ & Gratiæ manifestissime elucentes, mente, verbis, ac factis laudandas atque celebrandas, vitiaque passim grassantia ex animis hominum evellenda, quantum laboris & studii impendunt, ad singulas consiliorum divinorum rationes circa permissionem mali moralis & physici pervestigandas, & Decreta Dei in ordinem redigenda longe melior & felicior esset Christianæ Reipublicæ status.

XI. Loca Job. I. 1. seq. Act. XX. 28, Rom. IX. 5. 1. ad Timoth. III. 16. 1. Joh. V. 20. ut, alia taceam, divinitatem Jesu Christi clarissime probant.

XII. Contra metum mortis, & ingruentia hujus vitæ mala optimum, & efficacissimum præsidium reperimus in Decretis, & præceptis Religionis Christianæ in genere: in specie autem, in seria, attenta, atque pia cruentæ mortis Christi, Soteris nostri, meditatione.

EXERCITATIO DE ATHEISMO PLATONI IMPACTO.

Clarissimo & Eruditissimo Viro JACOBO BRUKERO S. P. D. JACOBUS ZIMMERMANNUS.



JUdicem Te posco, Vir Reverende, in controversia, quæ tuam maxime cognitionem requirit. Atheismi, pestilentissimi erroris, accusatur non unus e plebe, Philosophorum, sed ipse Plato, Veterum pariter ac modernorum laudibus in cœlum elatus. Accusatur non ab obscuris quibusdam hominibus, qui uti sapere videantur, aliquando cœlum ipsum stultitia petunt, sed a Viris Celeberrimis & acerrimi ingenii P. Baylio & N. H. Gundlingio. Contra hos causam Platonis in me suscepi tuendam. Quis autem de toto hoc negotio Te perspicacius judicare potest? Tu non solum omnes veteris Philosophiæ angulos perreptasti, sed Platoni ipsi longo usu conjunctissimus es; testantur id non solum custissimus libellus, in quo sententias veterum & modernorum de ideis egregie explicuisti, sed & multæ dissertationes elegantissimæ Diariis Eruditorum insertæ. Tibi igitur Apologiam istam Platonis dijudicandam offero, tanquam specimen futuri laboris. Spero Te rigidissimo eam examini subjecturum, candideque, quid de ea sentias aperturum: nullo partium studio animus meus hac in disceptatione tenetur. Non ex eorum numero sum, qui veteres passim in suam sententiam pertrahere nituntur, omniaque quæ antiqua sunt mirantur. Sed & ab iis discedo, qui nova tantum & recentia stupent, existimantes, veteres fungos tantum fuisse: perinde

perinde mihi est, utrum verum detexerit Plato, Zeno, vel Lokius aliquis aut Leibnizius. Atheorum numerum uti augere nolo sic nec minuere. Apologiam equidem Virorum Illustrium falso Atheismi suspectorum in me conscribendam suscepi, sed ita, ut ab æternis veritatis legibus, quantum mihi perspectæ sunt, ne latum quidem unguem discedam. Et ne forte hac in parte errem, non unum specimen, qua ratione Veteres & modernos defendam, Eruditis examinandum offeram eum in finem ut eorum observationibus admonitus, sicubi erravero, in posterum accuratius cuncta examinare possim. Tuum jam erit, *Eruditissime Brukere*, dispicere, utrum Platonem recte defenderim nec ne. Præsta igitur Te Judicem uti severum ita & candidum. Ego interim illius Quintiliani memor ero. *De tantis Viris modeste & circumscripto Judicio pronunciandum, ne quod plerisque accidit, damnent, quæ non intelligunt.* Lib. 10. cap. 1. Sed jam ad rem ipsam venio.

II. Dixi Viros Eruditionis laude florentissimos P. Baylium & N. H. Gundlingium Platonem Atheismi & quidem Spinozismi arguere. Notum autem est, Spinozam adseruisse, unicam dari substantiam, eamque Deum esse. Ut igitur contrarium ostendam, probabo testimoniis cum aliorum tum ipsius Platonis, 1. *celebrem hunc Sapientiæ Antistitem Ens aliquod æternum, sapientissimum, quod Deum vocamus agnovisse*, 2. *Eum solerter Numen, illud a materia distinxisse*, 3. *nullo necessario vinculo cum materia conjunxisse*, 4. *Summam libertatem & imperium in materiam Deo tribuisse*, 5. *tandem providam Dei sapientissimi in omnia curam professum esse.* Hisce rite probatis accurate & prolixe virorum doctissimorum, quos jamjam citavi, præcipue Celeberrimi Gundlingii, rationes in contrarium allatas examinabo.

III. Adferamus igitur primo loco testimonia Veterum, adserentium, *Platonem* Ens aliquod æternum & sapientissimum, quod Deum vocamus, agnovisse. *Plutarchus* de placitis Philosophorum Lib. 1. cap. 7. Σωκρατης καὶ Πλατων το ἑν το μονόφυες, καὶ αὐτοφυες, το μοναδικον, το ὀντως ἀγαθον. Παντα δε ταυτα των ὀνοματων εἰς τον νεν σπευδει, νες ἐν ὁ Θεος, χωριζον εἰδος, τετεχι το ἀμιγες πασης ὑλης, μηδενι παθητω συμπεπλεγμενον. *Socrates & Plato unum singularis & per se subsistentis naturæ, ac solitarium, revera bonum statuunt. Omnia autem hæc nomina ad mentem referuntur. Mens ergo est Deus, species separata, hoc est sincera ab omni materiæ mistura; nec ulli rei, quæ pati aliquid possit, implicita. Apulejus* de dogmate Platonis pag. m. 368. de Deo sentit, quod sit incorporeus. *Is unus*, ait, ἀπερίμετρος *rerumque*

que genitor, omnium extortor, beatus & beatificus, optimus, nihil indigens, ipse conferens cuncta. Quem quidem cœlestem pronuntiat, indictum, innominabilem, & uti ipse ait ἄρρητον, ἀκατανώμαστον; cujus naturam invenire difficile est: si inventa sit, in multos eam enunciari non posse. Auctor Philosophumenων cap. 19. Πλατων ἀρχας εἰναι τε παντος Θεον, καὶ ὑλην καὶ παραδειγμα. Θεον μεν τον ποιητην καὶ διακοσμησαντα τοδε το παν καὶ προνοημενον αὐτε. Diogenes Laertius Lib. 3. δυω δε τῶν παντων ἀπεφηνεν ἀρχας, Θεον καὶ ὑλην, ὁν καὶ νεν προσαγορευει καὶ αἰτιον. pag. seq της μεν ὁλης γενεσεως αἰτιον εἰναι τον Θεον, ὁτι πεφυκεν ἀγαθοποιον εἰναι το ἀγαθον. *Maximus Tyrius* tota dissertatione prima in eo est, uti probet ex mente *Platonis* & Deum esse, eundemque incorporeum. Nolo alia præcipue Patrum loca adducere eadem confirmantia, sed *Platonem* ipsum audiemus. Libro X. fere ab initio conqueritur de contemtu Numinis; *faciunt autem*, inquit, *& dicunt impium aliquid in Deos, vel qui Deos esse negant, vel qui, si putant esse Deos, de rebus tamen humanis curare ipsos minime arbitrantur: vel tertio quamvis & sint, & de hominibus curam habeant, facile tamen placari eos votis & sacrificiis opinantur.* Monet simul prudenter, cum ejusmodi hominibus, argumentis, non vi esse agendum. Argumentatur deinde pro existentia Dei ex *Ordine universi*, & communi *omnium hominum consensu* pag. m. 604. πρωτον μεν γη καὶ Ἡλιος, ἀστρα τε τα ξυμπαντα, καὶ τα των ὡρων διακεκοσμημενα καλως ἐτως, ἐνιαυτοῖς τε καὶ μησι διειλημμενα, καὶ ὁτι, παντες Ἑλληνες τε καὶ βαρβαροι νομιζεσιν εἰναι Θεες i. e. *primum quidem terra Sol sydera, ipsumque Universum, temporum quoque ornatissima varietas, annis mensibusque distincta, id ostendunt, Græcorum præterea Barbarorumque omnium consensus, Deos esse fatentium.* Pagina sequenti *rejicit eorum opinionem, qui adserunt, omnia vel fortuna vel natura fieri.* ATH. *res omnes nonnulli ajunt, quæ fiunt, quæ futuræ, quæque factæ sunt, vel natura vel fortuna vel arte fieri.* CLIN. *& probe quidem,* ATH. *quare sequamur ipsos inquiramusque, quid intellexerint* CLIN. *omnino.* ATH. *maxima, inquiunt, atque pulcherrima natura fortunaque fieri; arte vero minora: eamque dicunt accepta a natura magnorum primorumque operum generatione, fingere, fabricareque minora omnia, quæ artificiosa ab omnibus appellantur.* CLIN. *quomodo id ais?* ATH. *Sic planius dicam. Ignem, aquam, terram, aerem, omnia hæc non arte, sed natura & fortuna esse dicunt. Corpora etiam quæ posthæc sunt: rerum terrenarum, solis, lunæ, stellarum omnium ex istis anima prorsus carentibus facta fuisse ajunt: fortunaque quo unum quodque vis sua impu-*

impulit lata, singula singulis, frigida calidis, sicca humidis, mollia duris, & omnino contraria contrariis, duce fortuna convenisse, ac necessario contemperata fuisse. Hoc pacto cœlum & quæ in eo sunt omnia, animalia quoque & plantas & anni tempora fuisse producta, non per intellectum, neque per Deum aliquem: sed natura, uti diximus & fortuna. Hanc autem opinionem rejicit Plato & contendit omnia potius arte facta esse, & quidem duplici argumento. Primum petit a natura corporum eorumque dispositione, alterum ab origine motus. Primum extat pag. 606. ΑΘ. λεγοιμ' ἂν ὡς ἔοικεν, ἡδη σχεδον ἐκ εἰωθοτος λογον τινα τονδε. Ὁ πρωτον γενεσεως καὶ φθορας αἰτιον απαντων, τουτο ἐ πρωτον, ἀλλα ὑστερον ἐπεφηναντο εἰναι γεγονος, οἱ την των ἀσεβων ψυχην ἀπεργασαμενοι λογοι. Ὁ δε ὑστερον, προτερον, ὁθεν ἡμαρτηκασι περι θεων της ὀντως ὁσιας. ΚΛ. ἀπω μανθανω. ΑΘ. ψυχην ὠ ἑταιρε ἠγνοηκεναι κινδυνευσι μεν ὁλιγον ξυμπαντες οἱον τε ὀν τυγχανει καὶ δυναμιν ἐχει. των τε ἀλλων ἀυτης περι, καὶ δη καὶ γενεσεως ὡς ἐν πρωτοις ἐσι σωματων ἐμπροσθεν παντων γενομενη καὶ μεταβολης τε ἀυτων καὶ μετακοσμησεως ἀπασης, ἀρχει παντος μαλλον. Ἐι δε ἐσι ταυτα ὑτως. ἀρα ἐκ δεξαναγκης τα Ψυχης συγγενη προτερα ἀν ἐιη γεγονοτα των σωματι προσηκοντων ὁσης ταυτης πρεσβυτερας ἡ σωματος ΛΚ. ἀναγκη. ΑΘ. δοξα δη, καὶ ἐπιμελεια καὶ νες καὶ τεχνη, καὶ νομος, σκληρων καὶ μαλακων καὶ βαρεων καὶ κουφων, προτερα ἀν ειη. καὶ δη καὶ τα μεγαλα καὶ πρωτα ἐργα καὶ πραξεις, τεχνης ἀν γιγνοιτο ὀντα ἐν πρωτοις. τα δε Φυσει καὶ φυσις, ἡν ἐκ ὀρθως ἐπονομαζουσιν ἀυτο τουτο ὑστερα καὶ ἀρχομενα ἀν ἐκ τεχνης ἐιη καὶ νε. ΚΛ. πως. ΑΘ. ἐκ ὀρθως φυσιν βαλονται λεγειν γενεσιν περι τα πρωτα. ἐι δε φανησεται ψυχη πρωτον, ἐ πυρ ἐδε ἀηρ. ψυχη δ' ἐν πρωτοις γεγενημενη σχεδον ὀρθοτατα λεγοιτ' ἀν εἰναι διαφεροντως, ὁτι φυσει ταυτ' ἐοθ' ὑτως ἐχουτα ἀν ψυχην τις ἐπιδειξη πρεσβυτεραν ὁσαν σωματος, ἀλλως δε ἐδαμως, ΚΛ. Ἀληθεσατα λεγεις. Hæc ita vertit *Ficinus: dicam jam novam hanc pene inauditamque rationem. Quod generationis corruptionisque omnium prima causa est, non primum sed posterius factum sermones illi affirmarunt, qui animos impios effecerunt. Quod vero posterius, id prius, Quare veram Deorum substantiam ignorarunt.* CLIN. *nondum intelligo* ATH. *qualis anima sit & qualem habeat vim, omnes ferme ignorasse videntur, tum tam quoad alia, tum quoad ejus generationem, quod ante omnia corpora nata sit, & transmutationis decorisque corporum ipsa sit omnium maxime princeps. Si hæc ita sint, nonne quæ animæ ipsius propria sunt, necessario priora his erunt, quæ ad corpus pertinent, cum ipsa corpore sit antiquior.* CLIN. *necesse est.* ATH. *Ergo opinio, cura, intellectus & ars, & lex duris.*

duris & mollibus, gravibus atque levibus priora sunt. Quare ingentia & prima opera, operationesque ipsæ artis imprimis erunt : quæ vero natura sunt & natura ipsa, quam non recte sic appellant, posterius sunt, & artem intellectumque sequuntur CLIN. *Cur non recte.* ATH. *quia naturam generationem circa prima dicere volunt, primaque ponunt corpora. Si autem non ignis nec aër, sed anima primo esse videbitur, anima ipsa corpore antiquior rectissime affirmabitur, & hæc ipsa ita natura constare, si animam corporibus antiquiorem esse constiterit : aliter vero nequaquam* CLIN. Vera loqueris. *Alterum argumentum petit ab origine motus.* Brevitatis causa latina tantum dabo. *Quando aliud ab alio movetur : idque rursus semper ab alio, eritne in talibus aliquid quod primo moveatur ? at quomodo id quod ab alio moveatur, eorum quæ moventur primum erit ? certe impossibile id est. Sed quando aliquid se ipsum movens, aliud quoque movebit, illudque aliud & sic deinceps plurima movebuntur ; an aliud totius motus principium erit, quam mutatio ejus quod se ipsum movit ?* CLIN. *egregie dictum id & concedendum est.* ATH. *præterea nos ipsos interrogemus & ipsi nobis respondeamus. Si quovis modo universa simul steterint, ut plurimi talium audent dicere, quem motum potissimum in ipsis fieri asseremus ? eum profecto quo quid seipsum movet : Motus enim dependens ab alio non prius incidet, quam alia quædam ipsis inciderit mutatio. Quapropter initium omnium motionum primumque motum, qui & instantibus factus sit & in his quæ modo moventur insit illum fateri necesse est, quo quid se ipsum movet : & hanc esse antiquissimam omnium potentissimamque mutationem : secundam vero illam, qua quid ab alio mutatur & alia movet.* Et paucis interjectis ita concludit. CL. *a se ipso moveri asseris rationem esse illius substantiæ, quam nomine omnes animam appellamus* ATH. *assero equidem. Quod si ita est, an adhuc desideramus sufficientius demonstrari, idem esse animam & primam generationem ac motum rerum quæ sunt, quæ fuerunt, & quæ futuræ sint : omniumque rursus istis contrariorum ? quandoquidem transmutationis motusque omnis omnibus causa esse apparuit.* CL. *minime. nam sufficientissime monstratum est, animam omnibus antiquiorem esse, cum motus principium sit.*

IV. Possent hæc mea opinione sufficere ad demonstrandum, Platonem Rectorem sapientissimum Universi agnovisse. Sed intercedit hic P. *Baylius* & duo objicit, quæ prius examinanda sunt. *Continuation des pensées diverses chap. 25.* in eo est, ut argumentum illud ab universali gentium consensu desumtum infringat & inter alia monet, eadem ratione Polytheismum potius quam unius ejusdemque æterni Numi-

Numinis existentiam probari ; eum in finem profert testimonia *Ciceronis*, *Senecæ*, *Maximi Tyrii* & *Platonis*. *Il est clair* (ait occasione testimonii M. Tyrii) *qu'il considere la nature divine comme une espece, qui a sous soi un grand nombre d'individus*, & *qu'il pretend que c'est l'opinion de tous les peuples*. & paucis interjectis. *Savez-vous bien comment Platon a combatu les Athées ? Ce n'est pas en leur prouvant qu'il n'y a qu'un Dieu, c'est en leur prouvant, qu'il y a des Dieux :* citat deinde Lib. X. de legibus, ex quo argumentatus sum. De argumenti hujus valore disputare nolo : hoc tantum dico & M. *Tyrium* & *Platonem* dicis causa Deos in scenam produxisse, quod ex methodo, qua probant Deos esse, satis patet. *Maximus* ait ἐν τοσουτῳ δη πολεμῳ καὶ ϛασει καὶ διαφονια ἑνα ἰδοις ἀν εν παση γη ὁμοφωνον νομον καὶ λογον, ὁτι NB. Θεος εἰς παντων βασιλευς καὶ πατηρ καὶ Θεοι πολλοι, Θεοι παιδες, συναρχοντες Θεῳ ? & paulo post. *In eo Græcus cum Barbaro, mediterraneus cum Insulano, sapiens consentit cum stulto. Ut si ad extrema Oceani littora processeris, hic quoque Deos inventurus sis*, τοις μεν ἀνιχοντες ἀγχι μαλα, τοις δε καταδυομενοι, qui non procul ab aliis oriuntur, ab aliis occidunt. Vides hic sane Θεον τον παντων βασιλεα clarissime distingui, a Diis qui occidunt & oriuntur. Θεοι enim illi sunt sol, luna, stellæ. Hinc in fine primæ hujus dissertationis ait. *In alto magnus Rex ille sedeat, populisque suis volentibus leges quibus sarti tecti maneant, præscribat. Regni autem consortes sint Dii multi, quorum alii videntur, alii oculis conspici non possunt.* Vides denuo Magnum illum Regem clarissime a cætera Deorum turba distingui. Quinam autem illi Θεοι ὁραθοι aut ἀφανεις num forte, quod *Baylius* vult, individua ejusdem speciei ? respondebo verbis Eruditissimi *Davisii*. Ὁραθοι inquit, Θεοι sunt ἀϛερων φυσεις. Deos cœlites, inquit, *Apulejus* de Deo Socrat. p. 41. partim visu usurpamus, alios intellectu vestigamus. Ac visu quidem cernimus

—— *Vos o clarissima mundi*
Lumina &c. *In eodem visibilium Deorum numero, cætera quoque Sydera, qui cum Platone sentis locato. Stellæ etiam Alcinoo* cap. 14. sunt νοερα ζωα καὶ Θεοι. *Philoni Judæo de Opif. mundi* pag. 4. Θεοι ἀιδιοτητι. *Eas nempe censebant anima & quidem excellentissima præditas, unde Plato* in Epinom. ait : Θειον γενος ἀϛερων σωματος μεν τυχον καλλιϛε, ψυχης δε εὐδαιμονεϛατης. *In hac sententia fuit Origenes v. P. D. Huetii Origen.* Lib. 2. Quæst. 8. *In* ἀφανων *vero* Θεων *numero erant illi duodecim situ nominum in duos versus ab Ennio coarctati, Juno, Vesta, Minerva, Ceres*

res &c. *aliique*. *Apulejus de Deo socrat.* pag. 42. hactenus *Davisius*. Patet autem hoc vel maxime ex *toto* disputationis Maximi *Scopo;* non solum probare vult Deum esse, sed & eundem ab omni re', quæ in sensus incurrit, longissime secretum esse, imo ne mente quidem satis capi posse : hinc dissertatione 38. Deum vocavit ἀνωνυμον νομοθετην ob Majestatem & excellentiam divinæ naturæ. At vastissima illa corpora in cœlo fluitantia non a Philosophis tantum, sed & quolibet plebeio videri possunt. Idem fere responderi potest de *Platone:* ille enim non solum solerter, quod infra probabimus γεννιτας Θεὸς a supremo universi Rectore distinguit, sed in citatis locis argumentatur, ab ordine universi, natura rerum corporearum, origine motus, quæ pluralitatem sane causarum æqualium minime inferunt. Alterum, quod *Baylius* objicit, extat eodem libro pag. 351. *On vous citera*, inquit, *d'excellens passages ou Platon a parlé de Dieu très sensement, mais cherchés les livres ou il a parlé en Physicien, & non pas en Moraliste ou en Politique. Vous trouverés un Galimatias, & des Impietés épouvantables dans sa Theologie philosophique, si vous la pouvés anatomiser & vous n'y trouverés l'unité réelle d'aucune chose.* Fateor lubens multa esse in Philosophia *Platonis* præcipue ubi de rebus divinis agit, in speciem sublimia, revera tamen aut trita, aut prorsus nihil significantia, multa adversa fronte inter se pugnantia, sed existentiam tamen & Unitatem Supremi Numinis inde probari haud posse, hoc est quod nego. Verum præterea est, *Platonem* in libris de legibus physica haud tractare dogmata, sed argumentatur tamen in hoc ipso X. legum libro de existentia Dei, uti solent, omnes illi, qui capitalem hanc veritatem demonstrare nituntur, licet non eam ratiocinationis methodum sequatur, qua usi sunt moderni Philosophi *Clarkius*, *Wolfius* aliique Philosophi artis recte ratiocinandi peritissimj. Sed ne forte illi, qui omnia Summi Viri, *Baylii*, decreta pro Oraculis habent, existiment, me examen refugere, provoco ad *Platonis Timæum*, quem respexisse præcipue *Baylium* existumo. Brevitatis autem causa pleraque ex versione latina Ficini adducam. pag. 708. incipit *Plato* loqui de omnium rerum Origine. *Deos*, inquit, *Deasque precamur, in primis quidem ut ea dicantur à nobis, quæ illis placeant: deinde ut nobis ipsi constemus. Quantum ad Deos attinet sic a nobis oratum sit. Sed quod ad nos spectat, poscendum est, ut & vos facile adsequamini, & ego secundum mentis propositum rem ipsam qua de agitur transigam. Principio ita mihi distinguendum esse videtur, quid sit quod semper est carens generatione: quid vero quod gignitur*

quidem

quidem nec est unquam. Illud intellectu per rationis indaginem percipi potest, cum semper sit idem. Hoc opinione per irrationalem sensum attingi, cum gignatur, & intereat neque verè unquam sit. Quicquid autem gignitur, ex aliqua causa necessario gignitur. Sine causa vero quicquam oriri impossibile est. Quando igitur Opifex in operis alicujus constructione, ad id quod eodem modo se semper habet aspicit, & hujusmodi quodam usus exemplo ideam vimque in opus educit, pulchrum fieri, tunc opus omne necessarium est, quando vero ad id quod factum est respicit, minime pulchrum. Universum igitur hoc, Cœlum sive mundum, sive quo alio vocabulo gaudet, cognominemus. De quo primum considerandum est, quod in quæstione de universo ante omnia investigari debet: Utrumne semper fuerit sine ullo generationis principio; an genitum sit ab aliquo principio sumens exordium. Id profecto cernitur tangiturque & corpus habet. Omnia vero hujusmodi sensus movent. Quæ sensus movent opinione per sensum percipiuntur. Hæc vero talia esse constat, ut gignantur & genita sint. Quicquid autem gignitur, ab aliqua causa necessario gigni asseruimus. Opificem quidem & Patrem mundi invenire difficile,, & cum jam inveneris prædicare & eloqui vulgo impossibile est. Rursus considerandum est, utrum Mundi Faber sit imitatus Exemplar; id quod idem semper & simile est, an id quod genitum fuerit. Atqui si pulcher est hic mundus & Opifex mundi bonus, sempiternum certe Exemplar voluit imitari. Sin secus, quod ne dictu quidem fas est, generatum Exemplar pro æterno est secutus. Cum vero & mundus omnium genitorum pulcherrimus sit, & ejus Autor causarum omnium optimus, dubium non est, quin sempiternum secutus sit Exemplum. Sic igitur generatus, ad id est effectus, quod ratione sola comprehendi potest, & immutabile permanet. Ex quo efficitur, ut necesse sit hunc mundum alicujus simulacrum esse. Paucis interjectis aperit, quæ causa Deum tantum opus moliendi moverit. *Dicamus igitur quam ob causam ille rerum Autor generationem & hoc Universum constituit.* Αγαθος ἡν. ἀγαθῳ δε ἐδεις περι ἑδενος ἑδε πὁτε ἐγγιγνεσθαι φθονος. Τὰτε δ'ἐκτος ὠν, παντα ὁτι μαλιστα ἐβουληθη γενεσθαι παραπλησια ἀυτῳ. Ταυτην δε γενεσεως κοσμον μαλις' ἀν τις ἀρχην κυριωτατην παρ' ἀνδρων φρονιμων ἀποδεχομενος, ὀρθοτατα ἀποδεχοιτ' ἀν. βουληθεις γαρ ὁ Θεος ἀγαθα μεν παντα, φλαυρον δε μηδεν εἰναι καθ' δυναμιν, ὁτω δι παν ὁσον ἡν ὁρατον παραλαβων, ἐκ ἡσυχιαν ἀγον, ἀλλα κινουμενον πλημμελως καὶ ἀτακτως, εἰς τἀξιν ἀυτο ἠγαγεν ἐκ της ἀταξιας ἡγησαμενος ἐκεινο τὰτε παντως ἀμεινον. Θεμις δε ἐν' ἡν, ἐν' ἐστιν ἀριστῳ δραν ἀλλο πλην το καλλιστον. pag. 711. *Deum solum æternum cætera fluxa & mutabilia esse ait. Dies porro & noctes & menses & annos,*

qui ante cœlum non erant, tunc nascente mundo, nasci jussit, quæ omnia temporis partes sunt. Atqui erat & erit, quæ nati temporis species sunt, non recte æternæ substantiæ adsignamus. Dicimus enim de illa, est, erat & erit. Sed illi revera solum esse competit. Fuisse vero & fore deinceps ad generationem tempore procedentem referre debemus. Motus enim quidam illa duo sunt. Æterna autem substantia cum eadem semper & immobilis perseveret, neque senior se ipsa fit unquam, neque junior, neque fuit hactenus, neque erit in posterum, neque recipit eorum quicquam, quibus res corporeæ mobilesque ex ipsa generationis conditione subjiciuntur. p. 712. *Solem, stellas &c. ad certum finem esse productas* pag. 713. & sq. *Concedit quidem Deum quosdam ministros habuisse in exornando Universo, sed Eum tamen in Omnes Imperium habere.* Hinc Deorum Patrem ita inducit loquentem pag. 481. Θεοι Θεων, ὡν ἐγω Δημιεργος, πατηρ τε ἐργων, ἁ δι ἐμε γενομενα, ἀλυθα ἐμε γε Θελονλος. Το μεν ἐν δι δεθεν παν λυθον. Τογε μεν καλως ἁρμοσθεν κὰ ἐχων ἐυ, λυειν ἐθελειν κακε, δι ἁ κὰ ἐπειπερ γεγενησθε ἀθαναθοι μεν ἐκ ἐσε. ἀδ' ἀλυλοι λοπαμπαν, ἀλι μεν δη λυθησεσε γε, ἀδε λευξεσθαι θαναλε μοιρας. Της ἐμης βελησεως μειζονος ἐτι δεσμα κὰ κυριωλερα λαχονλες ἐκεινων, οἰς ὁ ἐγιγνεσθε συνεδεισε. i. e. *Dii Deorum, quorum ego Opifex & Pater sum, hæc attendite. Quæ a me facta sunt, me ita volente indissolubilia sunt. Omne siquidem quod vinctum est, solvi potest. Sed mali est, quod pulchre compositum est, seque habet bene, velle dissolvere. Quapropter quia generati estis, immortales quidem & insolubiles non estis. Nec tamenunquam dissolvemini, nec mortis fatum subibitis. Nam voluntas mea majus præstantiusque vobis est vinculum ad vitæ custodiam, quam nexus illi, quibus estis, tunc cum gignebamini, colligati.* Pag. 715. sq. ex *oculis, corde, pulmonibus* &c. infinitam Dei sapientiam demonstrat, quæ brevitatis causa non transcribam. Ea tantum noto, quæ pag. 726. præclare asserit. *Quemadmodum ait ab initio diximus, cum hæc ordine carerent, singulis Deus & ad se se, & ad alia invicem eatenus modum rationemque proportionis indidit, quatenus suscipere singula poterant. Tunc profecto nil erat ordinis, nisi forte casu aliquo particeps: nec quicquam tunc aqua, ignis vel aliud quicquam eorum, quæ modo apud nos nominantur, jure vocandum erat. Verum hæc primum omnia exornavit, deinde ex iis hoc Universum constituit animal unum animalia omnia in se mortalia & immortalia continens.* Hæc nisi fallor quam maxime probant, *Platonem* Ens æternum, sapientissimum & Optimum agnovisse.

V. *Probabimus ergo 2. loco, Platonem, Deum cum materia nec confudisse,*

fudisse, nec unam substantiam tantum dari in Universo, statuisse. Patet hoc ex locis in quibus Deus ab omni materia longissime secretus esse dicitur. Præter locum *Platonis* & *Plutarchi* aliis jam testimoniis hoc adstruemus. *Max. Tyr.* dissertat. 1. explicaturus quid sit ex mente *Platonis* Deus, incipit a natura rerum sensibilium & deinde concludit Deum nihil ejusmodi esse, quod omnia corpora imperfecta, perpetuæ mutationi obnoxia sint: λειπεται δη ωσπερ εις ακροπολιν αναβιβασαμενος το λογω τον Θεον, ιδρυσαι καλα τον νων αυτον αρχηγικωτατον. *Reliquum est ergo, ut tanquam in arce aliqua sublimi, in principe intellectu Deum statuamus. Alcinous* cap. 9. totus in eo est, uti demonstret, Deum non posse esse corpus. Cum (ait ex versione Ficini) *partes nullas habeat Deus, neque secundum locum, neque secundum alterationem movebitur. Etenim si mutationem patitur, vel a se ipso, vel ab alio quodam permutari necesse est. Si ab alio, illud utique validius erit. Sin a se ipso, aut in deterius, aut in melius transmigrabit; verum utraque impossibilia sunt. Quibus omnibus perspicuum est, ipsum incorporalem esse. Veruntamen ex iis quæ adjicientur, idem quoque patebit. Si corpus Deus esset, ex materia specieque constaret, ex eo quod omne corpus compositum quoddam est ex materia simul & specie, quod quidem idearum simile redditur, dum illis ineffabili quadam ratione participat. Absurdum autem est, Deum ex materia specieque constitui; Neque enim simplex, neque principium esset; quamobrem incorporeus Deus est. Præterea si corpus est, ex materia constat. Ideoque vel ignis est, vel aer, vel terra, vel aqua, aut aliquid ex iis constatum. At quomodocunque se habeat, principium minime erit, erit materia ipsa posterior, si quidem ex materia conficiatur, quæ quoniam nefaria sunt, incorporeum Deum esse necesse est. Etenim si corpus est, corrumpi potest, genitusque est, & transmutationi subjectus. Atqui horum nihil in Deum cadit. Timæus Locrus*, quem in hisce secutus esse videtur *Plato*, de anima mundi p. 549. Ed. Gale. Θεον δε, τον μεν αιωνιον νους ορη μονος, των απαντων αρχαγον και γενεθλα ιδεων. *Deum porro sola mens videt in bis omnibus sane rebus, principem autoremque & Parentem horum omnium. At non solum Deum præstantissimam mentem esse adstruxit Plato, sed & a materia distinxit, quam æternam simul esse putavit, atque adeo non unam tantum dari substantiam credidit.* Probat hoc frequentissima *Platonis* & sequacium distinctio inter τα νοητα, οντως οντα, αδιαλυτα, Θεια, & inter τα γιγνομενα, μη οντα, αιθητα. Priora solis divinis competere *Plato* ipse in Politico p. 174. asserit το κατα ταυτα και ωσαυτως εχειν αει και ταυτον ειναι τοις παντων Θειοτατοις προσηκει μονοις.

σωμάτος δε φυσις ἐ ταυτης της ταξεως: Idem semper esse & secundum eadem, & eodem modo se habere, solis omnium divinissimis convenit: corporis autem natura, hujus ordinis non est compos. *Laertius* ex mente *Platonis* Lib. 3. ἀιαθητον το μηδεποτε ἐν τω ποιω μηδε ποσω διαμενον, ἀλλα ἀει ῥεον ϗ μεταβαλλον. Νοητον δε ἐξ ἐ μηδεν ἀπογινεσθαι μηδε προσγινεσθαι, 2. Inter principia *Platonis* omnium rerum referunt veteres Θεον, ὑλην, ἰδεαν, nec enim Laertium curo, qui duo tantum statuit, Θεον ϗ ὑλην. Deum autem & materiam non solum clarissime distinxit *Plato*, sed & eandem æternam esse perhibuit. Auctor Philosophumen. pag. 111. την μεν ἐν ὑλην ἀρχην εἰναι ϗ συγχρονον τω Θεω. Plutarchus, περι της ἐν Τιμαιω Κοσμογενιας pag. 1014. ait την δε ἀσιαν ϗ ὑλην, ἐξ ἧς γεγονεν (sc. mundus) ἐ γενομενην, ἀλλ ὑποκειμενην ἀει τω Δημιυργω εἰς διαθεσιν ϗ ταξιν αὐτης, ϗ προσ αὐτην ἐξομοιωσιν (ὡς δυνατον ἠν παραχειν) ἐ γαρ ἐκ τε μη ὀντος ἡ γενεσις, ἀλλ' ἐκ τε μη καλως μηδ' ἱκανως ἐχοντος. *Substantiam autem & materiam, ex qua factus est mundus, non natam sed semper subjectam Opifici disponendam se & ordinandam, atque ipsius similitudinem, quantum ejus fieri potest, effingendam præbuisse. Non enim ex eo, quod nihil esset, extitit mundus, sed ex eo, quod non pulchre, non recte, aut perfecte esset.* Scio Platonicos juniores, *Plotinum*, *Porphyrium*, *Jamblichum*, *Hieroclem*, & inter recentiores Cl. *Cudworthum* adserere, mundum ex mente *Platonis* a Deo creatum fuisse; sed evidentissima loca jam in contrarium adtulere doctissimi Viri J. *Thomasius* & *Ch. Wolfius*. Sufficiat nobis ostendisse, *Platonem* Deum ab omni materia secrevisse, atque adeo non unam tantum substantiam dari, asseruisse. (*)

VI. Haud difficulter credo hæc mihi concedent illi, qui Philosophiæ Platonicæ periti sunt; sed hoc quam maxime in dubium vocabunt, utrum nempe Deum *Plato* nullo necessario vinculo cum materia conjunxerit; *Probandum igitur 3. est, Deum ex mente Platonis nullo necessario vinculo conjunctum esse cum materia.* Ut autem hoc demonstrem probabo (*a*) *Deum ex mente Platonis liberum esse* (*b*) *eum fines in exornatione Universi intendisse*, (*c*) *Deum necessitati imperare* (*d*) *mentem nostram liberrimam esse, pœnæ ac præmiorum capacem.* (*e*) *Destructionem mundi a liberrima Dei voluntate suspendi.* Unde necessario sequetur, Deum cum materia nullo necessario & immutabili vinculo conjunctum esse. Antequam autem per partes hæc probem in antecessum

(*) Singulari & pererudita dissertatione probavit Magnificus Cancellarius Göttingensis *Moshemius* Neminem inter Gentiles creationem Mundi ex Nihilo professum.

ceſſum hoc monendum eſt. *Platonem* nimirum conceſſiſſe, materiam eſſe æternam, & in eo cum plerisque veterum erraſſe; maximæ enim, poſita materiæ æternitate, oriuntur difficultates circa operationem & Imperium Dei in materiam, præcipue ſi omnia, quæ inde ſequuntur, urgentur. Haud tamen exiſtimaverim, quenquam propterea inter atheos referendum. Qui enim Deum a materia ſolerter diſtinguit, mundi productionem ſoli Deo tribuit, Deo ſummam ſapientiam cæterasque virtutes Numine dignas, quibus omnis Dei cultus, legumque reverentia nititur, adſcribit, præterea mentem noſtram liberrimam eſſe pronuntiat, mea opinione ab Atheiſmo liber eſt. Inprimis ſi cogitemus, quam difficulter ratione ſola probetur, Deum omnia ex nihilo creaſſe. At hæc omnia agnovit *Plato*. Probabo igitur (*a*) *Deum ex mente Platonis liberrimum eſſe. Patet autem hoc ex ſtatu materiæ antequam Deus eam exornaret.* Nimirum materia, uti ex locis ſupra adductis patet, erat ἀμορφον τι καὶ ἀσυςατον, potuiſſetque adeo per omnem æternitatem in hoc ſtatu manere, nulla rerum & creaturarum fuiſſet diſtinctio; potuiſſet etiam Deus ex mente *Platonis* per omnem æternitatem materiam illam a ſe diſtinctiſſimam contemplari. Cum autem variæ creaturarum ſpecies ortæ ſint, quæ a materiæ natura repeti non poſſint ex mente *Platonis*, recurrendum eſt ad liberrimam voluntatem ſummi Rerum Moderatoris. Nec ullam ego hic umbram neceſſitatis video. Tolle materiæ æternitatem, & exigua, vel nulla erit inter *Chriſtianorum*, *Platonisque* ſententias opinionum diverſitas, hac ſaltem in parte. Secundum nos ſapientiſſimus & optimus Deus voluit extra ſe producere vel creare Univerſum, ad id nulla vel intrinſeca vel extrinſeca neceſſitate compulſus: Obverſabantur Deo omnium rerum poſſibilium ideæ, quarundam denique, quarum complexum mundum vocamus: exiſtentiam voluit, convenienter illis ideis, quas ſemel ſibi præformavit. Deus juxta *Platonem* diſcretus fuit a materia. Materiam vidit eſſe rudem indigeſtamque molem. Voluit Deus pulcherrimam efficere. Illam ergo ſponte & bonitate naturæ motus, in ordinem redigit, quod fuſe *Plato* in *Timæo* recenſet. Inde tandem Eodem volente oritur hic mundus, hæc pulcherrima rerum ſeries. Quis autem in hoc ſyſtemate neceſſitatem videt? Sed ais, neceſſitas oritur propter æternitatem materiæ, Deus enim eam κατα δυναμιν, quoad illa pateretur, pulchram & perfectam effecit. Ita eſt. Sed antequam Deus manus operi admoveret, liber tamen erat, potuit materiam in ſtatu illo confuſo linquere: materia Deum ad agendum cogere non

potuit, quod hactenus sufficit. Perpende nostrum systema. Deus liber fuit, utrum mundum condere voluerit nec ne; libere mundum produxit. Postquam semel perfectissima voluntas statuit mundum hunc producere, non potuit non convenienter ideis, quas de eo sibi præformavit, agere, licet præviderit imperfectionem quandam respectu nostri locum habituram. Nullus quidem dubito, quin Deus creare potuisset mundum, in quo nulla plane imperfectio locum habitura fuisset; potest enim omnia quæ contradictionem non involvunt. Ortus tamen est mundus Deo volente, in quo imperfectio aliqua locum habet. Quod si quæras, unde imperfectio orta? *Plato* ad materiæ jam præexistentis pravitatem confugit, quæ impedivit eum, quo minus omnia perfectissima conderet. Nos dicimus omnia a Deo perfectissime creata, sed partim variam materiæ concatenationem, partim prava mentium humanarum studia in causa esse, quo minus Mundus hic, quem incolimus, ab omni imperfectione liber sit. Dijudicandam tamen esse ejus pulchritudinem ex Harmonia Universi. Lubentes interim fatemur systema christianorum longe præferendum esse systemati *Platonis*. Patet tamen ex hisce, Deum ex mente *Platonis* cum materia necessario quodam nexu copulatum minime fuisse, quod hactenus nobis sufficit.

VII. Transeamus ad alterum argumentum, quo probatur Deum nullo necessario vinculo cum materia junctum fuisse. *Hoc autem petimus ex eo, quod Plato clarissime adseruerit, Deum ad certos fines omnia condidisse.* Qui antequam agit, prudens omnium rerum nexus contemplatur & fines sapientissimos intendit, ille agit liberrime: qui autem non potest non agere & sequitur rerum vim, trahi potius, quam libere agere dicendus est. Probabimus ergo allatis testimoniis, Deum ex mente *Platonis* in exornatione universi sapientissimos sibi præfixisse fines. Supra jam attulimus loca, in quibus *Plato* exerte negat, natura aut fortuna omnia facta esse; attuli loca, in quibus testatur oculum ad videndum &c. factum esse. Lib. X. Legum pag. 610. postquam asseruisset, Deum etiam minima curare, sic pergit: Πειθωμεν τον νεανιαν τοις λογοις, ὡς τω τε παντος ἐπιμελεμενω προς την σωτηριαν και ἀρετην τε ὁλε, παντ' ἐστι συντεταγμενα. ὡν και το μερος εἰς δυναμιν ἑκαστε το προσηκον παρχει και ποιει. τυτοις δ' εἰσιν ἀρχοντες προστεταγμενοι ἑκαστοις ἐπι το σμικροτατον ἀει παθης και πραξεως. Εις μερισμον τον ἐχατον τελος ἀπειργασμενος, ὡν ἐν και το

σεν

σον ὦ ἀχετλιε μοριον, εἰς το παν ξυντεινει βλεπον ἀει καιπερ παυσμικρον ὀν. σε δε λεληθε περι αὐτο ὡς γενεσις ἑνεκα ἐκεινυ γιγνεται πασα. Ὁπως ἡ τω τε παντος βιω ὑπαρχουσα ἐυδαιμων ὐσια ἐχ ἑνεκα σε γινομενη, συ δε ἑνεκα ἐκεινυ. πας γαρ ἰατρος και πας ἐνηεχνος δ'ημιυργος, παντος μεν ἑνεκα παντα ἐργαζεται προσ τα κοινη ξυντεινον βελτιστον. Μερος μην ἑνεκα ὁλυ και ὐχ ὁλον μερυς ἑνεκα ἀπεργαζεται. συ δε ἀγανακτεις, ἀγνοων, ὁτι το περι σε ἀριστον τω παντι συμβαινει, και σοι κατα δυναμιν την της κοινης γενεσεως. i. e. ex versione *Ficini*. *Huic adolescenti persuadeamus, eum qui toti providet, ad virtutem salutemque totius omnia ordinare, cujus pars quæque pro viribus, quod sibi convenit agit, & patitur: atque his singulis præpositi principes sunt, qui minimarum etiam actionum passionumque per singulas & extremas Universi particulas distributione ad ultimum usque peracta curam habent. Quarum una tua, o miser, particula est, quæ & ad totum semper respicit, quamvis minima sit. Tu vero ignoras, omnem singulorum generationem illius gratia fieri, ut universi ipsius beata vita sit. Ejus substantia non tui gratia est, sed illius tu gratia factus es. Medicus enim & artificiosus Opifex omnis, totius gratia singula facit, & ad communem perfectionem dirigit omnia: non totum ad partem sed partes ad totum singulas referens. Tu autem molesté fers, quia ignoras quo pacto, quod Tibi optimum est, universo, simul & tibi pro communis generationis viribus convenit.* Sane elegantissimus ille locus clarissime ostendit, Deum ex mente *Platonis* non solum singulari sapientia cuncta ordinasse, sed & ad totius Universi Harmoniam recte perficiendam animum induxisse. Idem patet ex prolixo loco in Timæo p. 709. V. Ficini. *Volens ait itaque Deus omnium, quæ intelligi possunt, pulcherrimo & undique absoluto mundum hunc simillimum reddere animal unum ipsum effecit, aspectui subjectum, animalia cuncta naturæ suæ convenientia intra suum limitem continens &c.* lege sequentia, quæ eodem spectant. Verum est, semper *Platonem* materiæ æternitatem supponere, sed cum nexus rerum corporearum in Materia fundatus haud sit, Deus autem omnium rerum concatenationem in mundo illo intelligibili non præviderit tantum, sed & condere voluerit, exulat sane ferrea necessitas. Hinc & factum, quod *Platonici* Juniores ad objectiones de origine mali ad Harmonicam illam rerum dispositionem confugerint. *Jamblichus de Myst. Æg. Sect. I.* cap. 18. Ed. Galei ita ait, Γενοιτο δ' ἀν τι και το τοιω-

τοιουτον ἐν τῃ τȣ παντος ἁρμονια και κρασει ὡς τα αὐτα τω̃ μεν ὁλω και παντι σωτηρια εἰναι διὰ την τελειοτατα των τε ἐνοντων, και οἰς ἐνεςι, τοις δε μερεσι βλαβερα διὰ την μεριςην ἀσυμμετριαν, και ἐν τῃ τȣ παντος κινησει πασαι μεν αἱ περιφοραι κατα παντα κοσμον ὡσαυτως διαφυλαττȣσιν, ἐν δε τῃ των ἐν μερει πολλακις θλιβεται ὑπ' ἀλλȣ μερȣς, ὁπερ και ἐν ὀρχησει ὁρωμεν γιγνομενων &c. *Quinimo in Universi harmonia & crasi evenire potest, ut eadem quæ sint salutaria toti Universo propter convenientiam & perfectionem receptorum & recipientium, partibus interim sint damnosa propter particulares ineptitudines. Omnes sane orbium circulationes* (ut de universis loquar motibus) *totum mundum similiter conservant; cum interim pars alia ab alia laudetur: quomodo sæpe in saltationibus fieri videmus, ubi totius chori decor servatur, cum digitus aut pes interim offendatur.* M. Tyrius dissert. XXV. in quæstione τȣ ωεȣ τα ἀγαθα ποιȣντος, ποθεν τα κακα, malum morale τῃ της ψυχης ἐξεσια adscribit, physicum vero corruptæ materiæ adfectioni, quibus adlatis ita pergit pag. 259. Ed. Davisii: Ὑλην ὁρας ὑποβεβλημενην Δημιȣργω ἀγαθω, ἡς το μεν κοσμηθεν, ἡκει παρα της τεχνης. Ἐι δε τι, ἀκρατως ἑαυτων τα ἐν γῃ ἐχοντα, παρεχει πλημμελες, αἰτιον μη την τεχνην ϑιθει. Βȣγησις γαρ ἀδημια τεχνιτȣ ἀτεχνος, ἀδε γαρ νομοθετȣ ἀδικος, ὁ δε Θειος νȣς ἀνθρωπινης τεχνης ἐυσοχωτερος. Καθαπερ ἀν ἐν ταις των τεχνων χειρȣργιαις τα μεν ἡ τεχνη προηγȣμενως δρα ϛοχαζȣμενη τȣ τελȣς, τα δε ἑπεται τῃ χειρȣργια, ἁ τεχνης ἐργα, ἀλλ' ὑλης παθη, σπινθηρες τε ἐξ ἀκμονος, και ἐκ βαυνȣ ἀιθαλωσεις, και ἀλλο ἐξ ἀλλης παθος, ἀναγκαιον μεν τῃ ἐργασια, ἁ προηγȣμενον δε τω τεχνιτῃ. ὑτως ἀμελει και ὁσα περι γην παθη γινεται, ἁς καλȣμεν κακων ἀνθρωπινων ἐμβολας ἐνϑαυϑα ἡγητέον ἀναιτιον και τον τεχνιτην, εἰναι δε ταυτα της τȣ ὁλȣ δημιȣργιας ὡσπερ τινας ἑπομενας και ἀναγκαιας φυσεις ἁ δε ἡμεις καλȣμεν κακα και φθορας και ἐφ' οἰς ὀδυρομεϑα, NB. ταυτα ὁ τεχνιτης καλει σωτηριαν τȣ ὁλȣ. Ita eleganter Maximus. Scio Viros quosdam Eruditos existimare, Maximum hic a sententia *Platonis* deviasse, sed, qui allatum *Platonis* locum rite perpenderit, cumque iis quæ illic sequuntur contulerit, perspiciet, eidem sententiæ addictum fuisse *Platonem*. Et hæc etiam est sententia Præcellentissimorum Ævi nostri Philosophorum, *Leibnizii* & *Wolfii*. In

eo

eo tamen dissensus, quod *Leibnizius* imperfectionis illius vestigia non in materia, sed ipsis æternis rerum possibilium ideis quærat, de quo jam non agimus. Sufficit Deum ex mente *Platonis* ad sapientissimos fines cuncta formasse, & ad totius Universitatis rerum Harmoniam respexisse, unde evidenter infertur, Deum insolubili materiæ vinculo alligatum non esse.

VIII. (c) Tertium argumentum, quo probatur Deum ex mente *Platonis* materiæ vinculis constrictum non fuisse, *desumimus ex eo, quod Plato adserat, Deum materiæ, & quæ inde oritur, necessitati, imperare.* Si Deus vim & potentiam suam in materiam exerit, ab ea tamen ad hoc vel illud agendum non cogitur, sequitur eum nulla ratione cum materia conjunctum esse. Probabimus illud denuo verbis *Platonis.* Sed videamus primo, quid *Plato* necessitatis & *Fati* nomine intellexerit. *Plutarchus* de placit. Phil. Lib. 1. cap. 26. περι ὑσιας ἀναγκης. de *Platone.* Πλατων τα μεν εις προνοιαν ἀγει, τα δε εις ἀναγκην. ibid. Πλατων ὁτε μεν την ὑλην, ὁτε δε την τȣ ποιȣντος προσ την ὑλην ὀχεσιν. cap. 27. περι Εἱμαρμενης Πλατων ἐγκρινει μεν την Εἱμαρμενην ἐπι των ἀνθρωπινων ψυχων και βιων, συνεισαγει δε και την παρ' ἡμας ἀιτιαν. cap. 28. περι ὑσιας Εἱμαρμενης. Πλατων λογον ἀϊδιον και νομον ἀϊδιον την τȣ παντος φυσεως. Ex hisce locis patet 1. *Platonem* quædam tribuere mentis libertati, 2. necessitatem vocare, materiam ipsam in se spectatam & voluntatem sive operationem Dei materiam certis limitibus circumscribentis. Cum *Plutarcho* consentiunt *Apulejus* & *Alcinous:* prior de dogmat. Plat. p. 374. Ed. Lugd. B. *Plato* non omnia ad Fati sortem arbitratur esse ferenda. Ita enim definit, *Providentiam divinam esse sententiam, conservatricem prosperitatis ejus, cujus causa tale suscepit officium: divinam legem esse Fatum, per quod inevitabiles cogitationes Dei atque incepta complentur. Unde si quid Providentia, geritur, id agitur etiam fato, & quod fato terminatur, Providentia debet susceptum videri.* Et quibusdam interjectis. *Nec sane omnia referenda esse putat ad vim Fati: sed esse aliquid in nobis & in fortuna esse nonnihil, & fortunæ quidem improvidos casus ignorari a nobis fatetur. Instabile enim quiddam & incurrens intercedere solere, quæ consilio fuerint, & meditatione suscepta, quod non patiatur mediata ad finem venire* Clarius adhuc *Alcinous* cap. 26. Εἱμαρμενη — λεγει, ὁτι ει τις ἀν ἑληται ψυχη τοιȣτον βιον, και τα δε τινα πραξει, τα

δε ἱνα, αὐτη ἐψεται. Ἀδεσποτον ἀν ἡ ψυχη, και ἐπ' αὐτη μεν το πραξαι ἡ μη ταυτα. Και ἀ κατηναγκασαι τυτο. Το δε ἑπομενον τη πραξει, καθ' ἑιμαρμενην συντελεδησεται. Οιον τω Παρις ἁρπασει την Ελενην, ἐπ' αὐτω ὀντι, ἀκολυθησει το πολεμησυσι Τρωεσσι περι της Ἑλενης οἱ Ἑλληνες. *Fatum dicit, quod si quæ anima vitam ejusmodi delegerit, atque talia fecerit, hæc illam consequentur. Libera ergo anima est, atque in ejus potestate est situm, illa agere vel non agere: nec ad ea ulla necessitate cogitur. Quod autem in illo ordine sequitur, id fato perficietur. Veluti ex eo, quod Paris Helenam rapiet,* (quod quidem illi erat liberum) *consequens erit ut Græci pro Helena adversus Trojanos bellum gerant.* Sed adferenda sunt loca ex ipso *Platone*, quibus hoc ipsum manifestum fiat. Postquam in *Timæo* pag. 716. dixisset: Oportet autem mentis & scientiæ Amatorem principales sapientis naturæ causas quærere: atque alias, quæ necessario ab aliis quidem moventur, alia vero movent secundas causas arbitrari. Post hæc, cur aures & oculi a Deo dati sint, explicat, & hæc p. 484. addit. Τα μέν ἀν παρεληλυθοτα των ἑιρημενων, πλην βραχεων ἐπιδεδεικται τα δια νυν δεδημιυργημενα. δει δε και τα δι' ἀναγκης γιγνομενα τω λογω παραθεσθαι. Μεμιγμενη γαρ ἀν ἡ τυ δε τυ κοσμυ γενεσις, δ' ἐξ ἀναγκης τε και νυ συστασεως, ἐγενηθη. Νυ δε ἀναγκης ἀρχοντος τω πειθειν αὐτην, των γιγνομενων τα πλειστα ἐπι το βελτιστον ἀγειν, ταυτη κατα ταυτα δι' ἀναγκης ἡττωμεναις ὑπο πειθυς ἐμφρονος, ὡτω κατ' ἀρχας ξυνιστατο τοδε το Παν. Hisce adductis pergit ad originem & naturam corporum explicandam, unde liquet, necessitatem vocare *Platonem* ipsa corpora, Deumque in eam Imperium habere. In eodem *Timæo* pag. 709. *Quoniam vero*, (ait) *corporeus spectabilisque & tractabilis erat futurus mundus, ac sine igne videri nihil potest, nihilque sine solido tangi, & solidum absque terra nihil, ideo in operis hujus exordio Deus ignem primo terramque creavit. Sed duo sola absque tertio quodam commode cohærere non possunt, mediumque aliquod vinculum utrorumque desiderant, & hoc aerem atque aquam esse dixit. Cum soliditatem mundus requireret, solida vero non uno sed duobus semper mediis copulentur, inter ignem & terram Deus aerem aquamque locavit, eaque inter se invicem ita, quoad fieri poterat, comparavit, ut quemadmodum ignis ad aerem, ita aer ad aquam: ut aër ad aquam, sic aqua ad terram congrue conferatur, qua ex conjunctione ita constitutus est mundus,*

ut

ut aspici tangique possit. Ex quo se amicitia concordi complectitur, atque ita apte cohæret, ut nequeat dissolvi ullo modo nisi ab eodem, a quo est colligatum. Ex quibus verbis non solum patet, Deum sapienter ex mente *Platonis* omnia inter se copulasse, sed & Deo summum esse in materiam imperium. Ibidem pag. 492. Θεος μεν τα πολλα εις ἑν ξυγκεραννυναι, καὶ παλιν δ'ἐξ ἑνος εἰς πολλα διαλυειν ἱκανος, ὡς ἐπιςαμενος ἁμα καὶ δυνατος. ἀνθρωπων δε, ὀυδεις ὀυδετερα τουτων ἱκανος, ὀυτε ἐςι νυν, ὀυτ' εἰσαυθις ποτ' ἐςαι. Παντα δι ταυτα, τοτε ταυτη πεφυκοτα δ' ἐξ ἀναγκης, ὁ τε καλλιςε τε καὶ ἀριςε Διμιουργος ἐν τοις γιγνομενοις, παρελαμβανεν, ἡνικα τον ἀυταρκη τε καὶ τον τελειωτατον Θεον ἐγγεννα, χρωμενος μεν ταις περι ταυτα ἀιτιαις ἠδη διοριζεσθαι, το μεν ἀναγκαιον, το δε Θειον. Και το μεν Θειον ἐν ἁπασι ζητειν κτησεως ἑνεκα ἐυδαιμονος βιου, καθ ὁσον ἡμων ἡ Φυσις ἐνδεχεται. Το δε ἀναγκαιον ἐκεινων χαριν, & paucis interjectis: ὡσπερ γαρ ὀυν και κατ' ἀρχας ἐλεχθη ταυτα ἀτακτως, ἐχοντα, ὁ Θεος ἐν ἑκαςω τε ἀυτω προσ ἀυτο καὶ προσ ἀλληλα, συμμετριας ἐνεποιησεν, ὁσας τε καὶ ὁπη δυνατον ἠν ἀναλογα καὶ συμμετρα εἰναι. Τοτε γαρ ὀυτε τουτων ὁσον μη τυχη τι μετειχεν, ὀυτε το παραπαν ὀνομασαι των νυν ὀνομαζομενων, ἀξιολογον ἠν ὀυδεν, ὀιον περ καὶ ὑδωρ, καὶ τι των ἀλλων. ἀλλα παντα ταυτα πρωτον διεκοσμησεν, ἐπειτα ἐκ τουτων, παν τοδε ξυνεςησατο, ζωον ἐν ζωα ἐχον ἁπαντα ἐν ἀυτω, Θνητα τε ἀθανατα τε. Hæc ita vertit Ficinus. *Deus multa in unum colligere, rursusque multa in unum producere sufficiens est. Scit enim simul ac potest. Homo autem nullus qui alterutrum valeat, aut est nunc, aut unquam erit. Hæc sane omnia, ita naturaliter tunc effecta ex necessitate, ille pulcherrimi optimique Operis fabricator, in his quæ gignebantur, assumebat, quando Deum se ipso sufficientem & perfectissimum generabat: utens quidem causis ad hæc ministris, quod autem bene se habebat, ipse in singulis agens Duas enim causarum species distinguere decet. Unam quidem necessariam, alteram vero divinam. Ac divinam in omnibus quærere, ut beatam vitam, quoad naturæ nostræ possibile est, adipiscamur, necessariam quoque causam illorum gratia perscrutari. Quemadmodum ab initio diximus, cum hæc ordine carerent, singulis Deus & ad sese & ad alia invicem, eatenus modum rationemque proportionis indidit, quatenus suscipere singula poterant. Tunc profecto nihil erat ordinis nisi forte casu aliquo, particeps; nec quicquam tunc aqua vel ignis, vel aliud aliquid eorum, quæ modo apud nos nominantur, jure vocandum erat. Verum hæc primum omnia primum exornavit, deinde ex iis hoc universum constituit, animal unum, animalia in se omnia mortalia & immortalia continens.* Probavi igitur, Deo, judice *Platone*, jus & im-

imperium in materiam competere, atque adeo sequetur, Deum nullo vinculo materiæ constringi.

IX. (*d*) Uti idem clarius adhuc pateſcat, duo addam argumenta. *Primum est, quod Plato non solum negaverit, Deum nulla ratione mali causam esse posse, sed & adseruerit, mentem nostram liberrimam esse, pœnæ ac præmii capacem.* Lib. X. de Republ. pag. 472. ἀρετη δε ἀδεσποτον, ἡν τιμων καὶ ἀτιμαζων, πλεον καὶ ἐλαττον αὐτης ἑκαστος ἑξει. αἰτια ἑλομενῳ. Θεος ἀναιτιος. *Virtus inviolabilis ac libera. Quam prout honorabit quis, aut negliget, ita plus aut minus ex ea possidebit. Eligentis quidem culpa est omnis: Deus autem extra culpam.* Libr. II de Republ. p. 430. ἐδ' ἀρα (ἠν δ' ἐγω) ὁ Θεος, ἐπειδη ἀγαθος, παντων ἀν εἰη αἰτιος — ἀλλ' ὀλιγων μεν τοις ἀνθρωποις αἰτιος, πολλων δε ἀναιτιος. πολυ γαρ ἐλαττω τ' ἀγαθα των κακων ἡμιν. Και γαρ μεν ἀγαθων ἐδενα ἀλλον αἰτιατεον. Των δε κακων ἀλλ' ἐ τον Θεον. *Non igitur Deus, cum bonus sit, omnium causa est, uti multi dicunt, sed paucorum quidem hominibus in causa est, multorum vero extra causam. Multo enim pauciora nobis sunt bona quam mala. Et bonorum quidem solus Deus causa est dicendus. Malorum autem quamlibet aliam præter Deum causam quærere decet. In sequentibus postquam Homerum* reprehendisset, Deum malorum bonorumque causam perhibentem, addit. *Malorum autem alicui causam esse ipsum Deum, cum bonus sit, refellendum est omnino, neque permittendum hoc quenquam dicere in sua civitate, si bonis institui legibus civitas debet, neque insuper quemquam audire, sive ille sit Junior sive Senior, sive carminibus hæc inserantur, sive soluta Oratione narrentur, tanquam quæ neque dictu sancta sint, neque nobis utilia, neque inter se consona.* Eandem sententiam tuentur *Platonis* sequaces M. *Tyrius* diss. 30. pag. 313. ἐδεν των μη καλων διδωσι Θεος. Erudite nuper monuit Cl. *Moshemius* in dissertat. de *turbata per recentiores Platonicos Ecclesia; Proclum, Plotinum, Ammonium* acerrime contra fatum & necessitatem dimicasse, nullosque libertati hominum ampliorem potestatem dedisse *Platonicis*. Nec juvat plura Exempla adduxisse. Sed regeret forsan quispiam, nos supra jam confessos, *Platonem* originem mali in materia quæsivisse, & ita difficultatem non tolli. Deum enim ex sententia *Platonis* materiam exornasse cunctaque ex ea formasse. Respondeo, non quæri, utrum *Plato* omnibus difficultatibus, quæ circa originem mali occurrunt, satisfecerit, hoc enim eum non præstitisse lubentes concedimus. Qui ex his perplexis dubitationum ambagibus facile se eluctaturum existimat, legat ille subtilissimorum ævi nostri Philosophorum, *Baylii*, *Leibnizii*, *Clarkii* &c. de hoc argu-

argumento cogitata, & mitius forsan de *Platonis* errore judicabit. Sufficit nobis, quod *Plato* exerte adseruerit, peccata originem suam a libera mentis voluntate habere, Deum nonnisi boni auctorem esse, mala quæ vocant physica, equidem a materia oriri, sed & Deo volente hæc homini probo in bonum cedere. Sic enim clarissime Lib. 10. de Republ. pag. 670. loquitur. *Sic igitur de justo Viro existimandum est, sive paupertati, sive morbis, sive quibusvis aliis eorum, quæ mala videntur obnoxius sit, huic demum vel viventi vel mortuo ad bonum aliquod ista conducere. Neque enim a Diis unquam negligitur, quicunque justus evadere, virtutisque officiis, quoad homini licet, Deo similis fieri conabitur.* Forsan *Plato*, qui creationem ex nihilo concipere non potuit, reverentia Numinis, materiam finxit æternam & mali originem. Ita quidem sentit *Justinus M.* cohort. ad Gr. p. m. 19. ἀγεννητον την ὑλην ἐφησεν εἰναι, ἱνα μη δοξη Θεον τε κακε ποιητην εἰναι λεγειν. Quanquam autem ex methodo philosophandi, quam secutus est, necessario sequatur mentem nostram liberam esse, afferemus tamen quædam testimonia idem luculenter probantia. In *Epinomide* pag. 639. ita ait: Τα ὀντα εἰναι δυο, το μεν ψυχην, το δε σωμα, καὶ πολλα ἑκατερων, παντα δε ἀλληλων ἀλλα καὶ ἑκατερα ἑκατερων. Και τριτο ἀλλο ἐδεν κοινον ἐδενι, διαφερειν δε την ψυχην τε σωματος, ἐμφρον μεν τε το δε ἀφρον θησομεν, ἀρχον δε το δε ἀρχομενον, καὶ το μεν ἀιτιον ἀπαντων, το δε ἀναιτιον πασης παθης. i. e. *duo quædam esse animam atque corpus, & quæ ad utriusque genus pertinent esse multa: eaque ab aliis in genere suo differre, & utraque genera a se invicem esse diversa: adeo ut tertium nihil utrisque sit commune, Animam vero ita differre a corpore, quod illa mentem habeat, hoc non habeat. Illa dominetur, hoc subjiciatur. Illa omnium passionum corporibus, hoc nullius causa sit.* Agnoscit equidem hoc ipso in Dialogo, aliquam dari in mente necessitatem, sed circa ea quæ evidentia sunt, quæque vel unico, ut ita dicam, intuitu mens percipit. *Animæ* (verba sunt Platonis) *vero intellectum habentis necessitas omnium necessitatum maxima est. Ducens enim non ducta gubernat. Quando autem anima quæ res optima est, consilio secundum optimum intellectum perficitur, necessario eveniet, nec adamas solidius immobiliusque esse poterit.* Vide in eodem *Epinomide* pag. 640. *Eusеb. Præp. Evang.* Lib. 12. cap. 28. *Max. Tyr.* diss. 25. & quæ supra de fato & necessitate adduximus. Eandem autem mentem pœnæ ac præmii capacem esse, non multis probabo, cum loca notissima sint. Videatur *Apologia Socratis*, *Liber X. legum*, *Phædo.*

X. (*e*) Alterum argumentorum, idque ultimum, quo probamus Deum ex mente *Platonis* cum materia conjunctum nullo modo esse, desumimus *ab opinione Platonis de interitu mundi. Asseruit enim, mundum sola Dei voluntate, siquidem destruendus esset, interire posse.* In superioribus ostendi, rerum omnium originem, saltem materiæ jam existentis productionem ejusdemque sapientissimam dispositionem, soli Deo ex mente *Platonis* adscribendam, unde sequitur, machinæ hujus artificiosissimæ destructionem, si qua olim futura esset, eidem summo rerum Moderatori tribuendam. Si Deus inviolabili necessitatis vel materiæ vinculis constringeretur, frustra quæreretur, utrum voluntate Dei mundus destrui posset, omnia enim non possent non fieri, omnis libertas exularet; & quemadmodum omnia cæca quadam necessitate orta essent, ita non possent non ita manere. Talis omnium rerum necessitas locum habet in Systemate *Spinozæ*, minime vero *Platonis*. Æque necesse fuit ex mente *Spinozæ*, ut Tiguri natus essem non alibi, ac necesse est, tres angulos trianguli æquales esse duobus rectis. Non possum secundum Systema ejus destrui, cum mens mea & corpus meum partes sint æque necessario existentes ac existit Deus, cujus pars sum. In Systemate *Platonis* origo hominum omniumque Creaturarum liberrimæ Dei voluntati, & ministris ejus tribuenda est. Eo igitur volente in antiquum Chaos cuncta referuntur: Eo nolente manent. Decantatus locus est *Platonis* in *Timæo* pag. 481. Θεοι Θεων, ὼν ἐγω Δημιουργος, πατηρ τε ἐργων, ἁ δι ἐμε γενομενα, ἀλυτα γε ἐμε θελοντος. Το μεν ἐν δι δεθεν παν, λυτον. τογε μην καλως ἁρμοσον καὶ ἐχον ἐυ λυειν ἐθελειν, κακε, δι ἁ καὶ ἐπειπερ γεγενησθε, ἀθανατοι μεν ὀκ ἐσε, ὀδ' ἀλυτοι το παμπαν. ἐπι μεν δι λυθησεσθε γε ὀδε τεθξεσθε θανατε μοιρας. της ἐμης βελησεως μειζονος ἐπι δεσμε καὶ κυριωτερε λαχοντες ἐκεινων. οἰς ὁτ' ἐγιγνεσθε συνεδεισε. *Dii Deorum, quorum Opifex ac Pater sum, hæc attendite. Quæ a me facta sunt, me ita volente, indissolubilia sunt. Omne siquidem quod vinctum est, solvi potest. Sed mali est, quod pulchre compositum est, sequebabet bene, velle dissolvere. Quapropter quia generati estis, immortales quidem & indissolubiles omnino non estis. Nec tamen unquam dissolvemini, nec mortis fatum subibitis. Nam voluntas mea, majus præstantiusque vobis est vinculum ad vitæ custodiam, quam nexus illi, quibus estis tunc, cum gignebamini, colligati.* Similem in modum loquitur in eodem *Timæo* pag. 709. Ed. Fic. quem supra pag. 25. & 26. adduximus locum. Ita etiam mentem *Platonis* explicat *Plutarchus* de plac. Philosoph. Lib. II. cap. 4. Πυθαγορας καὶ Πλατων γενητον ὑπο θεε, τον κοσμον,

μον, καὶ φθαρτον μεν, ὁσον ἐπι τη Φησει, αισθητον γαρ εἰναι διοτι σωματικον, ἐ μην φθαρησομενον γε, προνοια καὶ συνοχη Θεε. i. e. *Pythagoras & Plato, mundum a Deo factum arbitrati sunt, & quod ad naturam attinet, obnoxium interitui, quia corporeus, ideoque sensibus sit expositus: non autem periturum, providentia eum & Deo continente.* *M. Tyrius* differt. 29. pag. 309. probaturus, voluntate Dei fieri, ne mundus, in antiquum Chaos relaberetur, ita ait: ἀνευ τε ἀληθες μηθε μεθων ποιητε διαπισευσης το παμπων μητε Φιλοσοφε λογω. Και γαρ Επικαρος λεγει μεν λογες, ἀλλα μυθων ἀτοπωτερες, ὡσε ἐγωγε πισευω μαλλον Ὁμηρω περι Διος λεγοντι, ὁτι ψυχαι δυοιν ἀριζειοιν ἐπι πλαζιγγος χρυσης ἐτιλαντενε

Τὴν μεν Ἀχιλληος, την δ' Ἑκτορος ἀνδροφονοιο

ἀνατεινας τω ζυγα τη δεξια, ὁρω γαρ την ἑιμαρμενην των ἀνδρων συναπονευοντων τη Διος δεξια

— ἐ γαρ ἐμον παλιναγρετον ἐδ' ἀπατηλον
ἐδ' ἀτελευτητον ὁ, τι κεν κεφαλη κατανευσω

ἀισθανομαι των Διος νευματων. δια τετων γη μενει, καὶ ἀναχειται θαλαττα καὶ ἀηρ διαρ'ρ'ει, καὶ πυρ ἀνωθει, καὶ ἐρανος περιφερεται, καὶ ζωα γιγνεται, καὶ δενδρα Φυεται. Ex versione *Heinsii*. *Sine veritate ergo nec fabulæ nimis poeticæ, neque, orationi credas philosophicæ. Oratione enim Epicurus utitur, sed quæ omnem fabulæ absurditatem superet. Quo fit, ut magis ego Homero credam, cum Jovem ait duorum fortissimorum animas heroum lance aurea librasse.*

Hectoris atque tuam, fortissime Achilles

dextraque Jugum sustulisse. Video enim fatum eorum pariter cum Jovis dextra nutare.

— *Nec enim mutabitur unquam*
Quod capite annuero, nec falsum fine carebit.

Nutum Jovis intelligo, cujus beneficio terra movetur, mare diffunditur, aër fluit, ignis sursum abit, cœlum in orbem versatur, creantur animalia, nascuntur arbores. Alia loca infra adferam, ubi locum *Platonis* initio hujus Sectionis adductum vindicabo. Atque ita tertiam propositionem, qua adsero, *Platonem* nullo necessario vinculo Deum materiæ alligasse, perspicuis argumentis, nisi fallor, probavi.

XI. Restat uti ad ultimum argumentum, (quartum enim jam alla-

allatum) quo probare conor, *Platonem* a *Spinozæ* sententia recessisse deveniam, *nimirum*, *Deum omnipotenti & sapientissima cura omnibus prospicere & Providentia sua omnia gubernare.* Præclarissimus extat locus Lib. V. Legum pag. 883. quem brevitatis causa latine tantum proferam. ATHEN. *Sed nunc illi duo tribus nobis respondeant, qui licet Deos esse concedant, alter tamen facile placabiles, alter in rebus parvis negligentes putat; primumque sic interrogentur. Ambo Deos asseritis scire, videre, audireque omnia: nihilque ipsos effugere posse eorum, quæ aut sensu, aut intellectu percipiuntur, hæcne ita se habere dicitis an aliter?* Sic. *Deinde omnia eos posse, quæcunque mortales immortalesve possunt?* CLIN. *Absque dubio ita esse concedent.* ATH. *Bonos etiam imo optimos esse omnes quique confessi sumus.* CLIN. *Omnino.* ATH. *Nulla ergo pigritia, nulla mollitie eos capi possibile: quandoquidem tales sunt, quales esse consensimus. Nam a timiditate in nobis otium nascitur: pigritia vero ab otio atque mollitie.* CLIN. *Vera loqueris.* ATH. *Nullus ergo Deorum otio pigritiaque corruptus quicquam negligit. Nullius enim timiditatis Deus est particeps.* CLIN. *Probe.* ATH. *Ergo relinquitur, si parvas paucasque in Universo res negligunt, ut ita negligant, aut quia contemnenda illa esse sciunt, aut quidnam aliud reliquum est, quam hujus contrarium?* CLIN. *Nihil penitus.* ATH. *Utrum ergo, o Vir eximie, te dicere adfirmabimus, an quod propter ignorantiam, cum providere debeant, non provideant? an sicut improbos homines dicimus, meliora quidem videre, sed voluptate aut dolore fractos deteriora sequi, sic Deos, quamvis sciant providendum esse, similiter non providere?* CLIN. *Quomodo id fieri potest?* ATH. *Præterea res humanæ, viventis naturæ participes sunt: & homo ipse præ cæteris animalibus Dei cultor diligentissimus est.* CLIN. *Apparet.* ATH. *Quin etiam mortalia cuncta viventia, a Diis fieri possiderique, quemadmodum & cœlum Universum dicimus.* CLIN. *Procul dubio.* ATH. *Jam ergo seu parva hæc, sive magna quis dixerit Diis esse, nullo modo cum Providentissimi atque Optimi sint, negligenda sibi sua possessio est. Sed istud præterea consideremus* CLIN *Quidnam?* ATH. *Num sensus & vires contrario inter se modo ad facilitatem, difficultatemque se naturaliter habent?* CLIN. *Quid ais?* ATH. *Parva quippe difficilius quam magna videntur & audiuntur facilius autem tenentur feruntur que & Providentia gubernantur parva omnia & pauca, quam eorum contraria.* CLIN. *Certe multo facilius.* ATH *Quid vero cum Medicus totum corpus curare velit ac possit, si magnis proviserit, parva contempserit, an bene unquam se totum habebit?* CLIN. *Nunquam.* ATH. *Sed nec gubernatores nec Imperatores, nec Patres*

tres familias, nec civitatum Moderatores, neque ulli omnino tales, paucis parvis neglectis recte multa & ingentia gubernant &c. Videantur anteced. & conseq. hujus Dialogi. In *Epinomide* p. 638. ex magnitudine & constanti ordine astrorum argumentatur ad probandam divinam Providentiam. Λαβωμεν δη τις τροπος ἀν ἐιη τοσουτον περιφερειν ὀγκον τινα φυσιν τον ἀυτον ἀει χρονον, ὁσον καὶ νυν περιφερεται. Θεον δη φημι τον ἀιτιον ἐσεσθαι καὶ ἐ ποτ' ἑτερως εἰναι δυνατον. Ἐμψυχον μεν γαρ ἐ ποτε γενοιτ' ἀν ἑτερως πλην δια Θεον, ὡς ἡμεις ἀπεφηναμεθα. ὁτε δε τουτο ὁιος τε ἐςι Θεος, ἁπασα ἀυτω ῥαςωνη γεγονε τε πρωτον μεν ζωον γεγονεναι παν σωμα καὶ ὀγκον συμπαντα. Ἐπειτα ἐιπερ ἀν διανοηθη βελτιςα, ταυτη φερειν. νυν δι περι ἁπαντων τουτων ἑνα λογον λεγοιμεν ἀληθη. ἐκ ἐςι γην τε καὶ ἐρανον ἀπαντας τε ἀςερας ὀγκους τε ἐκ τουτων ξυμπαντας, μη ψυχης προσ ἑκαςω γενομενης, ἡ καὶ ἐν ἑκαςοις εἰς ἀκριβειαν κατ' ἐνιαυτον ἑτω πορευεσθαι κατα μηνας τε καὶ ἡμερας καὶ ξυμπαντα τα γιγνομενα, ξυνπασιν ἡμιν ἀγαθα γιγνεσθαι. δει δε ὁσω φαυλοτερον ἐς' ἀνθρωπος, μη τι ληρουντα γε, σαφως δε τι λεγοντα φαινεσθαι. i. e. *Cogitemus igitur quomodo fieri possit, ut tanta magnitudo ab aliqua natura possit tanto tempore circumferri. Ego igitur assero, Deum causam esse, nec aliter fieri posse. Animatum enim non aliter quam propter Deum fieri posset, ut nos declaravimus. Quoniam ergo id Deus facere potest, facile ipsi fuit primum omni corpori magnitudinique vitam tribuere; deinde, qua ratione optime fieri cogitarit, hac ducere. Demum de his omnibus veram sententiam ferri volumus: impossibile esse cœlum, terram, stellasque omnes, & quæ ex his constant moles, nisi anima singulis aut adsit, adeo exquisita ratione annis, mensibus, diebusque circumvolvi, nobisque omnibus bona omnia facere. Hominem vero decet quo utilior est, eo minus de ipsis nugari, sed conari potius certi aliquid dicere.* Apparet equidem ex hoc loco, *Platonem* credidisse, singulis astris animas quasdam additas esse, sed Divina Providentia simul id unice factum evidens simul est. Hinc & præclare asseruit idem *Plato*, Deum hominum proborum summam habere curam. In *Alcibiade* ait: καὶ γαρ δεινον ἀν ἐιη, εἰ προσ τα δωρα καὶ τας θυσιας ἀποβλεπουσιν ἡμων ὁι Θεοι, ἀλλα μη προσ την ψυχην, ἀντις ὁσιος, καὶ δικαιος ὠν τυγχανη, πολλω γε μαλλον, ὀιμαι, ἡ προς τας πολυτελεις ταυτας πομπας τε καὶ θυσιας. Hac sapientissimi & Optimi rerum omnium Moderatoris cura fretus, spem futuræ felicitatis habuit. Χρη παντα ποιειν, ὡςε ἀρετης καὶ Φρονησεως ἐν τῳ βιω μετασχειν. Καλον γαρ το ἀθλον, καὶ ἡ ἐλπις μεγαλη. in *Phædone*. Similiter ex mente *Platonis Apulejus* de dogm. Platonis, pag 375. *Et primum quidem Providentiam esse summi*

 Exsupe-

Exsuperantissimique Deorum omnium : qui non solum Deos cælicolas ordinavit, quos ad tutelam & decus per omnia mundi membra sparsit ; sed natura etiam mortaleis Deos, qui præstarent sapientia cæteris terrenis animantibus, ad ævitatem temporis edidit ; fundatisque legibus reliquarum dispositionem ac tutelam rerum, quas quotidie fieri necesse est, Diis cæteris tradidit. Unde susceptam Providentiam Dii secundæ providentiæ ita gnaviter retinent : ut omnia etiam, quæ cœlitus mortalibus exhibentur, immutabilem ordinationis paternæ statum teneant. Nec tamen putandum, quædam divinæ Providentiæ subtrahi, quod *Plato* statuat, Deum, non immediate omnia gubernare. Ipsi enim Cl. Viri, *Cudworth*, *Clericus*, *Rajus*, qui *Naturas* quasdam *Plasticas* dari tuentur, quibus Deus in regimine Universi, præcipue productione plantarum &c. utatur minime negant, omnia Dei imperio subesse, sed ministerio tantum earum uti. Similiter etiam *Plato*, quod ex citatis locis patet. Putabat enim, Majestate tanti Numinis indignum esse, omnia per se immediate sine quibusdam ministris efficere & curare: ita expresse loquitur *Apulejus* de mundo p. m. 353. *Quod si cui viro, ait, vel cuilibet Regi indecorum est, per semetipsum procurare omnia & perficere, multo magis Deo inconveniens erit.* Eandem divinam Providentiam contra *Epicurum* tuetur *M. Tyrius* Platonicus diss. XXV. pag. 257. ὁ ὁ νους ἀῤῥαγης ὢν και ἀτρυτος, και ἐπι πασας ἐξικνυμενος φυσεις ἀμηχανω ταχει, ὡς προσβολη ὄψεως, παν κοσμει ὁτω ἀν ἐπαφησεται. Καθαπερ και αἱ παρ ἡλιω ἀκτινες προσπεσουσαι τη γη, λαμπρυνουσιν αὐτης το καθαληφθεν παν. Τις δε ἐστιν ὁ της ἐπαφης ταυτης τροπος, ἐγω μεν Ἐιπειν οὐκ ἐχω, ἡνιξατο δε αὐτην ῥημα Ὁμηρος:

Ἡ και κυανεησιν ἐπ ὀφρυσι νευσε κρονιων.

Ὁμω δε τω Διος νευματι γη ξυνεσι και ὁσα γης τρεμματα, και θαλαττα ξυνεση και ὁσα θαλαττης γοννηματα, και ἀης ξυνεση και ὁσα ἀερος φορηματα, και ὀρανος ξυνεσι και ὁσα ἐν ὀρανω κινηματα. Ταυτα ἐργα των Διος νευματων. Μεχρι τουτων ἀδεης εἰμι χρησμωδιας. Και Ομηρω πειθομαι, και Πιτευω πλατωνι, και οἰκτειρω τον Ἐπικουρον. i. e. *Cujus mens solida & incorrupta, nusquam dividitur, sed incredibili velocitate, tanquam unico oculi intuitu, quodcunque tangit, ornat atque illustrat. Non secus ac radii solares in terram ubi inciderunt, quamcunque ejus invasere partem, eam illustrant. Quomodo autem id fiat,*

fiat, mihi nec promtum est dicere, Homerus tamen occulte innuit cum inquit:

Dixerat hæc, nigrisque Oculis Saturnia Proles Annuit.

Una cum nutu Jovis terra constitit, & quicquid terra educat; mare constitit, & quicquid mare producit: aër constitit, & quicquid aër fert: cœlum constitit, & quidquid in cœlo movetur. Omnia hæc opera Jovis nutus perfecit. Hactenus nullum oraculum requiro. Homero fidem habeo, Platoni credo, Epicuri me miseret. Atque ita, nisi fallor, per partes probavi, *Platonem* ab opinione detestanda *Spinozæ* longissime recessisse. Ut autem hoc clarius pateſcat, ratiocinationis meæ summam breviter proponam, & adjectis ipsissimis *Spinozæ* verbis ostendam, quam adversa fronte inter se pugnent dogmata *Spinozæ* & *Platonis*. 1. *Spinoza adseruit unicam dari substantiam.* Eth. pag. 1. prop. XIV. præter Deum nulla dari, neque concipi potest substantia. prop. XV. Quicquid est, in Deo est, & nihil sine Deo esse, neque concipi potest. *Plato præter Deum supremam mentem, materiam dari, dæmones item, aliasque substantias adseruit.* 2. *Plato credidit, libere Deum ad exornandum & condendum hunc mundum se accinxisse. Spinoza omnia ex necessitate divinæ Naturæ sequi.* ibid. prop. 16. Ex necessitate, inquit, divinæ Naturæ infinita infinitis modis (hoc est omnia, quæ sub intellectum infinitum cadere possunt) sequi debent. 3. *Plato professus est Deum fines sapientissimos habuisse in productione omnium rerum. Spinoza* omnes fines rejicit. In appendice ad prop. 36. inter præjudicia hoc refert, dicens. *Omnia, quæ hic indicare suscipio, præjudicia pendent ab hoc uno, quod scilicet communiter supponant homines, omnes res naturales ut ipsos, propter finem agere: imo ipsum Deum omnia ad certum aliquem finem dirigere.* 4. *Deus ex mente Platonis libere agit, non necessario. Spinozæ Deus ferreo necessitatis vinculo constrictus est.* prop. 33. *Si res,* inquit, *alterius naturæ potuisset esse, vel alio modo ad operandum determinari, ut naturæ Ordo alius esset: ergo Dei natura alia posset esse, quam jam est.* prop. 35. *Quicquid concipimus in Dei potestate esse, id necessario est* prop. 32. simpliciter ait. *Deus non operatur ex libertate voluntatis* 5. *Mens nostra in Systemate Platonis libera est, in Spinozæ necessaria.* Eth. p. 2. prop. 48 *In mente nulla est absoluta sive libera voluntas. Sed mens ad hoc vel illud volendum determinatur a causa, quæ etiam ab alia determinata est, & hæc iterum ab alia, & sic in infinitum.* 6. *In systemate Platonis locum habet divina Providentia, non item in sy-*

ſtemate Spinozæ. Quia omnia ex neceſſitate divinæ naturæ ſequuntur, nec ulla libertas in Deo locum habet. 7. Quemadmodum totum univerſum *Spinozæ* Deus eſt; ita inviolabili neceſſitate ex eo omnia decurrunt, ut adeo neceſſe non ſit probare ex mente *Spinozæ* nulli mutationi & deſtructioni univerſum obnoxium eſſe poſſe. *Plato* deſtructionem mundi, ſi quæ futura eſſet, Dei voluntati adſcribit. Ex quibus omnibus, ſimul junctis concludimus, *Platonem* a *Spinozæ* ſententia longiſſime remotum eſſe, atque adeo *Atheiſmi* nullo jure accuſari poſſe.

XII. Examinemus jam argumenta, quæ Celeberrimus Vir N. H. *Gundling* in medium adtulit, uti probaret, *Platonem* in *Spinozæ* caſtra abiiſſe. Rationes ejus partim extant in *Otiis* faſc. 2. partim in ſingulari diſſertatione *novæ Bibliothecæ*, quæ Halæ editur, inſerta. Cum *Otia* ejus ad manus non ſint, rationes autem Cl. Viri fideliter, uti exiſtimo, adduxerit Cl. *Wolfius* in *Manich. ante Manichæos* pag. 142. primo eas adducam & expendam, poſtea diſſertationem Bibl. novæ inſertam, examini ſubjiciam, *Bayliique* dubia, quæ hinc inde movit producam in medium. Cl. *Wolfius*, poſtquam loco citato dixiſſet, Eruditiſſimum *Gundling.* exiſtimare Syſtema *Spinoſiſticum* a *Platonico* non eſſe diverſum, ita pergit. „Hanc vero habet ita ſentiendi cauſam, quod Spi„noza unam ex Deo & materia fingat ſubſtantiam, idem vero fiat, „ſimulac Platonis Deus, cum materia ſe conjungat, ſive id pleniſſima „libertate ſummaque voluntate fiat, quod Plato vult, ſive, quod „Stoici contendunt, neceſſario.„ Reſpondet Cl. *Wolfius*, Deum Platonis in Creatione & formatione hujus univerſi, non tam vi phraſium Platonicarum ſe cum materia conjungere & commiſceri, quam ad eam effingendam ceu ἀπο μηχανης accedere. Et mea opinione rectiſſime ita reſpondet Cl. *Wolfius;* nulla enim ratione perſpici poteſt, qua ratione Deus cum mundo unica fiat ſubſtantia, ſimulac Deus ad materiam exornandam ſe accingit. Nemo mortalium dixerit, artificem, quo cum *Plato* Deum etiam confert, cum ædificio unicam fieri ſubſtantiam, quamprimum animum elaborandæ materiæ adjicit. In conjunctione mentis & corporis arctiſſima locum habet Unio, nemo tamen dicet mentem & corpus unicam ideo fieri ſubſtantiam. Materia, antequam Deus eam exornaret, fuit ex mente *Platonis* ſubſtantia & quidem æterna, Deus quin etiam excellentiſſimo gradu ſubſtantia erat. At quomodo res diverſiſſimæ unica fieri poſſunt ſubſtantia? Sane ſi *Spinoza* adſeruiſſet, materiam eſſe ſubſtantiam eamque æternam, Deum autem ſapientiſſimum Ens liberrimum ad eam exornandam

dam animum applicuisse, nemo eum unquam omne Numen tollere, adfirmasset; sed cum omnia quæ existunt, unicam tantum absolvere substantiam professus erat, eamque substantiam Deum esse perhibuisset, in detestandum errorem prolapsus est. Imo mea opinione vel præstantissima modernorum Philosophorum systemata, purum putum *Spinozismum* involvere dicenda essent, si liberrima Dei conjunctio cum materia id probaret. In Systemate Christianorum conjunctio quædam Dei cum mundo locum habet, sed minime necessaria, libera vero quam maxime. Supponimus voluisse Deum mundum condere sive ex nihilo creare: adserimus in mente Dei fuisse ideas rerum condendarum: adfirmamus Deum secundum quasdam leges in materiæ natura haud fundatas, mundum gubernare, imo continua quadam, nec interrupta conservatione eum ita sustinere, ut sine perpetua ejus cura in antiquum Chaos sive potius nihilum relaberentur cuncta. Hinc Deus & materia sine dubio unica fierent substantia, si vel liberrima conjunctio, salvis quin etiam manentibus proprietatibus utriusque substantiæ, ad hoc sufficeret. Produximus autem supra, nisi fallor, evidentissima loca ex *Platone*, quibus probatur, liberrimam fuisse Dei voluntatem respectu materiæ effingendæ. „Pergit Cl. Gundling, „referente Wolfio, dicendo. Nullum inter Stoicorum Platonisque „systemata observari discrimen, nisi quod hic conjunctionem cum „materia animæ a summo Deo separatæ, illi autem ipsi Deo tribue„rint. Hanc autem diversitatem nullam esse inde porro evincere co„natur, quod a Platone anima judicetur esse a mente, hæc vero a Deo, „adeoque singula hæc re ipsa non differant, quod vel inde pateat, „cum Plato mundum Deum & animal appellet„ Respondet Cl. *Wolfius* 1. phrases Platonicas & Stoicas non temere inter se esse confundendas. Atque adeo tacite innuere videtur, systema Stoicorum merum Spinozismum involvere. Scio, utramque in partem disputari posse. Hactenus tamen argumentis evidentissimis nondum probatum esse credo, *Stoicos*, *Spinozæ* opinioni addictos fuisse. Diversimode ratiocinabantur, adeo, ut diversissima Systemata inde confici possint. 2. Respondet, animam mundi alio loco non habuisse *Platonem* ac Creaturam a Creatore distinctam, nec negare tamen audet, eam *Platoni* ex ipsa divina essentia decerptam videri. De anima mundi ex mente Platonis infra dicendi locus erit. Hoc tantum dico, si anima mundi, ab ipsa materia & Deo supremo distincta est, tum *Platonis* systema adversa fronte cum Systemate *Spinozæ* pugnat. Hic enim

unicam agnovit substantiam; cæteræ substantiæ, mentes, corpora &c. nonnisi modificationes sunt unicæ illius, quam fingit, substantiæ. Imo causa reddi non potest, cur *Plato* ejusmodi animam mundo præfecerit, quam, ne Deum summum & excellentissimum arctius cum materia, quam par erat, uti existimabat, conjungeret. Sed ait Cl. *Gundling.* animam illam mundi esse a mente, mentem a Deo, adeoque singula non differre. Sed si vel maxime concederem, hanc fuisse *Platonis* mentem, de quo tamen, uti ex infra dicendis patebit, justæ dubitandi rationes adsunt, nondum video, qua ratione concessis istis omnibus sequeretur, unicam tantum dari substantiam, aut Deum necessario vinculo cum materia conjungi. Ponamus mentem per emanationem quandam a Deo ortam, animam ex mente, num inde sequitur, Ergo mens, anima & Deus unica tantum sunt substantia? quis nobis hactenus ex mente illorum Philosophorum modum hujus emanationis, quam Cl. Vir supponit, explicuit? Sane potest Deus uti Ens aliquod sufficientissimum considerari, ex quo mentes omnes emanaverint, quæque in Deo substiterint, sed non ut partes essentiæ Dei, qubusve emanantibus essentia Dei discerpta quasi fuerit, sed uti res a Deo quidem distinctissimæ in infinita tamen & inenarrabili Natura Dei subsistentes. Sed quomodo, inquiet, hæc intelligi possunt, aliquid in Deo esse, & tamen sine detrimento perfectionum divinarum, emanare posse. Fateor, me hujus emanationis modum non concipere evidenter & clare, neque tamen adeo periculosam & absurdam hanc opinionem esse, hactenus perspicere possum; facile quin etiam mihi persuadeo, veteres quosdam imo & modernos Philosophos emanationem aliquam statuere posse, quæ ipsorum judicio nullam in Deum imperfectionem inferret. Num melius & clarius nos percipimus qua ratione posita voluntate Dei, immensa rerum sensibilium moles exorta fuerit, moveantur, crescant, & ad certos fines dirigantur? Quod si igitur quam maxime mens illa a Deo emanaverit, anima a mente, concedereturque, hæc aliquam imperfectionem involuere, constat tamen simul clarissime, mentem supremam a mundo distinctam esse; adeoque non erit una tantum substantia, sed diversissimæ & distinctissimæ, quod ex attributis duarum illarum substantiarum satis patet. Pone etiam, non animam, sed Deum cum materia conjungi, nondum tamen, quod Cl. Vir intendit, sequitur. Oritur enim quæstio de modo Unionis. In systematæ *Spinozæ* omnia, id est & mentes & corpora, simul juncta, unicam illam substantiam, quam Deum appel-

la

lat, efficiunt. At ſupra locis clariſſimis oſtendi ſecundum Platonem, mentem ſeu Deum a materia longiſſime ſecretum, Deumque liberrime ad materiam exornandam ſeſe accinxiſſe. Unde ſequitur, non obſtante illa conjunctione, manere tamen Deum & materiam ſubſtantias, toto cœlo diverſas. Afferenda ergo eſſent mea opinione loca, in quibus Plato aſſereret unicam tantum dari ſubſtantiam, aut mentes & corpora, modos tantum eſſe Dei, aut omnia abſoluta quadam neceſſitate ex Deo oriri. At hoc præſtari non poſſe, vel univerſa facies Philoſophiæ Platonicæ clamat. 3. *Ait Cl. Vir Platonem mundum animal vocaſſe.* Ita eſt, vocavit mundum animal pulcherrimum. Quo ſenſu id factum ſit a *Platone*, ſatis conſtat attente *Timæum Platonis* legenti, vide pag. 708. & ſeq. verſ. Ficini. Omnia huc redeunt. 1. Deum voluiſſe pulcherrimum opus efficere. 2. Subſtantiam ratione & ſenſu præditam præſtare inanimatis. 3. Materiam, antequam Deus manum eidem admoveret, non ſolum fuiſſe rudem indigeſtamque molem, ſed & omni ſenſu deſtitutam. 4. Ornaſſe igitur Deum mundum, aſtra præprimis, variis intelligentiis, hinc mundum animali ſimilem, eumque pulcherrimum eſſe. Quid autem hæc faciant ad probandum, *Platonem* unicam tantum ſtatuiſſe ſubſtantiam, aut neceſſario vinculo Deum cum materia conjungi, ego non video Si Deus ab animali illo diſtinctus eſt ex mente *Platonis*, hoc nobis ſufficere debet. Quod ſi vel maxime *Plato* Deum quatenus cum mundo conjungitur, Animal vocaſſet, nondum tamen malam in partem hæc appellatio accipi pateret, niſi evidentiſſimis ſimul rationibus probari poſſet, ſenſum ſubeſſe *Spinozæ*, aut ſummam ſaltem Deo ita tribui imperfectionem. At notum eſt, diverſas ſectas eodem vocabulo, diverſimode uti; potuiſſet igitur *Plato*, ſi vel maxime animalis nomine Deum & mundum ſimul ſumtum intellexiſſet, ab impia *Spinozæ* opinione abire. 4. *Objicit Cl. Gundling. Platonem mundum Deum vocaſſe.* Cl. *Wolfius* locum ſibi oſtendi poſtulat, & extat locus ſane clariſſimus in Timæo pag. 478. ubi mundum bis Deum vocat, ὅτος δὴ πας ὀντος ἀει λογισμος Θεȣ, περι τον ποτε ἐσομενον θεον λογισθεις, λειον καὶ ὁμαλον πανταχη τε ἐκ μεσȣ ἰσον καὶ ὁλον, καὶ τελεον ἐκ τελεων σωματων, σωμα ἐποησε. *Cum hæc igitur Deus, qui ſemper eſt, de aliquando futuro Deo cogitaret, lævem eum effecit, æqualemque & a medio ad ſummum uſque parem, corpuſque ex corporibus totis & perfectis totum atque perfectis totum atque perfectum.* Et paucis interjectis. *Itaque, ait, omnibus hiſce de cauſis, mundum Opifex ejus Deum beatum effecit.* Sed ideo tamen

tamen nullum detrimentum patitur philosophia *Platonis*, præterquam enim quod vox Θεος diversas habeat significationes, & Θειον omne, quod in genere suo eximium est, denotet, quod integro capite ostendit Vir Summus, *Joh. Clericus*. Art. Crit. P. II. Sect. 1. cap. 3. clarissime apparet, *Platonem* in hisce locis, Deum summum, ab eo, qui demum efficiendus erat, seu mundo non solum clarissime distinguere, sed & eundem summum mundi Rectorem, Opificem illius Θεα γενητα vocare, eumque Dei imperio subjicere. Unde sane satis constat, hanc appellationem nimium urgeri non posse. Et hæ sunt præcipuæ rationes Cl. *Gundlingii* uti eas adduxit Cl. *Wolfius*. Cum autem Cl. Vir in dissertatione, *Novæ*, uti vocatur, *Bibliothecæ* inserta, accuratius & prolixius, sententiam suam proponat, juvat hæc accuratiori etiam examini subjicere, sed ita, uti memores simus, cum quo disputemus, Viro nempe Celeberrimo & Eruditissimo, quique libertatem philosophandi & sibi, & aliis lubens concedit.

XIII. Adferam autem ipsissima verba Cl. Viri, ne forte in materia difficili alienum ipsi sensum adfingam. Postquam p. 4. in genere dixisset; Est ineptum hujus Hominis, Platonis sc. συγκμα, monstrosum, horrendum, errorum atque ἀθεολήτος plenissimum; eadem pag. sic incipit. „Id autem primo pono, statuisse Platonem Deum, quem „appellat, bonum, quia res, quas videmus, innumeris bonis cumulavit: pulchrum, quia principium rerum omnium est: & innarrabilem denique, quia nihil in rerum natura invenitur, quod vel genere vel specie ei appareat ulla ratione conforme. Nemo non credat, nihil potuisse ab Homine Philosopho magnificentius proferri. „Saltem ejus generis sermo in tantam admirationem legentes adducit, ut ad unum fere omnes ibi consistant: imprimis si Oratorium „schema accedat, & piperatæ facundiæ verba tam specioſa principia „convestiant. At quamprimum physicam Academiæ Conditoris doctrinam serio & sine veste consideramus, & quemadmodum mundus efloruerit, indagamus, alia vero omnia experimur. Statim enim „bina observamus principia: Θεον καὶ ὑλην. Materia coæterna est, „ἀγενητος quidem, uti Timæus Locrus vult, sed a Deo per emanationem sempiternam coorta, utpote quam ἀφθαρτον καὶ ἀπειρον informem & infinitam e sinu expulerit suo. Quod posterius inprimis „observandum est, ut intelligatur tum Dei & materiæ æterna conjunctio, tum etiam æterna emanatio. Rectè namque rationes subducunt, qui Platonis Deum principem ac Regem ut Immobilem, &

in

„ in summo otio versantem mente concipiunt, e cujus fœcundissimo
„ sinu effluxerint omnia, atque ipsa etiam ὑλη, non tam tempore
„ quam conceptu posterior destillaverit. Quod quidem mollius feren-
„ dum sapientibus foret, nisi materiæ e visceribus Summi Parentis pro-
„ pulsæ malignam adeo naturam tribuisset, ut ipse Deus summus eam
„ penitus corrigere ac restituere in integrum nequiverit. Unde non
„ male Jesuita Baltus concluſit, latere in hoc dogmate Manetis μανιαν,
„ de qua nunc quidem dicendi locus non est. Id notamus, fuisse
„ tandem Deum supremum e Platonis sententia, quæ nuda mentis præ-
„ cisione nititur, permotum, ut materiæ sine forma jacenti auxiliares
„ manus adferret, eamque veluti sylvam densam atque asperam in me-
„ liorem statum redigeret. Quod cum sine ratione perfici non possit,
„ tertium, quod vocavit ideam, excogitavit, quam meo permissu ver-
„ bum internum appellites licet, quod itidem ex abundantia divinæ
„ Majestatis effluxit. Neque vero Naturæ divinæ, utpote in otio &
„ tranquillitate fluitanti, congruere videbatur, ut ipsa manum operi
„ admoveret. Eo fine novum principium emergebat, quod per me
„ iterum verbum externum voces. Hoc mundum, qui Dei μονογενης
„ dicitur, intravit, ut ψυχικος και λογισικος evaderet, id est, animatus
„ & rationalis. Ex ratione seu intellectu innumeræ ideæ, quæ intel-
„ ligentiarum, Spirituum, ac Deorum Nominibus insigniuntur, pro-
„ cedentes, mediæ quasi inter animas ex mundi anima permanantes,
„ & materiam extiterunt; illamque tandem scalam effecerunt, per
„ quam a materia ad animam, ab anima ad ideam seu intellectum,
„ ab intellectu ad primam illam unicam & optimam naturam ascen-
„ deretur, eaque ratione res generatæ, cum Rege & Parente tam sensibi-
„ lium quam intelligibilium conjungerentur. Ex quo clarum fit,
„ Deum Platonicum sic componi e rebus intelligibilibus, sensibilibus,
„ corporalibus, ut Deus Spinozæ, ex quo omnia & qui cum & in
„ omnibus. Quemadmodum enim Spinoza Numen suum, duabus
„ imprimis proprietatibus cogitatione & extensione instruxit: ita ad
„ latus Dei Platonici duæ hypostases observantur, quarum una est ma-
„ teria extensa & animata, altera cogitans seu λογικη. Quod Plato
„ ὑποστασιν, seu principium oratorio more vocat, id Spinoza nude &
„ secundum Cartesii idioma adtributum nominat. Sat est, in eo con-
„ spirare Platonem & Spinozam naturam esse Unum; ex unitatis visce-
„ ribus prodiisse materiam, prodiisse intellectum, prodiisse animam
„ efficacem, inde adhuc prodire omnia & texi, quemadmodum ex

„araneo prodit tela affabre efficta, aut ex unitate numeri exsurgunt „infiniti; quod nisi Atheismus sit, doceri sane percupio, quid iste sit.„ Hactenus Cl. Vir, ex cujus verbis quid sibi demonstrandum sumserit patet. Possemus hæc omnia simpliciter negare, & ad superiora provocare, nullis enim perspicuis Veterum locis munita sunt, quæ Cl. Vir hic adserit, nisi forte excipias *Timæi Locri* locum, unde una cum *Baylio* (Continuation des pensées diverses p. 345.) hanc gravissimam accusationem repetiit. Id unice hactenus ergo mihi incumbit, ut locum *Timæi Locri*, cui tota C. Viri accusatio innititur, uti ex sequentibus patebit, accurate perpendam. Non possum tamen, quin prius adducam prudentissimum monitum Viri Venerandi & doctissimi. J.F. *Reimanni, quod extat Hist. Universi. Atheismi* pag. 161. 162. *Unico loco* (ita loquitur Cl. Vir) *tantum innititur suspicio Celeberrimi Gundlingii, & quidem loco ejusmodi, qui non Platonis est proprie, sed Timæi Locri Pythagorici quem l. c. loquentem introduxit Plato, & ex cujus libello hunc Dialogum dicitur compilasse, si Timoni Sillographo credimus apud Gellium* L. 3. N. A. c. 17 pag. 112. *Cujus sententiam non magis fortassis pro sua agnosceret Plato, si revivisceret, quam Euripides Cyclopis, vel Cicero Velleji. Adde quod locus omnium in toto dialogo est obscurissimus, nec id* κατα ῥητον *in se comprehendit, quod Vir doctissimus Platoni tribuit, sed ex eo elicitur tantum per consequentiam, quam Timæus fortasse non prævidit, & si prævidit commoda interpretatione eandem credidit posse temperari. Siquidem non omnis Dei cum mundo conjunctio Spinozismum involvit, sed ea, quæ dicitur necessaria, essentialis, æterna. Et esto hunc locum ita esse comparatum, ut ex eo aliquid possit exsculpi in Platonis præjudicium, sexcenta tamen sunt alia quæ oppido docent contrarium, & in hac dissertatione Timæi nonnulla leguntur, ex quibus patet eum animam mundi a Deo distinxisse, & toto, quod ajunt, cœlo a Spinoza fuisse diversum. Æquitati autem est conveniens, de mente autoris non ex uno tantummodo loco, sed ex pluribus & ejus* δυσνοησια *facilioribus & clarioribus aperire, & ea etiam, quæ male dicta sunt, quoad ejus fieri potest, in meliorem partem interpretari.* Hactenus Cl. *Reimannus.* Hæc monita mea opinione vel ideo non negligenda sunt, quod non agatur de errore nullius momenti, sed Atheismo, qui nemini sine evidentissimis rationibus tribui debet. Non quidem hac accusatione *Platoni* nocere possunt Viri Eruditi, qui a me dissentiunt, utpote qui jam diu ad plures abiit, sed aliquando exemplo suo nocere possunt viventibus. Dantur enim eheu! vel hodienum in tanta literarum luce multi, qui obscuriorem aliquam

&

& insolitam Viri Docti propositionem pessimum in sensum detorquent, & miras inde & periculosas nectunt consequentias, quod recentissimis exemplis, si veterem renovare dolorem juvaret, probare possem. At hi magnorum & Eruditorum Virorum exemplis se tueri solent. Sed examinemus jam præcipua loca *Timæi Locri*, quæ lucem huic controversiæ accendere possunt. pag. 543. ed. Galei. principio opusculi ait: δυο αἰτιας ἐιμεν των συμπαντων. Νοον μεν των κατα λογων γιγνομενων, ἀναγκαν δε των βια καττας δυναμεις των σωματων. *Duas esse rerum Omnium causas: mentem quidem, earum, quæ ratione aliqua nascuntur, & necessitatem earum, quæ existunt vi quadam, secundum corporum potentias & facultates.* Τȣτεων δε τον μεν τας τ'ἀγαθω φυσιος ἐιμεν, Θεον τε ὀνυμαινεσθαι ἀρχαν τε των ἀριςων. *Harum rerum, id est, naturæ bonorum, optimum esse quoddam rerum Optimarum principium & Deum vocari.* Habes hic primo νοον causam rerum, quæ intelligentia præditæ sunt, secundo την ἀναγκην, quo nomine materia, eaque quæ ex ejus diversa dispositione oriuntur sensu Platonico notantur, tertio primam omnium & præstantissimam rerum causam Θεον. Confer. hic Viri Summi *J. Clerici* Epist. Crit. VII. p. 197. Tom. 3. Postquam hæc in genere dixisset, pergit ita: Τα δε ἑπομενα τε καὶ συναιτια ὡς ἀναγκαν ἀναγεσθαι. Τα δε συμπαντα, ἰδεαν, ὑλαν, αἰσθητον τε, ὁιον ἔκγονον τȣτεων; *ea vero quæ consequuntur, & tanquam adjuvantes causæ accedunt, ad Necessitatem reduci. Omnia enim esse ideam, materiam, sensile veluti earum fœtum;* ideam esse ait: νοατον παραδειγμα των γεννομενων, materiam ἀγενατον καὶ ἀκινατον ingenitam & immobilem, nullibi ex essentia Dei vel natam vel expulsam, eandem ait esse ἐκμαγειον καὶ ματερα, τιθαναν τε καὶ γενναλικαν τας τριτας ȣσιας, porro ἀμορφον καὶ ἀσχηματιςον eandem vocat. pag. seq. 545. denuo æternitatem eidem attribuit dicens πριν ὠν ὠρανον γενεσθαι, λογω ἠςην ἰδεα τε καὶ ὑλα, καὶ ὁ Θεος Δημιȣργος τω βελτιονος. Si omnes illas phrases quæ a *Timæo* adhibentur, perpendamus, facile patet, materiam *Timæo* æternam, passivam, inordinatam videri, e sinu autem Dei tanquam partem Dei expulsam, nemo facile observare poterit. Consideratur uti aliquid non solum a Parente rerum optimarum distinctum, sed & ab ipsa idea, seu mundo intelligibili. Præterea non Dei tantum Imperio subjicitur, sed & Ideæ, quam pag. 445. tanquam Patrem considerat. Mundus quidem consideratur ὁιον ἔκγονον, Ideæ & materiæ, qui demum accedente singulari potentia & voluntate Dei liberrima ortus sit. Hinc eadem pag. 545. ita loquitur *Timæus* ex vers. Gal. *Quandoquidem igitur antiquius*

juniore præstantius est, & id quod ordinatum est, inordinato, Deus cum nimirum bonus sit & videret materiam recipere formam & alterari varie quidem, sed tamen inordinate: vidit quoque opus esse, ut eam ipse in ordinem reduceret, & ex indefinitis mutationibus ad certam definitamque constitueret: ut corporum distinctiones, mutua ratione inter se responderent, neque temere vicissitudines ultro citroque reciperent. Ἐποιησεν addit, ὡν ἴον δε κοσμον ἐξ ἁπασας τας ὑλας, ὁρον αὐτον κατασκευαξας τως τω ὁντως φυσιος, i. e. *Hunc igitur mundum ex omni materia creavit Deus, universique naturam terminum ipsum circumscripsit atque definiit* pag. 546. *Quum* igitur vellet Deus ἀριστον γενναμα ποιειν *pulcherrimum fœtum* producere, *hunc effecit Deum genitum, nunquam corrumpendum ab alia causa, præterquam a Deo;* de eodem mundo eadem pag. κρατιστος ἐστι των γενναtων, ἐπει ὑπο τω κρατιστω ἀιτιω ἐγενετο, ἀφορωντος ἐκ χειροκματα παραδειγματα ἀλλ' ἐς των ἰδεων καὶ ἐς ταν νοαταν ἐσιαν *mundus optimus est rerum genitarum, quandoquidem ab optima causa extitit, proponente sibi non exemplaria quædam manuum opificio edita, sed illam ideam intelligibilemque essentiam.* Hic observari velim *Timæum* adserere, Deum mundum in ordinem redegisse, mundum fecisse, illius voluntati & originem existentiæ & continuationem tribui, ad perfectissimum denique Exemplar factum esse, quæ omnia minime significant expulsionem quandam, aut effluxum ex essentia Dei, quod Cl. Vir supponit. Pag. 548. de Origine Animæ mundi agit, ubi denuo nulla expulsio locum habet. Ταν δε, ait, τω κοσμω ψυχαν μεσοθεν ἑξαφας ἐπαγαγεν ἔξω, περικαλυψας αὐτο ὁλον αὐτα, κραμα αὐταν κερασαμενος, ἐκ τε τας ἀμεριτω μορφας καὶ τας μεριτας ἐσιας. ὡς ἐν κραμα ἐκ δυω τατεων ἐιμεν, ὡ ποτεμιξε δυο δυναμις ἀρχας κινασιων, τας δε ταυτω καὶ τας τω ἑτερω. i. e. *Animam autem mundi in ipsius medio indidit Deus, & extra eduxit, ipsumque universum ipsa contexit certo quodam temperamento contemperatam, ex forma nimirum individua & ex dividua essentia, ut unum quoddam temperamentum ex his duobus existat, cui duas potentias immiscuit, motuum principia, ejusdem videlicet & alterius.* De eadem pag. 549. ait. *Hanc vero non ultimam ordinavit Deus post corpoream ipsam essentiam, sed antiquiorem creavit.* Quamvis circa naturam hujus animæ quædam obscuriora sint, patet tamen 1. eam a Deo distinctam, 2. ad certos fines ab ipso Deo ordinatam & ipsius Imperio subjectam. Eadem pag. de Deo ita loquitur *Timæus:* Θεον δε, τον μεν ἀιωνιον νοος ὁρη μονος, τον ἁπαντων Αρχαγον καὶ γενετορα τατεων. pag. 551. *Deus autem tempus cum ipso mundo ordinavit. Non enim erant astra ante tem-*

tempus; neque proinde annus, neque anni tempestates, certis circuitibus distinctæ, quibus genitum hoc tempus definitur. Est autem tempus ingeniti temporis imago, quod æternitatem vocamus. Quemadmodum enim hæc universitas ad intelligibilis mundi Exemplar creata est, ita & hoc tempus ad æternitatem, veluti ad Exemplar quoddam cum mundo ab opifice fuit constitutum. Pag. 556. ait: *post mundi constitutionem, mortalium animantium generationem, molitus est Deus, ut ad imaginem illam perfectus esset plane atque absolutus.* Pag. 557. *sensus nobis datos esse a Deo ad sapientissimos fines.* Pag. 562. & seq. originem vitiorum in pravis animi adfectionibus, temperamento & consuetudine quærit. Præclarus locus est pag. 565. quem, ne prolixior sim, latine tantum adscribam. *Intelligentia, ait, & antiqua illa Philosophia mentem mendacibus, inanibusque opinionibus expurgatam, & ex magna ignorantia revocatam scientiæ dedicarunt, eamque ad rerum divinarum contemplationem erexerunt. In quarum rerum cognitione si quis ita versetur, ut animum gerat sua sorte contentum, humanosque casus sub se positos habeat, & in hac animi æquitate quasi secundo flumine ad moderatam temperatamque vitam, aspiret, is profecto viam ingressus est veræ felicitatis.* Et hæc præcipua sunt dogmata quæ in libello hoc *Timæi Locri* continentur, invenire tamen, quæ mea est ingenii imbecillitas, non potui id, quod Cl. Vir inde deduxit, nimirum materiam e sinu Dei fuisse ejectam. Unde necesse esse non puto, ut multis ad ea, quæ ex hac hypothesi deduxit, consectaria, respondeam, cum nullis apertis testimoniis munita sint. Crediderim Cl. Virum (quod si in eo erro, veniam mihi dabit Cl. Vir) non tam auctoritate *Timæi Locri*, quam *Baylii* aut *Suverænii* ad sententiam hanc tuendam motum fuisse. *Baylius continuat. des pensées sur les Cometes* pag. 342. cap. 68. probare vult, *Platonem* unitatem Dei non agnovisse. Provocat quam maxime ad *Suverænium*. Hic autem in Platonismo detecto pag. 93. ita loquitur. *Timæus Locrus, d'ou Platon a puisé sa Doctrine, pose d'abord un principe très bon. Ensuite il distingue trois ordres des choses, 1. l'idée, ou la forme qui est éternelle en Dieu, & qui est l'Exemplaire perpétuel de toutes les choses engendrées & sujetes au changement: Voilà le premier verbe, le verbe interne & intelligible. 2. La matiere, par où il entend cette substance, que Dieu poussa hors de son sein, destituée de forme, & que d'autres ont appellé le second verbe, ou le verbe proferré. 3. Ayant consideré l'idée comme le Pere, & la matiere comme la Mere, il prétend que de ces deux principes il s'en forme un troisieme, qui en est le Fils, qu'il apelle le sensible, ou le monde*

ſenſible , pour le diſtinguer de l'intelligible , & que d'autres ont appellé l'Eſprit qui anime le monde , & l'Ordre de la Nature. De là il conclut , qu'il n'y a qu'un monde , que ce monde eſt le fils unique de Dieu (μονογενης) *qu'il eſt parfait , qu'il eſt doué d'ame & de raiſon.* Vides *Suverænium*, *Baylium*, *Gundlingium* provocare ad *Timæum Locrum* adſerentem, materiam ex ſinu Dei ejectam, omnes tamen locum, in quo perſpicue hæc dixerit *Timæus*, ſilentio præterire. Exinde tamen, Cl. *Gundling* argumentatur, *Platonem Spinozæ* ſententiæ addictum fuiſſe. *Baylius* ſimiliter, adductis locis *Suverænii*, ita loquitur. *Avez-vous jamais rien lû de plus monſtrueux ? Ne voilà-t-il pas le monde formé d'une ſubſtance que Dieu pouſſé hors de ſon ſein ? Ne le voilà-t-il pas l'un de trois Dieux ? Et ne faut-il pas le ſubdiviſer en autant des Dieux qu'il y a des parties dans l'Univers diverſement animées ? N'avez-vous point là toutes les horreurs, toutes les monſtruoſités de l'ame du monde ? plus de guerres entre les Dieux que dans les Ecrits des Poëtes ? les Dieux Autheurs de tous les péchés des hommes ? les Dieux qui puniſſent, & qui commettent les mêmes crimes, qu'ils ordonnent de ne point faire ?* Audio hic quidem Rhetorem belle declamantem, minime autem Philoſophum accurate ratiocinantem. Debuiſſet *Baylius* primo locum *Timæi*, ad quem *Suverænius* provocat, ad genuinas interpretationis regulas examinare, nec ſtatim auctoritati *Suverænii* credere ; ſecundo, cogitata *Timæi* cum *Platonis* conferre, & ſolerter inquirere, utrum *Plato* idem ſenſerit nec ne, tumque demum licuiſſet conſectaria alterutram in partem urgere. Sed hoc minime præſtat *Baylius* ; & ſtatim provocat ad *Gaſſendum*, qui loca *Plutarchi* & *Plotini* attulerit ; Cum autem Cl. *Gundlingius* in ſequentibus ad *Gaſſendum* pariter & *Plutarchum* provocet, ſuo loco ea exanimabimus. Patet autem, niſi fallor, hactenus Cl. illos Viros minime demonſtraſſe, materiam ex mente *Platonis* ex eſſentia Dei propulſam fuiſſe. Facile autem prævidit Cl. *Gundling*, ſine argumentis & teſtimoniis clariſſimis neminem opinioni ſuæ acceſſurum, accingit igitur ſe ad majorem lucem huic opinioni affundendam pag. igitur 8. ita ait. „ Conſtat inter omnes, Platonem materiam Deo ſuo junxiſſe „ æternam. Id Jacobus Thomaſius, J. Clericus, J. Ch. Wolfius alii- „ que Viri Cl. fatentur. Hieroclem Platonicum non moramur, ut- „ pote qui Chriſtianorum opinionibus ſæpe velificans Platonis dogma- „ ta haud raro inflectit. Tantum inquirendum eſt, ſitne illa materia „ orta a Deo nec ne ? Multi qui eam ἀγεννητον deſcribi obſervarunt, „ non etiam natam a Deo crediderunt: At quamlibet ea non ſit ſecun-

„ dum

„dum Christianorum doctrinam & Stylum creata atque ex nihilo „producta; tamen permanavit e Deo. In Timæo equidem nihil „certi invenitur; utut jam doctissimus Galeus animadvertit in Phile„bo ejus rei vestigia comparere. Aperte quippe Socrates affirmat, „Deum το μεν ἀπειρον δειξαι των ὀντων, το δε περας, hoc est, ex iis „quæ sunt, alterum infinitum, alterum manifestasse finitum. Ἀπει„ρον seu ἀπειρια materiam primam significat: quod jam Serranus ante „Galeum indicavit. Et ita vero materia manet ἀγεννατος, uti ipse „Deus, etsi eam manifestavit, hoc est, ex se expulit, atque ita osten„dit: quemadmodum το δειξαι exposuit Ficinus multo doctior. Unde „mirandum non est, Jamblichum ἀπο τε πατρος των παντων eam deri„vasse ut etiam Damascius. Ὑλη, inquit, τις ἐκ Θεων, καὶ ἡ ὑλη ἀπο„ἱης ἀυτης ἰαξεως, ὁθεν το εἰδος. Damascius vero ab ore Simplicii pe„pendit; & Justini Imperatoris ætate vixit: ut Julianum silentio præ„termittam, qui in Oratione V. ἐξ ἀιδιε συμπροελθασης της ὑλης των „Θεων meminit. Quod si autem, materia a Deo emanavit, in sinu „sane ejus extitisse necesse est. Sin hoc, materia sine dubio cum Deo „fuit conjuncta —„ hactenus Cl. *Gundling*. Ex adductis Cl. Viri verbis patet, omnia redire ad testimonium e *Philebo* citatum. Mirum autem est, in *Timæo* Platonis nihil a Cl. Viro inveniri, quod ad sententiam suam stabiliendam facere possit, cum tamen simul cum *Baylio* ad Physica Platonis dogmata provocet, in quibus tamen, uti notum est, rerum omnium originem pandit. Testimoniis autem *Plotini*, *Damascii*, *Simplicii*, tot seculis post Platonem natorum, non magis crediderim, quam Judæis recentioribus dogmata Veteris Ecclesiæ Judaicæ explicantibus, aut Monachis VIII. seculi dogmata Christi & Apostolorum ad suas opiniones detorquentibus. Afferenda sunt, cum de *Platonis* Atheismo agitur, loca minime obscura ex ipso *Platone*. At id minime præstat Cl. Vir. Quod jamjam ostendam. Locus *Philebi* extat mihi p. 159. Dialogus ille agit de summo Bono, simulque ad explicandam illam materiam vel potius obscurandam multa adducuntur de uno & multis, finitis & infinitis: ad explicationem autem propositi tentandam ita *Socrates* loco citato: Παντα τα νυν ὀντα ἐν τω παντι διχη διαλαβομεν. Μαλλον δ'ἐι βελει, τριχῆ. Πρ. Καθ' ὠ, τι φραζοις ἀν; Σω. λαβωμεν ἀττα των νυν δη λογων. Πρ. Ποια. Σω. τον Θεον ἐλεγομεν τι, το μεν ἀπειρον δειξαι ἰων ὀντων, το δε περας. Πρ. Πανυ μεν ἐν. Σω. Τετων δη ἰων ἐιδων τα δυο τιθωμετα, το δε ἰριτον δαξ ἀμφοιν ἰσιον ἐν τι ξυμμισγομενον. Ἐιμι δ'ὡς ἐοικεν ἐγω γελοιος τις ἱκανως κατ'

κατ' ἰδέαν διῃρῆσθαι, καὶ συναριθμεῖσθαι. Πρ. Τί φῂς ὠγαθέ. Σω. Τέταρτα μοι γένεσι ἀν προσδεῖν φαίνεται. Πρ. λέγε τίνος. Σω. τῆς συμμίξεως πάντων πρὸς ἄλληλα τὴν αἰτίαν ὁρᾶ καὶ τίθει μοι πρὸσ τρισὶν ἐκείνοις, τέταρτον ἰδέα. i. e. Ex versione Ficini. *Omnia, quæ nunc in Universo sunt, bifariam distinguamus. Imo si vis trifariam* Pr. *quonam pacto?* Soc. *Accipiamus nonnulla ex iis, quæ nunc a nobis sunt dicta* Pr. *Quænam?* Soc. *Deum dicebamus ex iis quæ sunt, alterum quidem infinitum, alterum vero terminum ostendisse.* Pr. *Omnino quidem.* Soc. *Has itaque Species duo illa ponamus: tertium vero unum ex utrisque commixtum. Ridiculus tamen videor admodum, dum per species dividere atque dinumerare ista contendo.* Pr. *Quid ais, o bone Vir?* Soc. *Quarto adhuc genere opus esse constat.* Pr. *Quonam?* Soc. *Causam alternæ commixtionis istorum considera; eamque præter tria illa, quartum ponito.* Cum autem hæc minus perspicua sint, audiemus ipsum Platonem, mentem apertius in sequentibus explicantem, optimumque verborum suorum Interpretem. Brevitatis autem causa sequemur versionem *Ficini*, quam satis accuratam Cl. Vir existimat. pag. 87. *Plato*, quid finiti quid infiniti nomine intelligat explicat, saltem narrat. *Quæcunque, inquit Socrates, magis ac minus vehementer atque remisse, nimisque & hujusmodi quædam admittunt, cunctum in unum infiniti genus reducenda sunt, quemadmodum supra diximus, asserentes omnia, quæ dividua disperseque sunt, in unum oportere colligi, secundumque vim unam, velut unam quandam naturam signari. Quæ vero talia minime, sed horum contraria accipiunt omnia, primo quidem æquale ipsum atque æqualitatem, post æquale & duplum & singulas inde proportiones quascunque, ad numerum numerus & ad mensuram mensura habet, hæc inquam omnia in genus finiti merito referemus.* Postea pag. 88. Socrates tertium explicat dicens; *infinitam commisce cum progenie termini.* Pr. *Quam dicis & quomodo?* Soc. *Æqualis & dupli progeniem & quæcunque diversa quæ sunt, contraria infestaque esse non sinit, sed commensurata, & consona reddens numerum efficit.* Pr. *intelligo. Dicere namque mihi videris, si ista miscentur, generationes quasdam ex eorum singulis eventuras.* Soc. *Et recte videor. Tandem ad quartum etiam applicandum se accingit, simulque totam rem aperit. Vide enim, inquit Socrates, an non necessarium videtur, quodcunque gignitur, per aliquam causam gigni.* Pr. *mihi plane. Quomodo enim absque ea fieret.* Soc. *Et efficientis natura nomine duntaxat a causa differt, efficiensque & causa unum merito vocabuntur.* Pr. *Merito.* Soc. *Quin etiam factum ac genitum solo nomine discrepabunt.* Pr. *Certe.* Soc.

Præ-

Præcedit quidem atque ducit natura semper quod efficiens est: quod vero factum est ab eo genitumque, ipsum sequitur. Pr. *Prorsus.* Soc. *Non ergo idem, sed aliud est causa, & quod ad generationem causæ servit.* Pr. *Quid prohibet?* Soc. *An non genita ipsa, & ex quibus gignuntur omnia, tria nobis genera præbuerunt?* Pr. *Maxime.* Soc. *Omnium autem istorum Opificem quartum ponimus, causamque vocamus, utpote aliud quiddam, quam illa ad sufficientiam demonstratum.* Pr. *Ponimus absque dubio.* Soc. *Verum jam decet, cum quatuor ista discreta sint, quo melius singulorum meminerimus, singulatim illa dinumerare.* Pr. *Utique.* Soc. *Primum igitur Infinitum dico, secundum terminum, tertium mixtam ex iis genitamque essentiam: postremum mixtionis generationisque causam, si quartum vocem numquid erravero?* Prot. *Nullo pacto.* Hæc pag. 89. voluptati & Sapientiæ adplicat Plato, ostensurus, neque voluptatem omne bonum, neque dolorem omne malum. Paulo post ita pergit. *Ultrum o Protarche dicendum est, universum hoc agi ab irrationali quadam temerariaque & fortuita potestate? an contra quemadmodum Majores nostri senserunt, ordine quodam mentis & sapientiæ mirabilis gubernari.* Pro. *Nulla est comparatio. Nam, quod modo dicebas, o Socrates, prophanum mihi videtur: fateri autem mente hæc omnia exornari, sententia quædam conspectu mundi solisque & lunæ cæterorumque syderum, & omnis denique cœlestis circuitus digna est, nec ego unquam aliter de iis loqui aut sentire ausim. Idem adserit pagina sequenti.* Judicent igitur Viri me perspicaciores utrum ex adducto Philebi loco firmiter concludi possit, materiam e sinu Dei expulsam fuisse. Ego, ut simpliciter dicam quod sentio, nec vestigium, nec umbram hujus rei video, nedum ut aliqua probabilitatis specie se se commendet objectio inde petita.

XIV. Pergamus ad alias Cl. Viri objectiones. Pag. 10. postquam eos reprehendisset, qui Platonicam creationem cum Christiana confundunt, addit. „ Qui vero materiam emanasse a Deo statuunt, „ forte a Spinozæ doctrina proxime absunt. Causa est, quod & hic „ principium unum, necessarium, æternum, per se subsistens, admittat, sed in quo lateant, & ex quo profluant procedantve universa. „ Unde merito rogantur Platonis cultores, ut edisserant, quomodo „ illa emanatio evenerit. Mihi nullum dubium hæret, quin aut Deum „ conceperit ut extensum & dividuum, aut ut totum, quod motu „ quodam interno separaverit & diviserit materiam, veluti partem sui „ & matricem sensilium rerum omnium. Quod Spinoza modificatio-

„nem, id Platonici emanationem appellant.„ Breviter tria circa hæc moneo, primum est, existimare me, falli eos, qui credunt materiam ex nihilo creatam ex mente *Platonis*; interim tamen multa loca e scriptis Platonis adferri possent, ex quibus majore probabilitatis specie inferri posset, mundum ex nihilo creatum, quam omnia ex infinita Dei essentia orta esse. 2. Miror Cl. Virum statim ac negavit *Platonem* creationem ex nihilo credidisse, adserere, eum emanationem omnium rerum ex Deo professum esse. Datur enim tertium, nimirum duo æterna rerum principia statuendo, quod familiare veterum assertum fuisse, præter tot alios, ostendit Cl. ille *Wolfius*, a quo circa hanc controversiam, abit. Necesse igitur non est, ut hujus Emanationis rationem Cl. Viro explicemus, hactenus enim nullo testimonio demonstravit, *Platonem* hanc emanationem materiæ credidisse; quod si vel maxime tamen nec *Plato*, nec alii modum explicare possent, num ideo sequeretur falsam esse? Minime crediderim. Nemo qua ratione omnia e nihilo facta sint perspicue explicuit, firmiter tamen credimus. 3. Indubium videtur Cl. Viro, *Platonem* Deum uti extensum, aut ut totum &c. consideravisse. Mihi vero & aliis, ut sumus homines, non dubia tantum sed falsissima videntur. Deum *Platonis* non extensum, non solidum, tot loquuntur præclara Veterum loca, ut post ea, quæ supra adduxi, nil necesse sit addere. Certe, si *Plato* Deum concepisset instar totius, quod motu interno materiam separasset, quid opus erat fingere materiam per se ad motum esse ineptam? quomodo eam ex sinu suo depulsam exornare potuit? quem in finem mundum intelligibilem & animam mundi finxisset *Plato*? Si hæc, quæ adserit *Plato* de exornatione mundi, pura puta figmenta sunt, ostendendum ergo nobis est, quo tandem in loco clare ac perspicue de Emanatione illa locutus fuerit. Scio nihil tam absurdum quod non ab aliquo Philosophorum dictum & propugnatum fuerit, haud ignoro ingenium *Platonis*, ad miras τερατολογιας fingendas aptissimum. Sed sine evidentissimis argumentis tamen nemini absurdam quandam sententiam adscribendam puto. Cæterum quatenus Ægyptii, Stoicique cum *Platonis* decretis consenserint, disputare hic nolo, quæritur duntaxat *Platonis* mens & sententia. Pergit Cl. Vir pag. 12. dicendo. „Deus Platonis est cum ὑλη, sed quam παρηγαγεν ἐξ ἀιονος atque cum „ea se iterum & ab æterno, veluti aranea cum tela conjunxit. Verba „extrema ab æterno forte non allubescent contraeuntibus. In tem„pore, inquiunt, id factum est, libere. Sed vereor, ne qui sic ar-

„guunt

„ guunt infeliciter decipiantur. P. Gaſſendus certe falli omnes haud „ temere adfirmat, qui Platonis materiam & animam ante mundum „ fuiſſe effectam credunt. Occurrit hic non tam tempore prius quam „ natura. Quicquid Platonici mente depingunt, mentis præciſionem „ indicat, verum nihil. Quod ut clarius percipias, fac te pedem „ in pulvere conſtituere, habebis, credo, veſtigium æternum: Ec- „ quando? ſed jam peto ad te, ne tempore prius cogites. Ariſtoteles „ ſine circuitione edixit: mundum eſſe æternum: quod Plato ſæpe „ ſub mentis præciſionibus occultavit ſuis. Alcinous rotunde cap. „ XIV. ὁταν δε λεγῃ γεννητον εἰναι τον κοσμον, ἐκ ἐτως ἀκηςεων, ἀυτε ὡς „ ὀντος ποτε χρονε ἐν ὡ ἐχ ἠν κοσμος. ἀλλα διοπ ἀει ἐν γενεσει ἐςι, καὶ ἐπι- „ φαινει της ἀυτε ὑποςασεως ἀρχικωτερον τι ἀιτιον. Και την ψυχην δε ἀει „ ἐσαν τε κοσμε ἐχι ποιει ὁ Θεος, ἀλλα καλα κοσμειν. Cum vero geni- „ tum vult eſſe mundum, non hoc eum voluiſſe putandum eſt; ut „ tempus fuerit aliquod, quo mundus non eſſet: verum quia ſemper „ in generatione perſiſtit, eſſentiæque ſuæ præſtantiorem aliquam ma- „ gisque principalem eſſe cauſam indicat. Anima præterea mundi, „ quæ ſemper fuit, non efficitur a Deo ſed ornatur tantum. Simi- „ liter Apulejus Lib. 1. dog. Plat. mentem Magiſtri pandit: Et hunc „ quidem mundum nunc ſine initio eſſe dicit: alias originem habere, „ natumque eſſe. Nullum autem ejus exordium atque initium eſſe, „ ideo, quod ſemper fuerit: nativum vero videri, quod ex his totius „ natura & ſubſtantia conſtet, quæ naſcendi ſortitæ ſint qualitatem. „ Ex quo appoſite colligitur, quam parum tribuendum ſit argumen- „ to eorum, qui quod Plato mundum *γεννητον* dixit, eundem in tem- „ pore fuiſſe factum contendunt.„ Ita Cl. *Gundling* poſt *Baylium continuat. des penſées diverſes.* pag. 346. Ad hæc ſequentia noto 1. eſt, materiam ab æterno cum Deo conjunctam fuiſſe, falſum eſſe, ſupra niſi fallor abunde oſtendimus, nec Auctoritas *Gaſſendi* ſummi alias Philoſophi, evidentiſſimis rationibus & teſtimoniis deſtituta, nos multum moratur. 2. Nec *Apulejo* & *Alcinoo* a *Platonis* genuina ſententia recedentibus fidem habemus. Novimus *Plotinum*, *Taurum*, *Porphyrium*, cum *Ariſtotelis argumenta pro mundi æternitate ſolvere non poſſent*, *nec fateri tamen vellent*, *rectius Ariſtotelem ſenſiſſe*, *quam Platonem*, *commentos eſſe rationem* (*verba ſunt G. Voſſii de Sectis Philoſoph.* cap. 12. p. m. 70.) *qua ambo viderentur idem ſenſiſſe. Ajunt enim*, *Platonem*, *cum mundum ait genitum*, *non loqui de mundo genito ſecundum principium temporis*, *quomodo Platonem* accepere *Ariſtoteles* &c., *ſed de*

principio secundum causam : ut sic mundus a Deo dicatur, uti lumen est a sole. Hactenus *Vossius.* Idem observavit *Stillingfleet.* Orig. Sac. Lib. 3. cap. 2. pag. m. 868. Eleganti similitudine eorum mentem expressit Augustinus de Civit. D. Lib. X. cap. 31. *Sicut enim inquiunt Platonici, si pes ex æternitate semper fuisset in pulvere, semper ei subesset vestigium : quod tamen vestigium a calcante factum nemo dubitaret. Nec alterum altero prius esset, quamvis alterum ab altero factum esset : Sic inquiunt & mundus atque in illo Dii creati & semper fuerunt ; semper existente qui fecit, & tamen facti sunt.* Sed in ea fuisse sententia ipsum *Platonem*, probari vellem ; non solum enim Deus *Platoni* dicitur : Ὁ ποιητης καὶ πατηρ τȣ παντος, sed & in specie de Republ. Lib. X. Ὁ γην, ἐρανον, καὶ Θεȣς, καὶ παντα τα ἐν ἐρανω, καὶ τα ἐν ἀδȣ, καὶ ὑπογης ἁπαντα ἐργασαμενος. Clare autem mentem *Platonis* perspicimus, si attendimus ad ea, quæ de tempore dixit. Observavimus supra *Platonem* in *Timæo* plerumque secutum cogitata *Timæi Locri.* Is autem pag. 551. sq. ita de hac materia rationatur, χρονω δε τα μερεα, ταιςδε τας περιοδως λεγονται, ἁς ἐκοσμησεν ὁ Θεος συν κοσμω. ἐ γαρ ἠν προ κοσμȣ ἁρα. διοπερ ἐδ' ἐνιαυȣς ἐδ' ὡραν περιοδοι, ἁις μετρεται ὁ γεννατος κοσμος (alii χρονος) ἐστι. ἐικων δε ἐςι τω ἀγεννατω χρονω ὁν ἀιωνα ποιȣμενος. ὡς γαρ ποτ' ἀιδιον παραδειγμα τον ἰδανικον κοσμον ὁδε ὡρανος ἐγενηθη, ἐτως ὡς προς παραδειγμα των ἀιωνα ὁδε χρονος συν κοσμω ἐγαμιεργοθη, i. e. *sunt vero hæ temporis partes, quas circuitus vocant. Deus autem tempus cum ipso mundo ordinavit. Non enim erant astra ante tempus : neque proinde annus, neque anni tempestates certis circuitibus distinctæ, quibus genitum hoc tempus definitur. Est autem tempus ingeniti temporis imago, quod æternitatem vocamus. Quemadmodum enim hæc Universitas ad intelligibilis mundi Exemplar creata est ; ita & hoc tempus ad æternitatem, veluti ad Exemplar quoddam, cum mundo ab Opifice fuit constitutum.* Clare satis hic *Timæus* astra simul cum tempore exorta esse ait, item tempus ad æternitatem ab Opifice fuisse constitutum. At in eandem sententiam concedit *Plato* in *Timæo.* p. 711. vers. Ficini. *Dies porro*, ait Plato, *& noctes & menses & annos, qui ante cœlum non erant, tunc nascente mundo nasci jussit, quæ omnia temporis partes sunt. Atqui erat & erit, quæ nati temporis species sunt, non recte æternæ substantiæ adsignamus. Dicimus enim de illa est, erat, & erit. Sed illi revera solum esse competit.* Et in sq. *Tempus vero una cum cœlo factum est, ut, una orta, una etiam dissolvantur, si qua his solutio unquam contigerit, & ad exemplar æternæ naturæ ideo factum, ut mundus hic illi præstantiori quoad*

potest

poteſt ſimillimus ſit. Et hæc ſane ſententia cum reliquis dogmatibus *Platonis* amice conſpirat. Docet enim, materiam primo fuiſſ ἄμορφον καὶ ἀσχημάτιστον: docet ad exemplar æternum factam: argumentatur ab ordine rerum ad demonſtrandam Entis ſapientiſſimi exiſtentiam & Providentiam, æternitatem ſoli Deo competentem ſolerter diſtinguit a tempore. Quæ omnia mea opinione ſatis teſtantur, mundum ex mente *Platonis* non ab æterno ortum. Scio Cl. Virum cum *Baylio* ad præciſionem aliquam mentis confugere, ſed demonſtrandum prius eſt clariſſimis teſtimoniis, ſententiam *Platonis* de hoc negotio ita eſſe comparatam, ut ſine ſuppoſita quadam mentis abſtractione intelligi non poſſit. 3. Quod ſi vel maxime Cl. viro concederemus, *Platonem* credidiſſe mundum ab æterno ortum, nondum tamen inde ſequeretur, *Platonem* Atheum eſſe. Aliud enim eſt adſerere mundum ab æterno per ſe extitiſſe, aliud mundum ab æterno voluntate & omnipotentia Entis Intelligentis exortum. Qui prius defendunt ſine dubio Athei ſunt, non item qui poſterius; concedunt enim cauſam aliquam æternam eamque ſapientiſſimam mundi, licet ſimul ſtatuant eandem ab æterno mundum produxiſſe. Obſervavit hoc ante me Eruditiſſimus, *Clarkius*, Vir hac in parte nemini ſuſpectus, in *demonſtrat. Exiſt.* D. & R. Chriſt. pag. 45. Tom. I. *Je conviens*, ait ille, *que l'opinion de l'éternité du monde eſt incompatible avec le ſentiment commun: cependant puiſque les defenſeurs de cette opinion ne l'ont cru incompatible avec la croyance d'un Etre éternel, tout puiſſant & tout ſage, Autheur & Createur de l'Univers: & puiſque les argumens, dont ils ſe ſont ſervis pour defendre leur ſentiment, ſont beaucoup plus propres à renverſer l'exiſtence neceſſaire & l'indépendance du monde materiel, qu'à l'établir, qu'y a-t-il de plus injuſte & de plus deraiſonable que la prétenſion de nos Athées modernes, qu ſe parent de l'Authorité de ces Autheurs anciens, & qui les alleguent, comme ayant été de leur parti? Qui ne voit en effet, que c'eſt envain qu'ils allegueront ce que ces Anciens ont dit de l'éternité du monde, tandis qu'ils ne pourront pas faire voir, qu'ils ont auſſi nié l'exiſtence & le pouvoir ſuprême d'un intelligence éternelle?* Ita *Clarkius*, quo nemo majori argumentorum pondere Atheiſmum ſubvertit.

XV. Pergit Cl. Vir pag. 13. ſeq. „ Scio quid impulerit pleros-„ que ut de Ὀρθοδοξια Platonis tam benigne ſentirent. Deprehende-„ runt illi, multum de ſapientia, idea atque artificio, quod in mundo „ apparet, diſſeruiſſe Magiſtrum. Inde conjecerunt, habere ejus mun-„ dum Δημιεργον externum, magna ſapientia conſpicuum. Verum ob-

„ servavit jam doctissimus Vitringa, non esse mundi Opificem a mente Dei diversum. Idem qui nunc Opifex, nunc itidem mens dicitur: addit porro, nec mentem esse reapse a mundi anima distinctam, sed logica tantum præcisione concipi ut separatam: perinde ac quotidie voluntatem & intellectum tanquam res separatas consideramus, quamvis una mens sit, quæ intelligat atque velit. Hinc Plato eam animum Spiritumque dixit, qui cum mente idem est. Distinctio quæ hic occurrit, iterum commentitia videtur. Vocatur νες, cum intelligit, exequitur, quemadmodum igitur voluntas sine corporis interventu cerni non potest, ita anima mundi, cui propriam ὑποςασιν adjecit, nonnisi mentis & summi Dei Spiritus est, diffusus & extensus per Universum, sicuti materia Cartesii subtilis. Quibus constitutis consequitur sane, ut Deus Platonis, Universum, materia, mens, anima, mundus, unius rei diversæ tantum denominationes videantur. Quod ne a me credatur confictum, Plutarchum cito, qui in libro de procreatione animæ nobiscum egregie consentit. Ὁμαλως δε παντες ἐτι χρονω μεν οιονται την ψυχην μη γεγονεναι μηδε εἰναι γενητην, πλειονας δε δυναμεις ἐχειν, εἰς ἃς ἀναλυσοντο θεωριας ἑνεκα την ἀσιαν αὐτης λογω τον Πλατωνα γινομενην ὑποπτευθαι καὶ συγκεραννυμενην. Τα δε αὐτα καὶ περι τα κοσμα διανοουμενον ἐπισασθαι μεν ἀϊδιον ὀντα καὶ ἀγενητον. Το δε ὡ τροπω συντετακται καὶ διοικειται καταμαθειν ἑ ῥαδιον ὁρωντα τους μητε γενεσιν ἀυλε, μηδε των γεννητικων συνοδον ἐξ ἀρχης προυποθεμενους ταυτην την ὁδον τραπεσθαι. h. e. Isti omnes æque ita sentiunt, animam tempore non esse ortam, neque originem competere in eam: sed pluribus esse præditam facultatibus, in quas eam Plato contemplationis gratia dissolvens, ponat natam esse & commixtam. Eademque illum de mundo etiam sensisse: quem cum sciret esse æternum & nunquam ortum, videret autem difficulter considerari, quomodo compositus esset & gubernaretur, nisi quis ortum ejus & causarum ipsum conficientium congressionem ab initio posuisset: isti viæ ac rationi institisse.„ Ita Cl. *Gundling*.

Ostendere vult Cl. Vir, Deum *Platonis*, Universum, materiam, mentem, animam, mundum, unam eandemque rem esse, nonnisi diversis adpellationibus distinctam; & ad hoc probandum ad *Vitringam* & *Plutarchum* provocat. Probare hoc loco nolumus, universum & materiam a Deo distinctum esse, probavimus enim hoc supra, nec ullum testimonium manifestum hactenus a Cl. Viro allatum est, quo constet, materiam aut ex essentia Dei emanasse, aut insolubili vinculo

cum

cum eo connexum, nedum uti Deus ipse corpus aliquod subtilissimum sit, adeo ut conclusio Cl. Viri non possit non vacillare. Hisce notatis tria ostendemus, *primum est*: hypothesin Cl. *Vitringæ*, si vel maxime certa esset, nihil tamen ad stabiliendam sententiam Cl. Viri facere. *Secundum*: animam illam mundi revera a Deo Opifice omnium rerum distinctam, 3. testimonium *Plutarchi* minus recte ad propositum trahi. Quod primum attinet, verum est, Cl. Theologum τὸν νυν ἐν ἁγιοις, *Vitringam* existimasse, sententiam *Suverænii* de trinitate Platonica, qua statuit, *Platonem* designare voluisse tres excellentiores illius proprietates, quæ in Creatione hujus Universi eluxere, bonitatem nimirum, sapientiam & potentiam ejus, a vero haud abhorrere. Legi diligenter libellum *Suverænii*, sed invictis rationibus & testimoniis e *Platone* petitis sententiam hanc munitam esse, perspicere haud potui. Ponamus tamen veram esse hanc sententiam, sequetur omnia, quæ de anima mundi dicuntur, convenienter huic sententiæ explicanda & interpretanda esse. Deus, quatenus ut Opifex omnium rerum consideratur, bonitate sua ex mente *Platonis*, ad exornandum hoc universum commotus est. Idem Universum, ad sapientissimos fines dirigit & tandem potentia sua omnibus, maximis & minimis non solum prospicit, sed & operatur efficacissime; quæcunque igitur de operationibus animæ mundi in hoc universo dicuntur, secundum hanc sententiam mollius explicari deberent: dicitur exempli gr. animam mundi materiæ infusam. Quod hac stante hypothesi *Suverænii* aliter explicari non potest, quam Deum potentia sua infinita & imperscrutabili materiæ massam singulis momentis conservare, conservatam movere & fœcundare. Solemus enim & nos phrases, quæ prima specie duriores videntur, ex. gr. Deum in nobis habitare, nos in Deo esse, vivere, moveri &c. nonnisi de variis Dei in regno Naturæ & Gratiæ operationibus intelligere, tantum igitur abest, ut hoc Systema sententiæ Cl. Viri patrocinetur, uti potius eandem destruat. Erit enim Deus a materia distinctus & a mundo. Materia est æterna. Sed Deus eam exornat, dirigit, movet, quæ ab opinione *Spinozæ*, prorsus abhorrent. Sed conclusio Cl. Viri plane alia est. Nimirum supponit, hanc animam mundi materiam esse subtilissimam, eandemque cum Rectore Universi & λογω efficere unam substantiam. Sed unde hoc probat Cl. Vir? Certe si anima mundi nonnisi potentiam Dei denotat, actum est de materia subtilissima. Si vero anima mundi nonnisi subtilissima materia est, e diametro pugnat cum systemate *Suverænii*. Imo argu-

argumentum Cl. Viri plus probat, quam probandum erat, & ideo nihil probat: probaret enim in Systemate *Platonis* plane nullas substantias intelligentes locum habere posse. Materia enim, si ei credimus, ex essentia Dei expulsa fuit, anima mundi subtilissima est materia, eademque cum primo & secundo principio unicam conficit substantiam. Ergo omnia quæ existunt, nonnisi corpora erunt. Quæ sententia clarissimis testimoniis Veterum repugnat. Cl. Vir diversas sententias tanquam concessas & rite probatas adsumit, & inde argumentatur, neglectis testimoniis clarissimis, quæ hic quam maxime exhibenda essent. Probandum est, animam mundi nonnisi materiam subtilissimam: probandum primum & secundum principium, ab anima mundinon distinctum: probandum primum & secundum Platonis principium, nonnisi materiam esse subtilem; sed nolumus hisce diutius inhærere: Probabimus tantum *secundo loco* animam mundi ex mente *Platonis* substantiam esse a Deo diversam. Supra jam Sect. 13. adduximus clarissimum locum *Timæi Locri*, ex quo patet eandem Rectoris omnium rerum arbitrio subjectam & a Deo distinctam esse. Idem jam ex *Platone* ipso ostendemus. In *Timæo* pag 478. ita loquitur *Plato*: ἁτος δη πας ὁντως ἀει λογισμος Θεϊ, περι τον ποτε ἑσομενον Θεον λογισθεις, λειον καὶ ὁμαλον, πανταχη τε ἑκ μεσε ἰσον καὶ ὁλον καὶ, τελεον ἑκ τελεων σωματων, σωμα ἑποιησε. Ψυχη δε εἰς το μεσον αὐτε θεις, δια παντος δε ἑτεινε, καὶ ἑπι ἑξω το σωμα αὐτη περιεκαλυψε &c. paucis interjectis. Δια παντα δη ταυτα, ἐυδαιμονα Θεον αὐτον ἑγεννησατο. Την δε δη ψυχην, ἀκ ὡς νυν ὑστεραν ἑπιχειρεμεν λεγειν, ἁτως ἐμηχανησατο καὶ ὁ Θεος νεωτεραν. Pag. 470. denuo similem in modum. *Postquam*, ait, *secundum Creatoris illius mentem tota animæ constitutio absoluta fuit; mox omne corporeum intra ipsam effinxit, mediumque mediæ accommodans apto modulamine copulavit. At illa a medio per omne usque ad cæli extrema se porrigens, eique extrinsecus circumfusa, seque in se ipsa convertens, ita sempiternæ sapientisque vitæ in universum tempus divinum dedit exordium. Et corpus quidem cœli spectabile factum est, anima vero oculorum effugit obtuitum, rationis & modulaminis compos ab auctore suo omnium, quæ semper sunt, & ad intelligentiam pertinent, optimo, ipsa quoque optima omnium, quæ genita sunt, effecta.* Et postea hæc addit. *Cum igitur hoc a se factum sempiternorum Deorum pulchrum simulacrum moveri & vivere Pater ille qui genuit, animadverteret, delectatus est opere, & hac ductus lætitia opus suo multo etiam magis primo illi Exemplari simile reddere cogitavit.* Ex quibus mea opinione satis apparet, ani-

animam illam mundi a Deo Autore omnium diversâm, Imperioque ejus subditam esse, nihilque aliud esse, quam vim quandam omnia vegetantem, Naturæ Plasticæ, quam Cl. quidam Viri finxerunt, similem, quamque eleganter descripsit Virgil. Æn. 6to. Sed (quòd ultimo loco nos probaturos diximus) nec locus *Plutarchi* Cl. virum juvat. *Plutarchus* initio hujus dissertationis verba *Platonis* de anima mundi & diversa ejus commixtione adfert, addit interpretes in diversa abire. Profert sententias duorum præstantissimorum Philosophorum *Xenocratis* & *Crantoris Solensis*, illum dixisse animum *numerum* esse se ipsum moventem, hanc animam misceri e duabus naturis, quarum altera mente cernatur, alia opinabilis sit, & sensibus inhærens: postquam mentem eorum clarius proposuisset, sequuntur verba citata a Cl. Viro. Sed statim ipse addit refutationem dicendo: Ἐμοι δε δοκεσι της Πλατωνος ἀμφοτεροι διαμαρτανειν δοξης ἐι κανονι τω πιθανω χρησεον, ἐκ ἰδια δογματα περαινοτας, ἀλλ' ἐκεινω π βαλομενες λεγειν ὁμολογεμενον. i. e. *Mihi si probabilitas pro regula judicandi sit habenda, utrique videntur ab opinione Platonis aberrasse; Si non propria placita concinnare, sed consentientia Platonis sententiæ dicere sit propositum.* In sequentibus postea pluribus sententiam suam proponit & tueri nititur, de qua quid sentiendum sit, nolumus hic disserere, sufficiat nobis, verba a Cl. viro citata a mente *Plutarchi* aliena esse. „ Pergit Cl. Vir: Iterum atque „ iterum moneo, Creationem Platonis non esse creationem ex nihilo, „ sed ad summum emanationem. In quo apposite nobis subveniunt, „ qui ideam a Dei intellectu non putant disjungi. Ita enim primum „ & secundum principium coincidunt. Idea vero nonnisi attributum „ supremi principii erit: etsi Plato de ea tanquam persona separata lo„ quitur. Quocunque Te convertas, trinitas ejus aut monstrum eva„ det, aut nominalis tantum trinitas dicetur: fac enim ideam a primo „ Ente diversam, tum omnes ideæ reliquæ ab idea & exemplo ema„ nantes separatim existent: quod Aristoteles objecit Magistro & ab„ surditatem continet. Quod si autem ideam ut attributum, expri„ mens sapientiam Dei, mente depingas, non duo sed unum princi„ pium habebis. Tantum dubitatur sit ne mundi anima a Deo & „ mente diversa? Ego non dubito, quin anima mundi sit ὁμοσιος „ Patri rerum omnium, vel sit etiam alterum ejus attributum poten„ tiam indicans. Si prius, mundus erit divinus aut tertius Deus. Sin „ posterius, non terna habebis principia, sed unum connexum cum „ materia, eique implicatum aut commistum. De mixtione ipse Plato

„ in Timæo verba facit: Ὁ δε γενεσει ait, καὶ ἀρετη προτεραν καὶ πρεσ-
„ βυτεραν ψυχην σωματος, ὡς δεσποτην καὶ ἀρχεσαν ἀρχομενε, συνεςησα-
„ το, ἐκ των δε καὶ τοιωδε τροπω. Της ἀμεριςε καὶ ἀει καλα ταυτα ἐχεσης
„ ἀσιας, καὶ της αὐ περι τα σωματα γιγνομενης μεριςης τριτον, ἐξ ἀμφοιν
„ ἐν μεσω συνεκερασατο ἀσιας ειδος, της τε ταὐλα Φυσεως αὐ περι καὶ της τε
„ ἑτερε, καὶ κατα ταὐλα ξυνεςησεν ἐν μεσω τε τε ἀμερες αὐτων, καὶ τε κατα
„ τα σωματα μεριςε. Και τρια λαβων αὐ τα ὀντα συνεκερασατο εἰς μιαν
„ παντα ἰδεαν, την ἁλερε φυσιν συσμικλον ἐσαν εἰς ταὐτο ξυναρμοττων βια.
„ Ille vero & generatione & virtute priorem animam corpore, quasi
„ Dominam & imperaturam parenti constituit, ex his videlicet atque
„ hoc modo. Ex substantia individua & quæ semper eadem ratione
„ se habet, & ea rursus quæ in corporibus dividua est, tertiam ex am-
„ babus mediam commiscuit, substantiæ speciem, quæ esset ejusdem
„ naturæ & alterius: eamque sic mediam constituit, inter eam illa-
„ rum, quæ individua est & eam quæ in corporibus est dividua. Cum-
„ que tria sumsissent quæ erant, omnia miscuit in unam speciem, ejus,
„ quod alterum diximus, naturam vix miscendam, cum eo, quod idem
„ dicitur vi conjungens.„ Respondeo 1. materiam ex Deo *emanasse* secundum sententiam *Platonis* hactenus equidem supponitur, sed non probatur. 2. Utrum λογος, idea, aliquid sit a Deo distincti, vel Deus ipse, quatenus, uti moderni loquuntur, Deus vel sic vel aliter cogitat, jam equidem definire nolim: stant ab utraque parte Viri Doctissimi; prius defendunt *Aristoteles*, *Plutarchus*, *Philoponus*, *Plotinus*, *Petavius* aliique: posterius *Proclus*, *Seneca*, *Cicero*, *Augustinus*, *Vossius*, *Galeus*, Sc. *Agnellus* &c. Supponamus autem cum Cl. Viro, ideam illam seu λογον nonnisi attributum Dei esse, nondum tamen vel monstrosam, vel nominalem tantum esse perspicimus Trinitatem. Supponamus *Platonem* dixisse ideas rerum omnium esse in Deo & quidem a Deo ipso, tanquam singulares quasdam substantias, distinctas; num adeo monstrosa est hæc suppositio? Mea opinione ignoramus prorsus, quid sint ideæ, nedum, uti qua ratione in Deo esse possint, definire possimus. Forte illi, qui ideas nonnisi modificationes essentiæ Dei esse dicunt, non minoribus difficultatibus urgentur, quam illi, qui easdem immutabiles quasdam & a Deo ipso distinctas substantias esse, defendunt. Saltem ego non intelligo, quomodo essentia divina modificari possit, uti idea arboris, piscis, domus &c. oriatur. Quod si autem λογος ille, seu idea attributum Dei est, nondum tamen nominalis tantum est. Præsto enim est anima mundi, quam ob vim,

quam

quam in hoc universo exerit, *Plato* uti Θειον τι consideravit. 3. Clarissimus Vir non dubitat, quin anima mundi sit Patri rerum omnium ὁμοουσιος, vel alterum ejus attributum. Supra, eam esse substantiam Elemento Cartesii primo simillimam esse dixit, jam autem vel Rectori universi ὁμοουσιον esse statuit, vel attributum tantum ejus, adeo, ut, cui sententiæ album calculum adjiciat, ignorem. Sed sit ita, intelligatur per animam mundi, substantia Deo ὁμοουσιος, quid inde? tum mundus, inquit Cl. Vir, aut erit tertius Deus aut divinus. Utrumque sensu *Platonis* dici potest. Mundum vocat in *Timæo*, ut supra adducta loca testantur: γεννητον Θεον, qui tamen a Deo ipso Rectore omnium rerum distinctissimus est; quod si & anima mundi ὁμοουσιος Deo sit, quis non videt *Platonem* eo ipso a systemate *Spinozæ* longissime recedere? Divinus etiam mundus dici potest, quatenus materiam, divina sapientia in ordinem digessit Parens omnium rerum. Quod si ab altera parte ponamus, animam illam mundi attributum Dei esse, nondum sequitur, Deum cum materia connexum aut commistum esse, nisi clarissime, in quo illa commixtio consistat, definiatur. Supra nisi fallor argumentis haud contemnendis ostendimus, Deum cum materia ineluctabili quodam vinculo connexum haud esse, quod si igitur anima illa mundi ipse Deus erit, sequetur eandem cum materia minime connexam & copulatam haud esse. Provocat Cl. Vir ad locum *Timæi*, sed qui revera non id probat, quod probandum erat. Probandum est, Animam mundi esse ipsum Deum, eamque insolubili vinculo materiæ alligatam. *Plato* autem hic de anima mundi quidem loquitur ejusdemque cum materia copulatione: sed eam ab universitatis rerum omnium Parente apertissime distinguit, quod Superioribus Sectionibus adductis locis probavimus; imo nullum vestigium hic adest, quo probari possit, animam mundi aut Deo ὁμοουσιον, aut Deum ipsum esse; apertissime a mundo & Rectore omnium distinguitur illa anima & imperio Dei subjicitur. Præterea omnes, qui Platonis cogitata de anima illa mundi evolvunt, fatebuntur, adeo perplexa ea esse, ut, quid sibi voluerit, explicatu, si non impossibile, saltem difficillimum sit. Ex principio autem vel propositione obscura, perspicuæ argumentationes elici non possunt; hoc videmus, animam illam mundi ex corpore, mente & tertia quadam substantia contemperatam esse. Forsan quis cum *Cicerone*, *Epicurum* refellente dicet, quid sit mens, quid sit corpus scio, quid autem compositum illud ex tribus illis nominatis, nescio. Respondeo, quod simili occasione Cl. *Werenfelsius*,

æternum Helvetiæ noſtræ Decus repoſuit objicientibus, atomum vel corpus eſſe vel mentem, nimirum atomum nec mentem eſſe, nec corpus, ſed atomum. Similiter ego dico, animam illam mundi *Platonis*, non corpus eſſe, non mentem, ſed animam mundi, id eſt, aliquid quod ipſe ignoravit. Præſtitiſſet, ſi de iis, quæ ignoravit, locutus non fuiſſet. Sed aptius erat illius ingenium ad figmenta cerebri proferenda, quam perſpicua ratiocinatione veritatem in lucem proferendam. Sufficit interim nobis animam illam mundi a Deo ipſo diſtinctam eſſe ex mente *Platonis*, cujus tamen contrarium hactenus ſuppoſuit Cl. Vir.

XVI. Cl. Vir pag. 18. & ſeq. *Cudworthum* refellit, qui poſt *Proclum* duplicem animam mundi ſtatuerat. Ejus opinionem tueri nolo, quamvis, ſi veterum teſtimoniis probari poſſet exiſtentia duplicis illius animæ, non adeo in anguſtias conjectum putem *Cudworthum*, uti quidem exiſtimat Cl. *Gundling*. Pag. 19. manet in ea, quam tuendam ſuſcepit ſententia, nimirum animam mundi eſſe ipſum Deum, hunc autem, cum materia confuſum, mixtumque eſſe. Pluribus autem hoc refutare nolumus, partim, quod in antecedentibus ſatis hoc præſtitum, partim, quod nullis teſtimoniis Veterum munita ſit illa objectio. „ Poſterius (verba ſunt Cl. Viri) inficias ire nemo poterit, qui Plato„ nis Timæum legit & mixturam obſervans ſimul deprehendit, eum „ arithmeticas neſcio quas rationes excogitaſſe, ſecundum quas indi„ viduum, dividuum, materia vel vere, vel per mentis præciſionem „ ſint permixta. Ex quo prona tandem conſequentia fluet, mundum „ eſſe Deum, quem a Platonicis & eorum Magiſtro tali appellari no„ mine exploratum eſt. Audiamus Ciceronem Lib. 1. de Nat. D. „ cap. XII. Jam de Platonis, ait, inconſtantia longum eſt dicere, „ qui in Timæo, Patrem hujus mundi nominari negat poſſe, in legum „ autem libris quid ſit omnino Deus, inquiri oportere non cenſet. „ Quod vero ſine corpore ullo Deum vult eſſe uti græci dicunt ἀσωματον: id quale eſſe poſſit intelligi non poteſt; careat enim ſenſu „ neceſſe eſt, careat prudentia, careat voluptate; quæ omnia una cum „ Deorum notione comprehendimus. Idem & in Timæo dicit & in „ legibus & mundum Deum eſſe, & cœlum & aſtra & terram & ani„ mos & eos quos majorum inſtitutis accepimus: quæ & per ſe ſunt „ falſa perſpicue & inter ſe ſe vehementer pugnant.„ Diligentiſſime evolvi Timæum *Platonis*, nec ſemel, interim tamen eam, quam *Platoni* adſcribit Cl. Vir ſententiam, inibi detegere non potui: voluiſſem adeo,

adeo, ut quem locum indigitare vellet, monuisset. Observavi quidem animam mundi cum dividuo & individuo mire esse commixtam, sed præterquam quod Cl. Vir lubens fateatur, se verba, seu sensum *Platonis* non rite perspicere, sermo ibi est de anima mundi, quam a Deo distinctissimam, imo Dei Imperio subjectam, supra jam probavi. Mirum autem est Cl. Virum provocare ad *Ciceronem* Summum *Platonis* æstimatorem. Minime loco citato loquitur *Cicero*, sed *Vellejus Epicuræus*, cujus judicio si standum sit, *Socrates* etiam Incomparabilis Vir ejusdem erroris reus est. Vide Sect. 31. hujus libri I. D. N. D. imo potius objectiones *Velleji* ad defensionem *Platonis* faciunt. Audi eum Sect. 18. & seq. ita deblatterantem. *Audite*, inquit, *non commentitias futilesque sententias, non Opificem Ædificatoremque mundi Platonis de Timæo Deum: nec anum vatidicam, Stoicorum* προνοιαν, *quam latine licet Providentiam dicere, neque vero mundum ipsum animo & sensibus præditum, rotundum ardentem volubilem Deum, portenta & miracula non dissentium Philosophorum, sed somniantium. Quibus enim oculis intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua constructa a Deo, atque ædificari mundum facit? quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes? quæ machinæ? qui ministri tanti muneris fuerunt? quemadmodum autem obedire & parere voluntati Architecti aër, ignis, aqua, terra, potuerunt? Unde vero ortæ illæ quinque formæ, ex quibus reliquæ formantur apte cadentes ad animum efficiendum, pariendosque sensus? longum est iter ad omnia, quæ talia sunt, ut optata magis, quam inventa videantur.* Ita *Vellejus*, cujus & sequentia legi possunt. Quis non inde videt, revera *Platonem* & Summum Mundi Rectorem agnovisse, & ineptissimas simul esse objectiones discipuli illius *Epicuri*? Non igitur necesse est, uti de commentario Cl. Viri in verba *Velleji* solliciti simus: quo sensu Deum ἀνεσιον esse dixerit, monuit dudum Cl. *Wolfius in Manich. ante Manich.* Curiosius non inquiri debere ejus naturam, recte dixit, cum nihil tam præclare de Deo dici possit, quin longissime adhuc ab excellentissima ejus natura remotum sit. In *Sophista* pag. 163. dixit? Τα της των πολλων ψυχης ὀμματα καρτερειν προς το Θειαν ἀφορωντα ἀδυνατα, *vulgarium animorum* (addere debuisset sapientissimorum quoque & subtilissimorum) *oculi divinitatis radios sustinere non possunt.* Cæterum non negamus, Patres primitivæ Ecclesiæ recte inconstantiam *Platonis* reprehendisse, qui meliora edoctus, id tamen quod publice receptum esset, religionis normam esse debere statuit. In quo sane Religionis christianæ Professorum Excellentiam observamus. Illi enim

nec hostium minis, nec tormentorum æstu, nec sacrificulorum fraudibus a veritate strenue docenda & propaganda, se absterreri patiebantur.

„ Quod Platonis hypothesi (ita pergit pag. 21. Cl. Vir) decus conciliavit, illud est, quod de Deo & anima mundi veluti distinctis Per„ sonis loquitur. Eo sermone multos decepit, ut animam mundi ipsum„ que mundum genitos & supremi Dei opificia crederent. Ipse J. „ Thomasius, Vir alias longe doctissimus, in has insidias incidit. Sed „ potuisset is credo olfacere, occultari his sub involucris nonnihil mon„ stri. Neque est fere quisquam, qui ideam, quam Plato sub peculiari „ hypostasi sistit, tanquam distinctam a supremo Deo contueatur. „ Quod de idea verum est, etiam de mundi anima verum, esse potest: „ imprimis si voces colligare, generare, facere, ita interpretemur, ut „ non tam creationem ex nihilo, quod forte plerique largientur, quam „ emanationem & continuam quasi atque immanentem elaborationem „ indicent.„ Ad hæc sequentia observo. Primum est; decus Platonicæ philosophiæ olim conciliasse doctrinam de trinitate, quam antiqui Christianæ Religionis Professores, quibusvis fiduciis ad stabiliendum dogma de SS. Trinitate pertrahere voluere, verum est. Sed & magni eam fecerunt Viri Gravissimi, *Cicero*, *Plutarchus* aliique magno numero. Quanti eam fecerit Illustris *Leibnizius*, æternum literati Orbis Ornamentum, passim ex opusculis ejus, præsertim Epistola ad *doctissimum Hanschium* data patet. Quamvis enim in illa multa sint μετεωρα, errores, figmenta multa, tamen etiam lectu longe dignissima. Fatemur interim nimios *Platonis* æstimatores, nobis quam maxime displicere. Vix sine risu aut indignatione legi possunt verba, Viri haud indocti, *A. Dacerii* quæ pag. 190. de doctrina *Platonis* protulit, dicentis: *Reconnoissons que Platon n'a pas seulement vû tout ce que la raison naturelle a pû decouvrir de Dieu à un Philosophe, mais qu'il a été éclairé par une raison surnaturelle. Comme il avoit été instruit dans les livres des Hebreux, dans ceux des Prophetes, & dans les traditions des Egyptiens, il s'est trouvé favorablement disposé à recevoir les semences de ces vérités éternelles, & il a été aide par la Grace, puisque S. Augustin assure, que Jesus Christ les lui avoit revelées.* *Jacobum Thomasium* (quod secundo loco observo) Virum sine controversia historiæ philosophicæ peritissimum, deceptum esse in explicanda doctrina *Platonis* circa ea quæ hic monet Cl. Vir, nondum argumentis probatum esse perspexi; adfert ille clarissima loca, quibus probatur, Deum a materia distinctum, liberrime

rime tamen ad eam exornandam se se accinxisse. Hæc loca, qua ratione subverti, aut in alium sensum trahi possint, minime video. Mera Cl. Viri suppositio est, materiam ex Deo emanasse, tria illa principia *Platonis* nonnisi abstractione quadam mentis distincta esse, & denique Deum cum mundo ipso confusum & commixtum. Unde ergo fraudem olfacere potuerit *Thomasius*, ignoro. 3. Paucos esse, qui ideam illam Dei, pro principio a Deo distincto habeant, falsum esse exemplorum inductione probavi: nec sane nullis illi argumentis nituntur, quod Tu, *Eruditissime Brukere*, in historia philosoph. de ideis abunde ostendisti. Sed concedamus Cl. Viro, ideam illam ab ipso Deo non esse distinctam, num inde sequitur, ergo nec animam mundi a Deo distinctam? quod de idea verum est, inquit Cl. Vir, etiam de mundi anima verum esse potest; sed a posse ad esse, uti in scholis loquimur, nullam esse consequentiam, me non monente, pulchre novit doctissimus Vir. Denique quod phrases quasdam *Platonis* attinet, dudum monuit Vir summus *J. Clericus* Artis Crit. P. II. Sect. I. cap. XV. passim in *Timæo Platonis* confundi voces γεννησαι, ποιησαι, τεκταινεσθαι, μηχανεσαι, δημιεργησαι, ἀπεργαζειν &c. adeo ut vi phrasium potius creationem e nihilo inde eliceremus, quam emanationem ex essentia Dei, nisi clarissima argumenta & testimonia confirmarent, *Platonem* materiam æternam credidisse. Ratiocinandum ergo est non ex hac vel illa phrasi seorsim sumta, sed totius ratiocinationis nexu & universa facie philosophiæ Platonicæ.

Pag. 22. Cl. Auctor nihil aliud agit, quam ut ostendat posita emanatione materiæ ex Deo, summas oriri difficultates. Quod minime negamus: Hoc tantum adstruimus, argumentis & testimoniis probari haud posse, eam omnium rerum a Deo emanationem, in Systemate *Platonis* locum habere. Pergit tamen pag. 23. „Unde elucet quo„que, ait, non esse adeo absurdam Plutarchi opinationem, qui mate„riæ peculiarem animam adscripsit: Utut J. Ch. Wolfius in Manich. „ante Manich. confutare Plutarchum satagit. Primum falsum, quod „pace Eruditissimi Viri dixerim, in eo latet, quod materiam Platonis „per se consistere credit: cum tamen, uti demonstratum est, ex ipso „Deo profluxerit. Jam vero quod semel divinum est, divinum ma„net. In Deo Platonis Vis actuosa est: hæc ab eo separari nequit. „Quo ipso concidit idea, quam finxit Professor Cl. quasi materiam in „se actuosam crediderit, uti quidam recentiores contendunt. Neque „enim necesse est, ut eo se se recipiat. Retulit illa actuosum ejus „gene-

„ generis principium e Sinu Parentis. Cui non obest, consequi hac „ ratione, ut contrarias inde facultates retulisse, vel accepisse dicenda „ sit: est enim id familiare Atheis, ut contraria & repugnantia admit- „ tant „ Cl. *Wolfium* asserentem materiam ex mente Platonis ab æterno per se substitisse, falsum esse, nullo argumento probat Cl. Vir. Attulit ille clarissima loca, quibus firmiter illa sententia probetur, recte quin etiam mea opinione refutavit *Plutarchum* adserentem *Platonem* animam quandam statuisse, quæ materiam, antequam Deus manus operi admoveret, agitaret; neque enim hæc opinio, vel testimoniis, vel principiis *Platonis* nititur. *Plutarchus* concipere non potuit, qua ratione sine causa externa, materia illa vario & confuso motu agitari potuerit, unde statim conclusit, *Platonem* causam externam, animam quandam ei adsignasse. Sed infirma est hæc argumentandi ratio. *Plato* sibi non constitisset, si animam turbulentæ hujus agitationis causam non supposuisset. Ergo supposuit. Qui enim materiam per se æternam statuere potuit, etiam principium aliquod motus eidem adscribere potuit. E contra recte Cl. *Wolfius*, mentem *Platonis* interpretatus est. Materia, antequam Deus eam in ordinem redigeret, ex mente *Platonis* confuse mota fuit, nec tamen ex ullo simul loco patet, eundem causam hujus motus, mundi exornationem antecedentis, animam dixisse. Unde necessario, Cl. *Wolfius* concludere debuit, *Platonem* credidisse materiam vi quadam se movendi præditam esse; nihil igitur adfinxit *Platoni*, testimoniis tantum nititur, quibus in explicatione Veterum insistendum est. At, inquit Cl. *Gundling*, in Deo Vis actuosa est. Hæc intelligit Cl. Vir ex mente *Spinozæ*, cujus addictum fuisse opinioni *Platonem* existimat. Sed hoc supponit materiam ex Deo emanasse, Deumque Platonis constare ex materia quadam subtilissima, quæ assertiones uti supra probavimus, clarissimis Veterum testimoniis de Philosophia *Platonis* repugnant.

XVII. „ Quicquid Wolfius (inquit Cl. Vir) ex Aristoclis Mes- „ senii apud Eusebium sententia in medium fert, ostendit solum Vi- „ rum Cl. Platonis Deum pro causa mundi externa ad modum Chri- „ stianorum habuisse; utut ipse alias ex Windeto hoc Grotii παροιμια detexit. Sane non unum testimonium apud *Eusebium* extat, quod Cl. *Wolfii* opinionem stabilit, ad quæ tamen cur Cl. Vir attendere nolit causam non video. Nec Cl. *Wolfius Platonem* ex mente Christianorum explicat, dum adserit, Deum tanquam causam externam & liberrimam, ad exornandam materiam accessisse; apertissime enim ubique

que testatur, *Platonem* credidisse materiæ per se subsistentis æternitatem, quod minime Christiani profitentur. „ Id non stringit, impo„ suisse Platonis Opificem seu Δημιεργον id muneris animæ suæ, ut „ pervagaretur mundum: & eam vero derivari e mente, ac quod ob„ servandum probe, a mente nihilominus & Deo distingui. Ego „ etenim, ut ingenue, quod res est, fatear, non capio distinctionem: „ solum vocabulum percipio: nonnisi sonos cum Gassendo audio. „ Nihil me Proclus moratur; nihil testimonia undiquaque conquisita. „ Habeo segetem testimoniorum in contrarium euntium, quibus ta„ men non reor utendum, ratiocinatione opus hic est. Adfirmas „ enim Cl. Wolfi, animam mundi derivari a mente, mentem a Deo, „ prorsus ac Macrobius mentem Philosophi explicat. Quid derivatur „ quæso? Deus a Deo, divinum a Divino. An dividitur Deus? Sic „ erit extensus, partibilis: sic plures Dii sunt coorti: ita astra cœlum, „ mundus, Dii vocantur: quamvis secundi, stilo tuo geniti, subordi„ nati. Subordinatio vero illa nihil veri continet, sed uti in mente „ duntaxat Platonis, ita in tua est. Nec vinces etsi distinctionem, „ quam semel mente depinxisti retines. Ratum enim existimamus „ fixumque, id quod semel Deus fuit, manere Deum.„ Ad hæc sequentia repono. 1. Certum est, recentiores Platonicos adseruisse animam mundi ex mente *Platonis* a mente, mentem vero a Deo esse. Sed evidentibus locis e *Platone* desumtis id constare, nondum observare potui. Dicit quidem, animam illam antiquiorem mundo, sed emanasse e mente, non adeo perspicuum est. 2. Non adeo quæritur, utrum Cl. Vir emanationem illam perspicue intelligat, sed utrum *Plato* eandem crediderit, & utrum posita hac emanatione sequatur, *Platonem* Atheum fuisse. 3. Si Cl. Vir in promtu habet tot testimonia, quibus sententia Cl. *Wolfii* convellitur, mea opinione bene feciſſet, si ea protulisset: nisi enim ratiocinationes de veterum cogitatis, testimoniis roboratæ sunt, vanæ sunt. Quod si tamen testimonia adsunt, quibus sententia Cl. Viri confirmatur, tota controversia de Atheismo *Platonis* λογομαχια erit, & sequetur, nos ignorare omnes, quid *Plato* senserit. 4. Supponamus autem, *Platonem* credidisse animam mundi a mente, mentem a Deo esse: Probavimus supra, Deum ex sententia *Platonis* perfectissimam mentem esse, eundemque Imperium aliquod in animam mundi habere, præterea Deum ad ideam perfectissimam tanquam exemplar aliquod mundum condidisse. Erit igitur Deus non solum a mundo, sed & a mente, & anima mundi distinctus, quod cum

Spinozæ sententia pugnat: erit illa sententia adeoque erronea, sed non adeo periculosa. At emanationis modus Cl. Viro displicet, displicet & nobis. Sed quis tamen probare poterit, in Deo perfectissimo non posse esse substantias quasdam intelligentes Deo minores, nec tamen ad perfectissimam Dei essentiam pertinentes? num essentiam Dei ejusque naturam adæquate novimus? Cl. & Eruditissimus *Clericus* ajebat, Deum esse Ens, quod omnium rerum proprietates & corporum, & spirituum, & forte mille aliarum substantiarum, quæ nos latent, in se comprehenderet, ob quam definitionem *Cartesii sequaces* acerbe eum perstrinxerunt. Sed qui rite omnia perpendit, qui norit quam debilis sit nostra de rerum intima essentia, cognitio, ille nemini insultabit. Revera balbutimus tantum de natura Dei, & quid dicam de natura Dei, disputamus de natura mentis nostræ & ad finem seculorum disputabimus, quid mirum ergo, si abyssum perfectionum divinarum ignoramus, si nescimus qua ratione res in Deo esse, nec tamen ad Essentiam ejus pertinere possint. Forsan dicet Cl. Vir, hic non de natura Dei disputari, sed quæri, qua ratione imperfectius quid, quale anima mundi ex Deo emanare possit. Quid si concedamus, non minus *Platonem*, quam nos ignorare, num igitur jam probatum est, animam mundi esse partem Dei? minime crediderim. Probandum est, Deum in infinita sua essentia nihil complecti posse quam quod ad essentiam ejus necessario pertineat, Quis scit, utrum Deus ab æterno voluerit, ut simul in se, modo nobis homuncionibus impervestigabili existant substantiæ quædam intelligentes, demum suo tempore ex Deo emittendæ, non quidem uti partes Dei emanantes, quibus emissis Deus non minus perfectus esset, quam antea? Communiter Philosophi omnium rerum ideas in Deo esse ajunt, eas esse æternas & immutabiles, sed tamen modernorum judicio, ab ipso Deo non distinctas. Continebit igitur Deus in se aliquid quod ad perfectissimam ejus Essentiam aliquatenus non pertinet. Deus quidem perfectissime cogitat, agit; Sed si ideæ illæ sunt aliquid, non nihil, cogitatio Dei quatenus rem imperfectam refert v. gr. triangulum, eo ipso necessario ad Essentiam Dei non pertinebit. Quis enim dicet, Deum æque necessario ab æterno de hujus vel illius atomi productione cogitasse, ac ipsemet æternus est, & naturæ suæ necessitate existit. Si ideæ illæ sunt immediatum contemplationis Dei objectum, in Deo quidem non existentes, Deo tamen tanquam mundus aliquis intelligibilis, conjunctæ, haud facile concipere possumus & quid sint, & quo-

modo

modo æternæ esse possint, nec tamen ad Essentiam Dei pertinere. Sed juvat exemplo aliquo, quod propius ad rem pertinet, rem illustrare. Nos Christiani credimus S. S. Trinitatem nec nominalem, sed quæ aliquid distinctum involvat; dicimus filium esse a Patre ab æterno, & cum eo, Sp. Sanctum procedere ab utroque, æque tamen æternum & perfectissimum esse, quis autem modum hujus distinctionis explicet? Verbo. Quamcunque in partem se convertat Cl. Vir, vix probare poterit, Emanationem alicujus intelligentis substantiæ ex Deo, distractionem infinitæ Dei naturæ inferre. Oportet perspicuam & adæquatam naturæ Dei definitionem exhibeat, & demum hoc præstito de emanationis illius ratione rite differi potest. Quod si autem Cl. Vir adserat, animam illam mundi a mente ortam, Elemento *Cartesii* subtilissimi similem esse, adeoque corpus ex corpore ortum videri, provocabo ad omnia illa, quæ superius de natura corporis ex mente Platonis, de Deo item Sapientissimo conditore universi &c. diximus. Hisce in genere notatis respondebo Cl. *Wolfii* nomine ad quæstiones propositas. Quid derivatur quæso, quærit Cl. Vir; derivatur anima mundi essentia quædam intelligibilis a mente, & mens illa a Deo Rectore omnium rerum, divinum quid a Deo, sed non ut pars a toto, modum autem ignoro, quia Dei natura non intime mihi perspecta est. An dividitur Deus? minime inquam, Deus ex mente *Platonis* non corpus, non divisibile quid & quod partes habeat, sed mens illa sive idea, orta est a Deo, emanavit ex infinita Dei essentia, cujus infiniti cum ego capax non sim, creatura arctissimis limitibus circumscripta, modum determinare non possum, neque tamen eam impossibilem adserere. Puram putam autem mentis esse præcisionem hanc emanationis Platoni adsertæ rationem, credere vetant Veterum testimonia, quibus in explicatione Systematum philosophicorum unice insisto. Et ego operam do, ut distincte res concipiam, sed hic nec concipi posse satis illam rem & agnosco & profiteor. Disputare nolo, uti vincam tantum & semel arreptam distinctionem tuear: puerorum hoc est, non Virorum. Sed distinctionem aliquam dari graduum perfectionis in tribus principiis, quæ posuit *Plato*, negare non possum, licet non satis intelligam illam. Non intelligo, quomodo ex atomo vel monade oriatur extensio, scio tamen aliunde, revera inde materiam componi. Ratum & ego habeo, Deum semper manere Eundem id est, perfectissimum, licet aliquid ex infinita Dei Essentia emanet. Causam aliquam externam, Deum nempe, ad materiam exornandam con-

concurriſſe, ex mente *Platonis* ſtatuo, licet ſimul ab eodem mentem, a mente animam mundi, poſtea producto mundo materiæ infuſam & diverſimode temperatam, emanaſſe credam. Ita ego Cl. Viro reſponderem, quamvis non dubitem, Eruditiſſimum *Wolfium* & majori luce, & argumentorum pondere, ſiquidem calamum adripere voluiſſet, reſponſurum fuiſſe. Sed ſi deſint vires tamen eſt laudanda voluntas.

XVIII. Cl. Vir pag. 25. non eos tantum Atheos eſſe dicit, qui emanationem omnium rerum a Deo neceſſariam ſtatuunt, ſed & qui materiæ æternitatem defendunt. Profert dein teſtimonia Virorum ſine controverſia Doctiſſimorum, *Baylii* & *Basnagii*, aſſerentium, omnes, qui æternitatem materiæ defendunt, ſummis difficultatibus premi; ſpeciminis loco adfert quasdam a *Baylio* in medium prolatas, unde concludit, *Platonem* non materiæ æternitatem, ſeu duo æterna rerum principia, ſed emanationem omnium rerum ex Deo ſtatuiſſe, atque adeo *Spinozæ* opinioni addictum fuiſſe. Deum tollere omnes, qui materiæ æternitatem adſerunt, licet Rectorem Univerſi agnoſcant, qui rebus omnibus proſpiciat, Cl. Viro probandum incumbit. Ab altera parte concedimus, eum, qui omnia ex neceſſitate infinitæ naturæ neceſſario orta eſſe putat, omnem religionem ſubvertere. Sed huic opinioni addictum fuiſſe *Platonem*, iis argumentis non probavit Cl. *Gundling*, quæ me in adſenſum pertrahere poſſent. Minime probare poſſum Concluſionem Cl. Viri jamjam adductam: nimirum, opinio de duobus æternis principiis multis difficultatibus obſepta eſt, ergo *Plato* minime hoc Syſtema defendit, ſed emanationem omnium rerum ex Deo. Minime tuta eſt hæc ratiocinandi methodus; hæc vel illa ſententia abſurda eſt, ergo, neglectis etiam apertiſſimis teſtimoniis, negandum eſt, Virum Eruditum eam credidiſſe. Quot enim quæſo abſurdas & ſummis difficultatibus obnoxias hypotheſes, veteres pariter ac moderni literarum cultores non profeſſi tantum ſunt, ſed & acriter propugnarunt? Quot ſunt Viri haud indocti in Eccleſia Rom. qui credunt, ſaltem ſe credere ajunt, ridiculum illud & monſtroſum Tranſubſtantiationis dogma, ut de aliis nil dicam? Potuit igitur etiam *Plato* duo rerum principia ſtatuere, licet hæc ſententia multis obnoxia ſit dubiis. Ipſe Cl. Vir emanationem omnium rerum ex Deo, non minoribus difficultatibus premi, affirmat, quid ergo neceſſe eſt, ut ad eam ſententiam amplexandam ſe converteret *Plato*? Si veterum teſtimoniis neglectis, ad nutum noſtrum philoſophiam *Platonis* interpretari velimus, haud ſine veri ſpecie Creationem ex nihilo eum credi-

credidisse probari posset, Sed ab æternis veritatis legibus recedendum non est. Nec etiam propter difficultates quasdam sententia argumentis solidis superstructa deserenda est. Credimus nos, Deum mundum ex nihilo fecisse, & recte quidem. Si vero hanc sententiam nostram perpendimus, multa sunt, quæ hic negotium facessunt: turbant nos innumera mala, quibus orbis quasi inundatus est, quæ magno Eruditionis sane minime necessariæ apparatu ursit Eloquentissimus P. *Baylius*. Si ad Deum ipsum nos convertimus, haud perspicue videre posiumus, qua ratione Ens perfectissime cogitans sola voluntate ingentem illam, & infinitam materiæ massam producere potuerit; incidit illud *Spinozæ*, quæ res secum invicem nil commune habent, in se invicem agere non possunt &c. Sed nec ideo sententiam illam evidentissimis argumentis roboratam deserimus. Putamus enim, & quidem summa cum ratione, Systema invictis demonstrationibus innixum, sed difficultatibus quibusdam, quæ ex ingenii nostri imbecillitate oriuntur, pressum, constanter esse tuendum. Ita similiter *Plato* credere potuit, sententiam de duobus æternis principiis, multis obnoxiam dubiis, alii tamen, cum meliora non occurrerent, præferendam. Forte non omnes consequentiarum apices vidit, forte in multis mentem ejus haud rite intelligimus. Verbo, Systema duorum æternorum principiorum multis erroribus scatet, sed apertum tamen Atheismum haud involvit.

XIX. Tandem Cl. Vir ad Atheismum Platonis comprobandum, argumentum petit a fine mundi p. 28. „Negabat, inquit Plato, „ frui a Deo tam pulchrum & affabre expictum Opus: placere id „ omnium Parenti, & hinc ut subsistat, velle. Tantum id credibile „ non fit, quod J. Thomasius conjectat, id Deum Platonis liberrime „ facere. Neque enim hoc e principiis Philosophi sequitur. Ut ille „ mundum necessario e Dei fœcunditate, quod ostendimus, statuit „ permanasse, ita etiam necessario, ut ut volente Deo, perdurat atque „ hanc formam servat, uti mundus Spinozæ. Locus Platonis decan- „ tatus est atque clarissimus in Timæo. Θεοι Θεων ὡν Ἐγω Δημιεργος „ πατηρ τε Ἐργων ἀ δι' Ἐμε γενομενα ἀλυτα ἐμεγε θελοντος. Dii orti ex „ Diis, quorum Opifex ego & Pater sum, hæc attendite. Operum „ ea, quæ a me profecta sunt, insolubilia sunt, me volente. Quæ „ verba satis declarant, Opera Dei perinde videri immortalia, uti sunt „ orti ex Deo Dii immortales. Hoc vult ille. Sed voculæ "Εμεγε „ θελοντος non significant libertatem, sed perseverationem necessariam. „ Qui conclavi inclusus est, vult quoque in eo manere, etsi libertas

„ exeundi deficiat. Sed deficit vero hic libertas abeundi, quia alias „ forma Deo deamata peritura foret, atque anima mundi neceſſario „ emanans, retrahenda eſſet ad Deum. Quibus planum fit, recte „ Laertium inter δοξας Platonis retuliſſe ἀφθαρτον διαμενειν τον κοσμον, „ δια το μη διαλυεσθαι εις Θεον. Cæteras interpretationes curo ſcilicet, „ quia cum Platonis doctrinis reliquis non cohærent. Quicquid is „ de corruptione mundi naturali loquitur, iterum ad mentis præciſio- „ nem pertinet.„ Tota ergo controverſia huc redit, an mundus inſolubili quodam vinculo ita cum Deo *Platonis* conjunctus ſit, ut mundus non poſſit non perpetuo exiſtere, vel utrum mundus ille, ut liberrime a Deo conditus, ita & eodem volente duraturus ſit. Prius Cl. Vir, poſterius nos defendimus. Ratiocinatur autem partim ex principiis ſupra poſitis, partim teſtimoniis. Principium Cl. Viri ex quo ratiocinatur eſt, omnia ex Deo emanaſſe, mundumque cum Deo, ex mente *Platonis*, unam eandemque ſubſtantiam abſolvere, quo poſito ſine dubio mundus æternus eſſet. Niſi fallor, ſupra ſatis oſtendimus, emanationem illam materiæ ex Deo, & neceſſariam ejus cum Deo conjunctionem, fruſtra *Platoni* adſcribi. Superiora igitur non repetam, ſed teſtimonia a Cl. Viro allata examinabo, aliisque ad ſtabiliendam ſententiam meam, confirmabo. Pagina 708. *Timæi*, cauſa productionis rerum omnium ſola ſtatuitur *bonitas* non *neceſſitas*. *Dicamus*, inquit *Plato*, *quam ob cauſam ille rerum Auctor generationem & hoc univerſum conſtituit. Bonus erat. Bonus autem nulla unquam aliqua de re invidia tangitur.* Et paulo poſt. *Si quis hanc gignendi mundi cauſam præcipuam a prudentibus viris acceperit, rectiſſime profecto accipiet.* Ibid. pag. 709. *mundi corpus nequit diſſolvi ullo modo, niſi ab eo, a quo eſt colligatum.* Verba ad quæ Cl. Vir provocat, jam adduxi Sect. IV. pag. 846. In quo loco obſervetur, primo appellatio Dei Θεος Θεων, Δημιεργος. 2. Omnia quæ condita ſunt ſolubilia eſſe, ſed Deo volente non diſſolvi. 3. Deum ideo ea non diſſolvere, quod Deo minus conveniret, id quod pulcherrimum fecit, diſſolvere. In Syſtemate *Spinozæ* hæc omnia locum habere non poſſunt, nullus hic eſt liber Δημιεργος. Sed ut omnia ex infinita Dei natura orta ſunt, ita etiam non poſſunt non manere. Hinc maxime contorta eſt interpretatio verborum Ἐμε θελοντος. Unde enim neceſſitas illa repetenda eſt? bonitate ſola motus rerum pulcherrimarum Syſtema efformavit, voluntas, non bruta quædam neceſſitas cauſa perdurationis mundi dicitur. Similitudo Cl. Viri allata litem lite reſolvit; ubi enim adſeritur,

tur, Deum mundo incluſum eſſe? Qui conclavi exire non poteſt, licet vellet, improprie manere velle, dicendus eſt. Vult, quia non poteſt, vult, ſed non libere, ſed coacte. At ſecundum *Platonem* Deus libere ad mundum producendum ſe accinxit, mundus in ſe conſideratus ſolvi poteſt, vult autem eum Deus propter pulchritudinem non diſſolvere, aliud e verbis *Platonis* & totius Syſtematis nexu elici non poteſt. *Deficit, inquit Cl. Vir, libertas, quia forma deamata peritura eſſet*, ſed hæc verba nihil aliud ſignificant, quam nolle Deum ob pulchritudinem libere conditum mundum deſtruere; num autem ille, qui ob pulchritudinem operis, verbi gratia Poema aliquod elegantiſſime compoſitum delere non vult, num ille neceſſitate quadam compulſus, hoc feciſſe dicendus eſt? ipſæ illæ rationes a pulchro deſumtæ, ſapientiam aliquam, minime ineluctabilem aliquam & ferream neceſſitatem innuunt. Nec altera ratio Cl. Viri magis quadrat, nimirum Deum non deſtruere velle mundum, *ne anima mundi retrahenda eſſet ad Deum:* nullum enim plane veſtigium hujus interpretationis eſt, ſed mera ſuppoſitione nititur, quam ſatis ſupra refutavimus. Et quomodo tandem anima mundi retrahi poſſet, ſi illa cum mundo unicam efficit ſubſtantiam? quis ille retrahens, num Deus? ſed Deus idem cum mundo, ſi Cl. Viro credimus; quo retrahitur tandem, ſi Deus cum mundo inſolubili nexu cohæret? mera etiam ſuppoſitione nituntur, quæ Cl. Vir de mundo ait, nimirum eum perinde eſſe immortalem, uti ſunt Orti ex Deo Dii immortales, tacite ſupponens Deos illos, ſeu Dæmones, & aſtra ex neceſſitate naturæ Dei emanaſſe, atque adeo eodem modo, mundum non poſſe non manere. Hæc apertiſſimis *Platonis* verbis contraria ſunt, ait enim eadem pag. 713. in *Timæo*. *Poſtquam orti ſunt omnes, & qui cœlo volvuntur Dii, noſtris oculis & qui eatenus nobis conſpicui fiunt, quatenus ipſi volunt, tum ad eos mundi genitor ita fatur: Dii Deorum &c.* & paucis interjectis. *Quapropter quia generati eſtis immortales quidem & indiſſolubiles omnino non eſtis. Nec tamen unquam diſſolvemini, nec mortis fatum ſubibitis. Nam voluntas mea majus præſtantiusque vobis eſt vinculum, ad vitæ cuſtodiam, quam nexus illi, quibus eſtis, tunc cum gignebamini, colligati.* Patet ex verbis illis, Dæmones & aſtra quæ dii dicuntur, dici mortalia & ſolubilia in ſe conſiderata, minime ex eſſentia Dei propulſa, ergo ſimiliter mundus in ſe conſideratus ſolubilis eſt, ſed manet ita Volente Deo. Repetitur igitur cauſa hujus rei, non ex neceſſitate naturæ Dei, ſed

libera

libera ejus voluntate. Nec moratur nos testimonium *Laertii*, quem lapsum fuisse, & contra mentem *Platonis* locutum dudum demonstravit J. *Thomasius* dissert. 3. de Exust. mundi Stoica pag. 48. seq. qui prolixe locum *Platonis* vindicat, cujus rationes ita mea opinione comparatæ sunt, ut a Cl. Viro infringi haud possint, ad eum igitur Lectorem amandamus. Duos tantum testes adferam, qui hac in parte, *Laërtium* facile superabunt, prior est *Timæus Locrus*, posterior *Plutarchus*. Ille pag. 546. ita ait Ed. Gale; δηλεομενος ὠν ἀριςον γενναμα ποιηειν, τȣτον ἐποιει Θεον γεννατον, ȣ̓ ποκα φθαρησομενον ὑπ᾽ ἀλλω ἀιτιω, ἐξω τω ἀυτον συντέζαγμενω Θεω, ἐι ποκα δηλετι ἀυτον διαλυειν. Hic autem de Placitis philosoph. Lib. 2. cap. 4. Πυθαγορας καὶ Πλατων γεννητον ὑπο Θεȣ τον κοσμον, καὶ φθαρτον μεν ἐπι τη φυσει, αἰσθητον γαρ εἰναι δια το σωματικον, ȣ̓ μην φθαρησομενον γε προνοια καὶ συνοχη Θεȣ. Locum M. *Felicis*, quem adduxit Cl. *Thomasius*, vindicare nolo, cum simplice negatione opus sit, nonnisi præcisionem mentis in verbis Felicis quærendam. Cætera, quæ Cl. Auctor de emanatione omnium rerum ex Deo denuo repetit refellere nolumus, cum abunde in superioribus id factum sit. Concludit tandem dissertationem dicendo. „Mea sen„tentia nihil in Platonis disciplina Venerabile, nihil solidi, nihil divini. „Errores undique circumstrepunt: ipsa Αθεοτης in his adytis latet.„ Ad me quod attinet, lubens fateor, *Platonem* Philosophum fuisse vastissima imaginationis vi præditum, minime omnium accuratum ratiocinatorem; eundem multa dogmata in speciem sublimia, ipso opere vero trita, sæpissime erronea, in medium protulisse, & clarissima quæque abstruso & metaphorico dicendi genere tenebris involvisse, agnosco; Atheum autem & apertum Religionis omnis Hostem fuisse nego. Quo Jure id ad me factum fuerit, Tuum erit, *Clarissime Brukere*, dispicere. Superest alterutra ex parte Judicium tuum. In quo mihi æque jucunda erit simplicitas dissentientis, quam Comprobantis Auctoritas. Vale.

Dabam e Museo meo Tiguri
d. 24. Maji 1728.

Viro

Viro, Pietate, Eruditione, Nobilitate, Candore denique, Præcellentissimo

JO. CONR. ZIEGLERO,

Scaphusano, Amico Singulari.

Dissertationem hanc Apologeticam in Grati Animi Τεκμηριον & Amicitiæ Monimentum

D. D.

JACOBUS ZIMMERMANNUS.

MIraberis sine dubio, *Præstantissime Vir*, qui fiat, ut Apologeticam hanc Dissertationem TIBI inscribam. TU enim a litibus omnibus alienissimus es, & nihil magis in Votis habes, quam ut inanibus Disputationibus, quibus Eruditi misere tempus terunt pretiosissimum, posthabitis, in id omnes eniterentur, ut de rebus momentosissimis persuasi, virtuti per omnem Vitam vacarent. TU in altissimo otio inquirendæ veritatis studio vacas, ita tamen, ut, quod difficillimum, in Sapientia modum teneas. TU summa ope niteris, ut per Virtutis acerrimum Studium, citis passibus ad beatam immortalitatem grasseris; Hoc negotium tuum, hoc otium, hic labor tuus, hæc quies. In his vigiliam tuam, in his etiam somnium reponis. Merito ergo miraberis, eristicam hanc Disputationem, & rerum pondere & styli nitore destitutam, TIBI offerri. Ego vero mi *Zieglere*, TE *laudo*, atque beatum prædico, imo inter *Eminentissimas Tuas Virtutes* refero, quod vera rerum pretia noris. Neque enim ego, ut multi, invideo aliis bonum, quo ipse careo, sed contra sensum quendam, voluptatemque percipio, si ea, quæ mihi denegantur, Amicis video supereſſe. Pauciſſimi mortalium sciunt, quem in finem D. O. M. mentem, qua nihil præstantius nobis datum est, in exiguum hoc corpusculum conjecerit. Multi, vel ideo se natos putant, ut nihil profuturis tempus terant, ut cibos percolent, ut Ventri bene sit, &c. hic

humilium ingeniorum mos est. Qui excellentioris ingenii sunt, tum demum rite se suo officio defunctos putant, & vixisse arbitrantur, si multa, aut nihil, aut parum profutura sciant, si de omnibus loqui possint, si laudentur, celebrentur, atque per ora virum volitent, cæterosque, aut munerum dignitate aut Eruditionis splendore superent. Pauciſſimi animum a præjudicatis opinionibus, pravis ſtudiis purgant: Pauciſſimi momentoſiſſima rite cognoſcunt, virtutique, quæ omnibus etiam nobiliſſimis ſcientiis præſtat, acri ſtudio vacant, atque tempus illud breve & fluxum in ea ſectanda atque excolenda collocant. Pauciſſimi denique, tum ſibi videntur ſatis ſapere, quando ea ſciunt, quæ Magiſter Optimus nos ſcire voluit, eaque agunt, ſine quibus beati eſſe non poſſumus. Hæc cum Tu diu noctuque mediteris: cum omnem curam meditationemque in eo reponas, quis Te vere Doctum, vere Sapientem, vere Felicem eſſe negabit? Quid igitur ad me Plato tuus, inquies, quid examen litium tuarum? Audi, mi Zieglere. Dudum eſt, ex quo in ære Tibi ſum. Infinita ſunt Tua erga me Beneficia, quibus me Tibi devinxiſti. Amo Te, & poſſum dicere quare. Volui igitur, cum meliora ad manus non ſint, tandem aliquod extare amoris mei in Te monimentum, leve illud quidem & exiguum; monimentum tamen. Lacte ſupplicare debent, quibus thura deſunt. Reſpice igitur non tam ad rem ipſam quam animum meum. Et Parentes æquis oculis conatus liberorum aſpiciunt, licet ingenii maturitas ubique deſideretur. Præſtat in minimis tentare, quid vires valeant, quid ferre recuſent. Non omnes alto ſe mari credere audent: timidos juvat littus legiſſe. Interim, ut Beneficiorum Tuorum, ſic & Monitorum, nulla me unquam capiet oblivio. Quoties de te cogito, cogito autem plurimum, toties ad virtutem animus meus accenditur. Plura, ut heic addam, prohibet decantata tua modeſtia, quam vel Hoſtis in Te admiretur. Accipe igitur ſerena mente, hoc qualecunque amicitiæ Τεκμηριον & nunquam deſine amare Zimmermannum Tuum.

Vale.

VIN-

VINDICIÆ DISSERTATIONIS DE ATHEISMO PLATONIS

Contra ea, quæ Gundlingianorum part. 43. & 44. peracerbe monuit

D. NICOL. HIERON. GUNDLINGIUS, JCtus Halensis, & S. Reg. Maj. Boruss. Consiliarius Intimus.

Celeb. SAMUELIS WERENFELSIUS Epigramm. LXII.

Ut sentiant omnes idem
in singulis minutiis
fieri nequit, nec poscitur.
Hunc ut feram, qui non potest,
quodcunque credo, credere,
fieri potest & poscitur.

Sect. I.



ANnus est, & quod excurrit, ex quo *Dissertationem* conscripsi de *Atheismo Platonis*; Eam *Conjunctissimus mihi Schelhornius*, pro suo erga me adfectu, nono Tomo *Amœnitatum Litterar.* inseruit. Animus erat specimine hoc qualicunque ostendere, qua ratione, veteres Atheismi postulatos, defensurus essem. Haud obscure simul significavi, gratissimum mihi fore, si Viri Eruditi aut publice, aut privatim monituri

essent, quid in hoc specimine desiderarent: neque enim tam mihi suffenus sum, ut existumem, me sine aliorum monitis & consilio, *opus*, quod meditor, *Apologiam* nempe, *Virorum Illustrium falso Atheismi suspectorum* rite perfecturum & exornaturum esse. Amplissimus enim hic se aperit campus. Neque enim ratiocinandum tantum est; sed Veterum Systemata Philosophica rite introspicienda; attendendum non minus ad res, quam ad verba. Evolvenda veterum monumenta aliquando obscurissima, & in summam eorum cogitata rediganda; legendi moderni, qui non sine cura veterum sapientiæ Consultorum decreta explicarunt; cavendum, ne Antiquitatis studio, præjudicatis opinionibus, mala interpretatione, amore sectæ, decipiamur; ut alia taceam. Hæc omnia magnam attentionem & indefessam lectionem postulare, nemo non videt. Nihil minus autem credidi, quam quod auxilii & consilii loco, aliorum iram & indignationem in me provocaturus essem. Animus non erat hoc specimine, quenquam lædere aut sine necessitate adversarios quærere. A *litibus animus meus alieniſſimus* est. Θειᾳ quadam μοιρᾳ ab ipsa juventute moderati animi studium amavi & adhucdum amo. Pretiosius etiam tempus esse existimo, quam ut nihil profuturis concertationibus teratur. Litium, logomachiarum, & controversiarum, plus satis est. Verum est, examinavi in secunda dissertationis meæ parte, *Cl. Gundlingii rationes, quibus probare voluit, Platonem Spinozæ sententiæ addictum esse.* Putavi Virum doctum, & libertatis sentiendi amantissimum, modestum cogitationum suarum Examen malam in partem haud interpretaturum, sed levem hunc dissensum, æquo animo laturum, & sicubi lapsus fuero, sine acerbitate, causam erroris demonstraturum. *Æquissimum* hoc esse credidi, multas ob rationes. *Problema est*, de quo disputamus *fatente Gundlingio.* Non agitur de capitibus Religionis cum salute connexis; sed de quæstione non magni momenti. Nec cœtus sacri, nec Reipublicæ Litterariæ, nec mea maximopere interest, utrum *Plato* Atheus fuerit, nec ne. Perquam inficetum autem esse credo, in tali quæstione ita disputare, ita paratragædiari, quasi de re omnium momentissima ageretur. Dudum est, ex quo viri sapientes, eos, qui ob levem dissensum in alios debachantur, in numerum eorum, quos Galli *des Pedants* vocant, retulerunt. *Æquissimum* hoc esse putavi, quod nec famæ, nec Eruditioni *Cl. Viri* detraxerim, quod modestissime cogitata mea in medium protulerim, quod titulos, quibus quorundam aures gaudent, suis locis non omiserim, paratissimumque

que tandem me esse demonstraverim, meliora, siquidem erassem, audiendi, veritatemque ambabus, ut ajunt, manibus amplectendi. Sed opinio me fefellit. Examini quidem subjecit Dissertationem meam; sed ita, ut conquerendi de eo habeam justissimas causas. *Plena enim est dissertatio ejus criminationibus, dicteriis, inconditis salibus. Ignorantiam, stuporem, stultitiam* mihi exprobrat; nihil denique eorum omittit, quæ impotentiam animi, & intolerandum fastum significare possent. Utrum hæc meritus sim, atque hæc agendi ratio *Cl. Gundlingii ætate, Eruditione, fama* digna sit, judicent Viri prudentes & a studio partium alieni. Hactenus ego existimo, nihil magis Litteras in contemtum adducere posse; quam si illi, qui cæteros *modestia, æquitate & prudentia* superare deberent, cerdones & rusticos imitantur, qui quod *argumentis* non possunt, *convitiis* nituntur consequi. Par pari non referam. *Umbraticorum Doctorum mores* mihi displicent quammaxime. Examinabo *sine bile* rationes, quas contra meam sententiam in medium protulit; discutiam fundamenta, quibus systema ejus innitur, non obliviscar eorum, quæ ad rei summam quidem non pertinent, quibus tamen aut sententiam meam subvertere, aut in alienum sensum detorquere voluit; tandem si quis dignus vindice nodus *in Dissert. 31. Gundlingianorum* parti inserta, occurrit, ut solvam, non secem, operam dabo.

II. Antequam autem rem ipsam aggrediar, duo præmonenda sunt. Prius respicit ea, quæ circa finem Dissert. suæ monet D. Gundling. *Putat nempe is, minus recte illos facere, qui Veteres ab impacto Atheismi crimine, omnibus viribus nitantur liberare; mirum esse, eos, qui quantum Virus in Systemate Veterum lateat, ostendere allaborent, improbari, cum tamen in cæteris dogmatibus omnium confessione turpiter lapsi sint; ipsum Apostolum Paulum dixisse, Sapientes inter Gentiles vanis Sophismatibus delusos fuisse; se eadem ratione, qua plurimi Veteres defendant, Spinozam ipsum purgaturum &c.* Cum hæc non me solum tangant, sed Viros me longe excellentiores doctioresque, possem multis testimoniis Cl. Virorum *Cudworthi, Clerici, Fabricii* aliorumque uti, ad invidiam a me amoliendam. Sed cum brevitati hic studendum sit, hoc labore supersedeo, futuro Operi DEO dante illa inserturus, non quidem eo animo, ut errori aliquod pondus auctoritate aliorum addam; sed propter illos, qui a me dissentiunt. Dantur enim homines adeo perversi, qui quamprimum audiunt Virorum male audientium patrocinium suscipi, maligne hoc institutum interpretentur: sunt qui existimant,

ſtimant, quo magis Veterum Philoſophorum Decreta deprimant, eo majus Religioni Chriſtianæ decus ac ornamentum accedere; ſunt denique, qui *P. Baylii*, Viri ſane ingenioſiſſimi, nimia admiratione abrepti, in id omnibus viribus connituntur, ut omnes fere, eosque celeberrimos, *Orientis*, *Græciæ* & *Latii Philoſophos* in cenſum Atheorum referant. Poſtremi iſti, putant, cæteros, qui hac in parte diſſentiunt, nec Veteris Philoſophiæ cognitione, nec magno judicio, aut peritia Syſtema aliquod examinandi, inſtructos eſſe. Ut tamen aliqua ex parte hic *D. Gundlingio* ſatisfaciam, breviter dicam, qua ratione in hoc argumento verſaturus ſim.

III. Et *primo quidem non probo illos, qui omnia ex antiquis Philoſophis, Poëtis, &c. corradunt, quæ externa quadam verborum ſpecie recte dicta videntur, paulo accuratius autem expenſa, aut longe alium habent ſenſum, aut manifeſtam impietatem involvunt.* Peccaverunt in eo non ſemel antiqui Patres Eccleſiæ, qui aut defectu examinis, aut ſtuſtio partium, quæcunque ad opiniones ſuas tuendas facere poterant, hinc inde arripiebant. Notum quid factum ſit in Diſputationibus de Trinitate. Peccarunt etiam multi ex modernis, quos recenſere nil attinet. Juſta eſt igitur hac in parte Virorum Doctorum querela. *Secundo* improbo eorum ſententiam, qui *ideo tantum Syſtema eorum, qui plerosque Veterum in numerum Atheorum referunt, rejiciunt, quia certis quibusdam principiis, a Theologis quibusdam receptis, contrarium videtur.* Sane nunquam ita argumentandum eſt: hæc ſententia, ſi vera eſſet, hypotheſibus noſtris, cauſæ noſtræ adverſaretur, ergo negãnda & refellenda eſt. Solidioribus fundamentis principia Religionis *Naturalis & Revelatæ* ſuperſtructa ſunt, quam ut conceſſo etiam Atheismo illo plerorumque Veterum Philoſophorum, in periculum adducantur. Male ratiocinati fuerint Veteres, deliraverint, in monſtroſas prolapſi fuerint ſententias; hoc rationes immotas, quibus Religionis Chriſtianæ fundamenta, ſecundum rigidiſſimas rectæ ratiocinationis leges, probare poſſumus, minime tangit. *Tertio: Neminem tamen ſine urgente neceſſitate Atheismi, quo peſtilentior error non datur, poſtulandum puto; ſive antiquus ſit, ſive modernus, ſive Gentilis, ſive Chriſtianus.* Novimus enim, quæ cum hac accuſatione mala plerumque conjuncta eſſe ſoleant: Sæpe Viri præſtantiſſimi & innocentiſſimi, dulce Patriæ ſolum, uxorem, fidiſſima amoris pignora deſerere, & in exilium, ad rogos vel ad metalla migrare debuerunt. Non quidem antiquis illis Philoſophis hac ratione nocere poſſunt accuſatores,

ſed

sed viventibus plerumque nocivum concitant periculum. Dantur enim eheu! litteratissimo hoc seculo multi, qui celeberrimos eosque innocentissimos Viros turpissimi erroris reos agere non verentur. *Quarto: Tum autem nullam nobis necessitatem veteres Atheismi postulandi, impositam esse credo, quando (a) totius Systematis nexus non patet, aut (b) patet quidem, sed gravissimorum & historiæ Philosophicæ peritissimorum, obstant perspicua testimonia in contrarium allata, quæque longe aliam Systemati induunt faciem, (c) aut ubi adest rationum utrinque allatarum æquilibrium, (d) vel unicum testimonium, cæteris rei alias peritis, altum silentibus, (e) aut tandem si verba, quibus utuntur Veteres, adeo perplexa sunt, ut quam potestatem habeant, nec ipsi definiverint, nec aliunde lucem adferre possimus.* Ubi hæc manifeste deprehenduntur, æquitatis leges postulare credo, ut nihil temere adseramus. In Systemate *Spinozæ* hæc omnia locum non habent. Adhibuit is definitiones, axiomata, propositiones perspicuas, corollaria, ita ut totius Systematis nexum omnes, qui in alienum sensum studio cogitata ejus pertrahere nolunt, facile perspicere possint. At in examine sententiarum, quas veteres Philosophi in medium protulerunt, frequentissime ea, quæ dixi, occurrunt. Quod suo loco clarissimis exemplis demonstrabo. Addantur interim ea, quæ de hoc argumento erudite *monuit Clarissimus & conjunctissimus Vir J. Brukerus Otii Vindelici parte prima.*

IV. Diffiteri simul nolo, multas ob rationes mihi eorum sententiam displicere, qui *neglectis illis cautelis*, quas adduxi, plerosque Veterum Philosophorum in numerum Atheorum referunt. Nocet enim *primo bonis litteris.* Dudum conquesti sunt Viri præstantissimi, ab Adolescentibus quidem *Historiarum Scriptores*, *Poëtas*, *Comicos*, legi; *Philosophos* autem plerumque negligi. Iidem tamen simul fatentur, nihil Scriptis *Platonis*, *Xenophontis*, *Stoicorum* in universum &c. excellentius apud Veteres legi. Quod si omnia illorum cogitata de Deo rebusque divinis, purum putum Atheismum involvunt, excutiendi hi libri e manibus ingenuorum Adolescentium; neque enim ad verba tantum, sed ad sensum præcipue, attendere debent. Præstat Græcæ & Latinæ Linguæ imperitum esse, quam ab ipsa Juventute Atheismi venenum imbibere. Cum *Harduinus* omnia fere veterum monumenta paucissimis exceptis conficta, & nudius demum tertius nata, adsereret; non sine causa Viri docti, & inter illos *Cl. la Croze* existumarunt, Jesuitam illum, forte & alios consortes, id agere, ut antiqua illa veterum monumenta, quæ ad Religionis Christianæ confirma-

firmationem multum faciunt, e manibus Christianorum excutiantur, atque ita impietas & superstitio triumphet. Absit ut *Doctissimos Viros*, qui plerosque Veterum, in Catalogum Atheorum referunt, tanti flagitii reos habeam; haud tamen existimarim, prorsus vanum esse, metum illorum, qui putant, *elegantiorum Litterarum studium* aliquid detrimenti pati. Philosophiæ saltem accuratioris studium, mea opinione, non parum sufflaminatur. *Deerunt, qui suadebunt, si suasisse periculum sit*, inquit *Darius* apud *Curtium*. Deerunt sane, qui cum detrimento oculorum, voluptatum contemtu, omnibus viribus veritatis inquirendæ studio vacabunt, si post tot exantlatos labores, nullum fere aliud præmium exspectare possunt, quam ut pestilentissimorum errorum accusati, omnium invidiæ exponantur, præsertim si a receptis sententiis recedant paulo longius. Accedit, quod hac ratione *divina rationis vis*, non parum sine necessitate labefactetur. Concedo lubens, notiones de Deo rebusque divinis, Religionis Christianæ luce, & experientia mirum in modum emendatas, & collustratas fuisse: tam debilem tamen *rationis vim* esse, ut omnes fere *veteres Philosophi*, qui acerrimo per omnem vitam, veritatis studio tenebantur, in Atheismum prolapsi sint, nec elabendi rimam perspexerint, persuadere mihi non possum. *Injurium* mihi hoc videtur in *ipsum Auctorem Rationis*. Nescio qua ratione homines illi ἀναπολογήτοι dicendi sint, qui adhibita omni diligentia, Numen tamen dari, ab adspectabili rerum universitate distinctum, vix ac ne vix quidem perspicere potuerunt. Saltem consectarium illud, quod magna eruditionis specie urget *Baylius*, rationem nempe ita esse comparatam, ut in divinis omnia quidem subvertere, nihil autem certi invenire possit, mirifice confirmatur. Durissimum præprimis mihi videtur, cum *D. Gundlingio* adserere, omnes, qui creationem ex nihilo non statuant, necessario ad emanationem omnium rerum ex divina essentia confugere debere. Novit ille quam pulcherrime, quantis difficultatibus obsepta sit, hæc ipsa doctrina, de creatione omnium rerum ex nihilo; novit P. *Baylii* conatus; haud ignorat inter ipsos Christianos multos dari, qui existimant, neque ex voce ברא, aut κτίζειν, neque aliis ex locis *V. & N. Testamenti* probari posse, omnia ex nihilo producta esse. At hi ipsi de Numinis existentia persuasissimi sunt. Non possum igitur diffiteri, me propter rationes adductas, in eorum esse sententia, qui putant, mitius cum antiquis illis agendum esse: meliora tamen docentes, ut hic, sic in cæteris, lubens audiam.

V. *Ate-*

V. *Alterum, quod notandum, hoc est.* D. *Gundlingius* non semel conqueritur, me, quid *Atheismi* nomine intelligerem, nullibi in defensione Platonis definivisse. Verum hoc est. Sed minime necesse esse putavi, exhibere definitionem Atheismi in genere. *Quæstio est, utrum Plato Spinozæ sententiæ addictus fuerit, nec ne.* Eum in finem *Spinozæ* sententiam ad *duo revocavi capita, nimirum unicam dari substantiam, eamque Deum esse*: probavi autem non solum, *Platonem* Deum a materia prorsus distinxisse, sed & nullo eandem vinculo cum Deo conjunxisse. Scio dari Atheos, qui a *Spinozæ* sententia recedunt, sed *de hoc* in præsenti disputatione non *quærebatur.* Quæritur tantum, utrum argumenta mea ita comparata sint, ut probent, *Platonem* a *Spinozæ* sententia alienum fuisse. Frustra igitur non semel ingeminatur, requiri causam quandam externam a materia & mundo diversam. Eum enim argumentorum meorum scopum esse, ipsa res clamat. Hoc tantum dico, me Athei nomen illi dare non posse, qui perfectissimum Numen, idque optimum ac liberrimum agnoscit, virtutes cæteras tanto Numine dignas extollit, Jus Deo in materiam concedit, & omni rerum Universitati prospicere ait; simul tamen materiæ æternitatem profitetur. Aut enim dicendum est, omnes errores de Dei natura & virtutibus omnem Numinis cultum subvertere, aut quosdam tantum. Prius plane durum est. Pauciſſimi mortalium mentem ad sublimia illa perfectionum divinarum Capita contemplanda evehere possunt. *Cum ad illum mentis humanæ intentio, & acumen, & memoria pervenerit; quasi abductis, & consumptis omnibus viis, subsistit, hæret, deficit: nec est aliquid ulterius, quo progredi possit*, ut eleganter loquitur Lactantius Lib. V. Sect. 7. Omnes præterea ratiocinationes nostræ de Deo, & perfectionibus ejus, nituntur comparatione quadam nostrarum perfectionum cum virtutibus divinis instituta. Quis autem nescit, quam facile hac in parte errare possimus? Ergo illi errores circa attributa divina exitiales sunt, qui directe impediunt, quo minus Supremum Numen venerari, & colere possimus. Ita v. gr. qui libertatem omnem Deo detraheret, eumque in causam quandam, cæco impetu agentem, transformaret, is sine dubio attributum aliquod subverteret, quocum omnis Religio, & legum reverentia simul tolleretur. Fateor illos, qui æternitatem materiæ supponunt, sententiam fovere, quæ cum virtutibus divinis per omnia rite conciliari haud potest; Ita tamen eam comparatam esse, ut omnem subvertat Numinis existentiam, probari rite posse, quammaxime diffido.

VI. Putat tamen D. Gundlingius. hinc Sect. 97. ita loquitur. *Ego haud immerito censui, eos qui æternitatem materiæ admittunt, ac defendunt, lapsu prono & facili, in ἀθεότητα incidere. Zimmermannus contra. Ratio quæ mihi sedet, eo redigitur, Deum sic iri compulsum, ut vel materiam adtingat & fabricet, ceu faber lignarius, opusque relinquat levi vento periturum: aut sese infundat in materiam, ut in ipso consistat, & persistat. Deus opus periturum fabrefaciens, non est Deus, quia id perfectioni ejus infinitæ repugnat; ac Deus imperfectus interea non erit Deus. Quod si vero influat Divinitas, aut se se infundat in rem productam, Deus confundetur cum mundo; mundus erit ipse Deus, & Deus mundus: Q. E. D.* ad hæc adjicit Elegantissimi Ingenii Vir: *Quid Zimmermannus? loquiturne an tacet? Tacet; ac demum linguam solvens respondet contradicendo, nec se mihi adsentiri posse enuntiat.* Videat *D. Gundlingius* utrum sequentia satisfaciant: & 1. quidem notari velim, me nullibi adseruisse, eos, qui æternitatem materiæ tuentur, in Atheismum facile prolabi haud posse: hoc tantum dixi Sect. 18. p. 958. *Deum tollere omnes, qui materiæ æternitatem tuentur, licet Rectorem universi agnoscant, qui rebus omnibus prospiciat, Cl. Viro probandum incumbet.* Quæritur igitur, non utrum in *Atheismum prolabi possint*, sed utrum *veri Nominis Athei sint*, Numenque eo ipso tollant, quia æternitatem materiæ tuentur. 2. Minime autem id probat Dilemma allatum. De posteriore membro, infusione nempe Dei in materiam nihil dicam. Examinemus tantum primam partem, de qua proprie sermo est. Deus, ait *Gundlingius*, compelletur, ut materiam fabricet, opusque relinquat levi vento periturum. Sed *primo* addere debuisset, Deum, antequam animum ad elaborandam materiam adjecisset, *liberum* fuisse; potuisse materiam illam æternam in confusione relinquere, nullaque adeo, vel intrinseca, vel extrinseca necessitate, compulsum fuisse, ad materiam exornandam. Quod si jam accedant rationes, vel ex bonitate vel sapientia Dei repetitæ, patet nullo modo dici posse necessitate quadam Deum compulsum fuisse ad materiam fabricandam. 2. Quod si Deus velit materiam æternam exornare, quæritur, *quo jure* agere possit in materiam æternam, & quomodo *id jus exequi possit.* Quod *posterius* attinet, quæstio huc redit: quomodo substantia intelligens, movere possit materiam, eamque exornare: hæc autem difficultas non minus in systemate eorum, qui æternitatem materiæ tuentur, occurrit, quam eorum, qui creationem ex Nihilo credunt. Nemo enim hactenus nexum illum, qui intercedit inter volunta-

luntatem subſtantiæ intelligentis, & motum materiæ, explicare potuit. Quod vero *prius* attinet, major difficultas eſt in ſyſtemate eorum, qui materiæ æternitatem agnoſcunt. Illi enim qui Deum ex nihilo cuncta produxiſſe, adfirmant, eo ipſo adſerunt, Deum jus habere in materiam, a ſe conditam. At qui materiæ æternitatem tuetur, cauſam dare non poteſt poteſtatis hujus, quam Deus ſibi arrogat. Et hoc maxime urferunt, non minus Veteres, *Simplicius*, *Hierocles*, *Tertullianus*, quam *Recentiores*, *Baylius*, *Jaquelot*, aliique. Producam unicum locum *Hieroclis* a *Baylio* jam, aliisque allatum. Τι γαρ ἰι μαθων, inquit, ἀ μη ὑπεςησε, διαταττειν πειραται παντως πε της ἐυταξιας αὐτοις ἐν τὴ ἀγενησιᾳ της ἑαυτων φυσεως κειμενης; το γαρ ἀγεννιτως καθ' ἑαυτο ὑφεςως ἐιπ προσλαβοι, παρα φυσιν προσληψεται. Το δε παρα φύσιν διατεθηναι κακον τῳ μεταςρεπομενῳ, ὡςε ἐκ ἀγαθον τὴ λεγομενη ὑλη το κοσμειοθαι, ἐιπερ ἀγεννητος ἐιη μη ἀπο χρονε μονον, ἀλλα καὶ ἀπο τε ἀιπε. h. e. *Quorſum enim ea, quæ non condidit, digerere conatur, cum omnino bona ordinatio in natura eorum ingenita conſiſtat. Si quid enim ingenito, ac per ſe ſubſiſtenti, addatur, præter naturam fiet. Quod autem præter naturam efficitur, vitiatur, quare dictam materiam ornari minime bonum, ſiquidem non ſolum in tempore, ſed etiam absque cauſa ingenita ſit.* *Baylius* eandem difficultatem fortius adhuc urget; ipſa tamen ejus verba adferre nolumus. Patet igitur omnem difficultatem in eo ſubſiſtere, quod duorum æternorum principiorum adſertores oſtendere non poſſint, quo jure Deus rem, per ſe æternam, mutare poſſit. Sed num ideo Athei illi ſunt, qui hoc adſerunt? num negant Deum elaboraſſe materiam, quia quo jure id fecerit, explicare non poſſunt? *Plato*, qui æternitatem materiæ agnovit, ex *ordine univerſi*, *concluſit dari cauſam æternam*, *ſapientiſſimamque*, adſeruit Deum *ſola bonitate* commotum, ad materiam exornandam ſe accinxiſſe: *agnovit* igitur cauſam primam, ſapientiſſimam, optimam; *agnovit* materiam per ſe eſſe inertem, licet æternam; *agnovit* omnem adſpectabilis hujus rerum omnium univerſitatis ordinem, ſoli Numini adſcribendum. Hæc ſatis oſtendunt, æternitatem materiæ, non obſtitiſſe, quo minus & Deum agnoſceret, & virtutes excellentiſſimas eidem adſcriberet. Credimus nos Deum materiam ex nihilo feciſſe, & rectiſſime quidem. Sed quam primum oſtendere volumus, qua ratione immenſa illa rerum rerum ſenſibilium moles exorta fuerit, ſeu quis ſit nexus inter voluntatem entis intelligentis, licet infiniti, & ortum materiæ, ejusdemque exornationem, hæremus. Neque ideo tamen argumenta noſtra pondus ſuum amit-

tere, jure credimus. Verbo error est, & quidem gravissimus, adserere materiam esse æternam, Atheismus non item. 3. Sed directe contemplemur argumentum *D. Gundlingii*. Si Deus ait materiam æternam fabricet, tum necesse est, ut opus periturum levi vento permittat. Sed cur mundus ille dicitur periturus? num *respectu materiæ*, ex qua constat, num *respectu voluntatis* ejus, *qui eum mutare & perire vult?* at materia ex mente eorum, qui æternitatem ejus tuentur perire non potest. In nostro Systemate mundus in se spectatus perire potest, minime autem perit, *ob voluntatem Conditoris*. *Plato* mundum itidem non *periturum* dixit ob *voluntatem* optimam Numinis. At quomodo probabitur, Deum opus periturum fabrisacientem, non esse Deum? Deus manet perfectissimus, optimus, licet fabricaverit mundum, qui in se spectatus perire, & in nihilum redire posset. Quæritur igitur tantum, utrum Deus, qui materiam æternam fabricavit, eandem *conservare possit*, *ne pereat*. Sed quid obstat ex sententia eorum, qui Deum materiam exornare posse ajunt, quo minus eandem conservet? Supponit enim *Gundlingius*, Deum materiam æternam exornare posse; si hoc potest, eandem etiam exornatam tueri potest; num forte vult ejus nullam habere rationem? Sed unde hoc tandem probabit? Si *Baylii* rationes repetiisset asserendo, Deum in materiam, cui nec existentiam, nec essentiam dedisset, nullam habere potestatem, tum longe major futura fuisset difficultas. Sed in hoc quod adfert argumento, licet pro more μετα πολλης φαντασιας in medium prolato, nulla plane est vis, ad probandum, eos, qui æternitatem materiæ asserunt, in censum Atheorum referendos. Non jam dicam, circa imputationem consequentiarum, dispiciendum, non solum, quid ex *nexu systematis* alicujus sequatur, sed & quammaxime, *quid ex sententia ejus, qui ejusmodi systema defendit, fluat*: nec repetam etiam, quod dudum alii monuerunt, quam difficile mens nostra creationem ex nihilo concipere possit; quot Viri optimi alias & sagacissimi crediderint, Deum ex materia quadam jam præexistente, mundum formasse; & in revelatione perspicue creationem è nihilo non tradi. Hæc enim sunt notissima.

VII. Sed veniamus tandem ad rem ipsam. Eum in finem *primo argumenta, quæ in dissertatione mea attuli, denuo repetam, eaque ulterius explicabo, & vindicabo. 2. Systema D. Gundlingii directe examinabo. 3. Quædam ad materiam hanc illustrandam facientia adjiciam. Platonem, Spinozæ* sententiæ addictum non fuisse, sequentibus probavi ratio-

rationibus: 1. *Celebrem hunc Sapientiæ Antistitem Ens aliquod æternum sapientissimum, quod Deum vocamus, agnovisse.* 2. *Eum solerter Numen illud a materia distinxisse.* 3. *Nullo necessario vinculo cum materia conjunxisse.* 4. *Summam libertatem & imperium in materiam Deo tribuisse.* 5. *Tandem providam Dei Sapientissimi in omnia curam professum esse.* Repetam igitur singulas propositiones easdemque contra *D. Gundlingii* exceptiones vindicabo. Quum autem *Status Quæstionis* huc redeat: *Utrum nempe Plato duas, æternas, & per se subsistentes substantias, Deum nempe, Ens æternum, Sapientissimum, Optimum; & materiam extensam, divisibilem, a Deo prorsus diversam, nullo vinculo connexam, nec ulla ratione essentiæ divinæ participem, agnoverit, nec ne?* Pluribus in ea excutienda laborabo. Negat enim *D. Gundlingius materiam* in systemate *Platonis* substantiam esse. *Sect. 54. ait materia per se non est Ens, sed accidens, neutiquam substantia. Sect. 55. neque enim unquam Plato materiam pro substantia venditavit, qua nuda est materia, ac sine divinitate concipitur.* Ut alia loca, in quibus idem repetit, taceam. Diligentissime igitur, quid de Deo, & materia *Plato* senserit, dispiciendum est; uti eo magis pateat, utrum materiam æque ac Deum, pro substantia *Plato* habuerit.

VIII. Velim autem *primo* ante omnia observari *Platonem & Platonicos, ita de natura Dei loqui, ut aperte testentur, Deum omnem fere mentis nostræ captum superare, & ut cum schola loquar, omnes categorias transcendere.* Attuli in dissertatione mea notissimum locum *Platonis* ex *Timæo*, in quo sub persona Timæi *Plato* ita loquitur: Τὸν ποιητην καὶ πατερα τȣδε τȣ παντος ἑυρειντε ἐργον, καὶ ἑυροντα ἐις παντας ἀδυνατον λεγειν. Non quidem negaverim *Platonem* ambigue, tecteque de hoc gravissimo capite loqui aliquando, ex more Veterum, qui nondum initiatos quædam celabant; ipsam tamen *rei difficultatem, & impenetrabilem fere obscuritatem*, multum etiam huc contulisse, nemo inficias iverit; imprimis si aliorum, eorundemque Philosophiæ Platonicæ peritissimorum cogitata perpenderit. Ita *Proclus* Lib. II. cap. 11. ὑμνησωμεν ἀυτον, ȣχ ὁτι γην καὶ ȣρανον ὑπεςησεν λεγοντες. ȣδ ἀυ ὁτι ψυχας καὶ ζωων ἁπαντων γενεσεις καὶ ταυτα μεν γαρ, ἀλλ' ἐπ' ἐσχατοις. προς δε τȣτων ὡς παν μεν το νοητον των θεων γενος. παν δε το νοερον ἐγενηνε, παντας δε τȣς ὑπερ τον κοσμον, καὶ τȣς ἐν τω κοσμῳ θεȣς ἁπαντας, καὶ ὡς θεος ἔςι θεων ἁπαντων, καὶ ἑνας ἑναδων, καὶ ὡς ἀδυνατον ἐπεκεινα των πρωτων, καὶ ὡς πασης σιγης ἀῤῥητοτερον, καὶ ὡς πασής ὑπαρξεος ἀγνωςοτερον, ἁγιος ἐν ἁγιοις τοις νοητοις ἐναποκεκρημμενος θεοις. h. e. *Laudemus illum, non dicen-*

dicentes ab eo cœlum & terram creata, aut animas, & animalia progenita, nam hæc quidem progenuit, sed inter ultima. Laudemus eum, quod ante hæc omne Deorum intelligibilium, omne intellectualium genus, omnes supra mundum, Deos omnes in mundo creaverit; quippe qui est Deorum omnium Deus, Unitas unitatum, supra prima impossibilia, omni silentio ineffabilior, omni existentia ignotior: Sanctus in Sanctis, & ipsis intelligibilibus absconditus Diis. Max. Tyrius dissert. 38. pag. 403. similiter de Deo loquitur. Ὁ μεν γαρ θεος ὁ των ὁντων πατηρ καὶ Δημιεργος ὁ πρεσβυτερος μεν ἡλιε, πρεσβυτερος δε ἐρανε, κρειττων δε χρονε, καὶ αἰωνος, καὶ πασης φυσεως, ἀνωνημος νομοθετης, καὶ ἀῤῥητος Φονη, καὶ ἀορατος ὀφθαλμοις. h. e. *Deus enim omnium, quæ extant, Pater Conditorque, sole antiquior, antiquior cœlo, omni tempore major, omni ævo & quicquid in natura mutatur; Legislator sine nomine, quem vox nulla, exprimit, nulla oculorum intuetur acies.* Observat ibidem *Doctissimus Davisius*, veteres Christianos in eandem concessisse sententiam. Et confirmat hoc ingenti testimoniorum numero *Petavius Dogmat. Theolog. L. I.* Cap. VI. qui & *Plutarchi*, *Plotini* inprimis, perspicua de hoc asserto addit verba. Hæc loca clarissime ostendunt, Deum ex mente *Platonis*, & sequacium, substantiam esse, analogice quidem consideratam aliquid nobiscum commune habentem, quatenus propter egestatem sermonis, & rei ipsius sublimitatem, aliter loqui non possumus; revera tamen, si verum dicere velimus, omnem mentis nostræ capacitatem, superantem; quemadmodum omnes, quicunque de natura Dei accurate meditantur, mentemque ab omnibus, quæ in nobis cum aliqua imperfectione conjuncta sunt, abstrahunt, facile observabunt. Unde mea opinione rite inferri potest, *Platonem* non solum Deum pro substantia habuisse, sed & omnia, quæ præter Deum existunt, cum ipso collata, substantiæ nomen, ne mereri quidem existumasse; sequitur etiam tantum abesse, ut *Plato* Deum ex materia quadam subtili aut fluida constare dixerit, ut potius mente etiam nostra & facultatibus ejus, aliquid excellentius & nobilius esse, adserverit. *In Systemate Spinozæ Deus ex infinitis, imperfectissimis, abjectissimis, miserrimis, sensu omni destitutis, substantiis, componitur.* Qualis enim ratio partium, talis etiam est totius.

IX. Hunc autem Deum, supra omnia quod cogitamus evectum, *substantiam* esse, & quidem non *tantum ficta quadam mentis præcisione*, sed *distinctione reali*, probabimus amplius *ex vocibus*, quibus *Plato* in hac materia utitur. Attendi igitur velim ad notissimam illam distinctionem

ctionem Veterum, adserentium, *Platonem duo principia omnium rerum* Θεον και ὑλην, *statuisse*. De tertio enim suo loco dicemus. Attuli eum in finem testimonia *Plutarchi*, *M. Tyrii*, *Diog. Laërtii* aliorumque. Vox autem ἀρχη hoc in loco, nihil aliud potest denotare, quam principium aliquod reale, constitutivum, substantiam: ex duobus enim illis, Deo nempe & materia omnem adparentem rerum omnium originem derivant. Aliquando etiam ἀιτιας vocabant. Sic *Plato in Timæo*, δυο ἀιτιαι, το μεν ἀναγκαιον, το δε Θειον. Illas autem ἀρχας ita explicant, ut non possimus non duo diversa intelligere subjecta. *Auctor Philosoph.* distincte de hac re loquitur. Deum vocat τον ποιητην και διακοσμησαντα τοδε το παν, και προνοεμενον αυτε, *materiam* vero, πασαν την ὑλην ὑποκειμένην. Porro Θεὸν adpellat Plato ἀσωματον τε και ἀνειδεον και μονοις σοφοις ἀνδρασι καταλιπτον, *materiam* vero ἀσχηματιςον και ἀποιαν προσλαβεσαν σχηματα και ποιοτητας. Hæc distinctionem aliquam *non rationis*, quod *D. Gundlingius* contendit, sed *realem* & *essentialem* inferre, omnes vident, qui a partium studio alieni sunt. *Plutarchus de placit. Philosoph.* Lib. 1. cap. 2. clarissime, quid ἀρχων nomine intelligendum sit, *ostendit*. Sumamus primum tantum exemplum, in quo vox hæc adhibetur. Θαλης ὁ Μηλησιος ἀρχην των ὀντων ἀπεφηνατο το ὑδωρ. Quis autem non observat, vocem ἀρχην aliud denotare non posse, quam principium *constitutivum*, seu *substantiam?* Novi quidem *Aristotelem Lib. 4. Metaphys.* cap. 1. varias των ἀρχων exhibere definitiones, sed qui argumentum, de quo quæstio est, rite inspexerit, facile videbit, heic loci illam vocem alio sensu sumi non posse. Similiter vox ὀσια, qua usus est *Plato*, & discipuli, cum de Deo & materia locuti sunt, satis ostendit, *Platonem* non minus *Deum*, quam *materiam* pro *substantia* habuisse. *Timæus Locrus* pag. 548. *corpus* vocat μεριςην ὀσιαν. *Plutarchus* περι της ἐν Τιμαιῳ κοσμογ. pag. 1014. de Platone, την ὀσιαν και ὑλην ἐξ ἡς γεγονεν, ὁ γενομενην, ἀλλ' ὑποκειμενην ἀει τῳ Δημιεργῳ εἰς διαθεσιν και taξιν αὐτης παραχειν. i. e. *Substantiam & materiam, ex qua factus est mundus, non natam, sed semper subjectam Opifici disponendam & ordinandam se præbuisse*. Heic loci ergo *materia* dicitur ὀσια, dicitur *ex ea* mundus factus, *eademque distinguitur a Deo*. Nulla hîc locum habet *abstractio*, neque enim *ex accidenti totus mundus factus est*, sed veri nominis *substantia*. Timæus Locrus pag. 544. non solum *materiam* tanquam *æternam quandam substantiam considerat*, antequam NB. Deus ulla ratione se cum ea conjungeret; sed & *eandem materiam* tanquam *subjectum* aliquod, quod varias formas seu acciden-

cidentia admittere possit, describit. Ταυτην δε την ὑλην ἀϊδιον μεν ἐφα, ἐ μην ἀκινητον. ἀμορφον δε καθ ἑαυτην, καὶ ἀσχηματιστον, δεχομεναν δε πασαν μορφην. i. e. *Hanc materiam ajebat esse æternam, non vero immobilem; & ab omni forma atque figura per se immunem, & liberam, quaslibet tamen formas recipientem.* Diog. Laërtius in Vita Platonis pag. 86. postquam dixisset την ὑλην ἀσχηματιστον & ἀπειρον fuisse, antequam Deus eandem in ordinem redigeret, addit τραπεσθαι δε την ἑσιαν εἰς τετταρα στοιχεια πυρ, ὑδωρ, ἀἑρα, γην. *Materia* igitur *substantia* est, alias elementa ex ea oriri non potuissent. *Plotinus Ennead.* I. L. VIII. Sect. 10. expresse & totidem verbis asserit *materiam* non esse *accidens, sed subjectum.* ἡ δε ὑλη, inquit, ἐκ ἐν ἀλλῳ, ἀλλα το ὑποκειμενον καὶ το συμβεβηκος περι αὐτο. *Materia non est in alio, sed est subjectum, circa quod accidens omne versatur. Ennead. Secund.* Lib. IV. ab initio ait: την λεγομενην ὑλην, ait, ὑποκειμενον τι καὶ ὑποδοχην εἰδων λεγοντες εἰναι, κοινον τινα τοτον λογον περι αὐτης παντες λεγουσιν, ὁσοι εἰς ἐννοιαν ἠλθον της τοιαυτης Φυσεως, καὶ μεχρι τοτε την αὐτην φερονται. h. e. *Omnes, qui de materia disputant, si modo in notitiam ullam hujus naturæ pervenerint, communi descriptione eam subjectum quoddam, & susceptaculum Specierum esse, asserunt, atque hactenus consentire videntur.* Plura loca non adducam. Evolvantur cap. I. L. IV. Tom. 2. *Petavii Dogm. Theolog. Huet. Origen. p. 32. Clerici Epistolæ Criticæ.* Quod si igitur *standum* est *Veterum testimoniis*, nemo non videbit *materiam* non minus, quam *Deum* pro *substantia* haberi *Platoni*, atque adeo *mera suppositione* niti *D. Gundlingii assertionem*, *materiam* nimirum *accidens tantum esse Platoni*, separatim consideratam. Nihil addam de voce ὑποστασεως, qua Platonici usi sunt, & per quam veri nominis *substantiam* intellexerunt, cum dixerunt tres esse ἀρχικας ὑποστασεις. Quæritur enim quid *Plato* senserit, non alii. Videatur interim *Tom. 2. Lib. V. cap. 2. Petavii & notæ Eruditissimi Clerici.*

X. Hactenus ex *vocibus*, quibus *Plato veteresque* utuntur, cum de *materia* loquuntur, probavimus, materiam *substantiam* esse: dispiciamus porro, quid de *proprietatibus Dei* & *materiæ* dicant; quod si enim *proprietates Dei* & *materiæ inter se prorsus distinctæ sint* ex mente *Platonis*, necessario concludendum est, *Deum* & *materiam duas* esse *substantias prorsus inter se diversas.* Audiamus igitur Veterum de hac re testimonia. In *dissert. mea* inde a pag. 832. usque ad pag. 849. non solum ex ipso *Platone* probavi, Deum ex mente hujus Philosophi ab omni re corporea secretum esse, & distinctum; sed & argumenta ex

ordine

ordine rerum, finibusque, ad quos creaturæ factæ sunt, eundem agnoviſſe, rerum omnium Auctorem, ſumma & excellentiſſima Sapientia præditum eſſe. Non commemorabo jam notiſſimam illam diſtinctionem *Platonis* in τα νοητα καὶ τα αἰσθητα, ex qua conſtat, illum *omnem materiam a re intelligibili*, ſolerter *diſtinxiſſe*. Priora enim illi vocantur τα θεια, τα ἀληθη, παντελως, εἰλικρινως ὀντα, ἀει ὄντα, νοητα, ἀδιαλυτα, poſteriora τα ὁμονημως ὀντα, γιγνόμενα, μη ονται, τα μεταξυ των παντελως ὀντων καὶ μη ὀντων. Ex quibus patet *proprietates materiæ & rerum intellectualium ſecundum Platonem* eſſe *diverſiſſimas*, neque *abſtractione* tantum mentis, ſed *realiter* inter ſe *diſtinctas*. Huic inquam argumento non inhærebo, quamvis ita mihi comparatum eſſe videatur, ut nihil *D. Gundlingius* adferre poſſit, quod id ſubvertat; ſed quid de Deo, & materia ſenſerint Platonici ſolum hac vice explicabo, unde patebit, *diſtinctionem* inter Deum & materiam eſſe *realem* quammaxime & manifeſtiſſimam. *M. Tyrius Diſſert.* I. docturus, qua ratione ad cognitionem Numinis pervenire poſſimus, ita loquitur pag. 11. verſ. *Heinſii: Perveniemus eo hac ratione, ut ſemper id quod magis notum eſt natura, bifariam dividamus: atque ex his rurſus, id quod præſtantius eſt, ſecabimus, donec ad ejus perventum ſit, de quo quæritur, eſſentiam. Alia ergo animata, alia ſine anima ſunt. Sine anima, ut lapides, ligna, & id genus alia. Animata, ut plantæ & animalia. Jam animatum præſtat ei, quod ſine anima eſt. In animato aliud vegetativum, aliud ſenſitivum eſt. Rurſus ſenſitivum, vegetativo eſt præſtantius. In ſenſitivo aliud rationale, aliud rationis expers eſt. Rurſus rationale id quod rationis expers eſt, antecedit. Sed & in anima rationali, quoniam tota quaſi quædam congeries (nam & nutritivum in ea, & ſenſitivum, & motivum & paſſivum) illud excellit, quod intellectivum dicitur. Sicut ergo animatum ad illud, quod animæ expers eſt ſe habet, ita intellectiva anima ad totam. Unde ſequitur intellectivam præſtantiorem eſſe ea, quæ ex omnibus conflata eſt. In utro ergo Deum de quo agimus, ponemus? an in multiplici illa congerie? ne Deus ipſe ſiverit. Reliquum eſt ergo, ut tanquam in arce aliqua ſublimi, in principe intellectu, Deum ſtatuamus. Sed & intellectum duplicem video. Alter enim intelligere poteſt, quamvis non intelligat: alter etiam intelligit. Qui tamen nondum eſt perfectus, niſi & ſemper intelligat, & omnia, neque alias alia. Ut ille demum abſolutiſſimus futurus ſit, qui & ſemper & omnia ſimul intelligit.* Hiſce adductis exemplo rem illuſtrat pag. 15 ait. *Scimus quidem pulchrum eſſe Deum, & pulchrorum omnium pulcherrimum: non tamen corpus pulchrum, ſed id unde corpori*

ſua pulchritudo venit. Nec pratum pulchrum, ſed id unde & prato ſua pulchritudo eſt. Denique quicquid in fluvio, aut in mari, quicquid in cœlo cœleſtibusque Diis pulchrum vocamus; id omne pulchrum tanquam ex perpetuo limpidiſſimoque fonte inde dimanat. Tantumque ſingula, aut pulchritudinis, aut ſtabilitatis, aut diuturnitatis inter ſe habent, quantum ex eo fonte trahunt, tantumque a pulchritudine recedunt & ad interitum ſuum tendunt, quantum ab eo abeunt. Si hæc ſufficiunt, Deum vidiſti. Si nondum, qua tandem imagine commode exprimi poterit? addit εννοει γαρ μητε μεγεθος, μητε χρωμα, μητε σχημα, μητε ἀλλο τε ὑλης παθος. Videmus *Maximum*, *Philoſophiæ Platonicæ peritiſſimum*, omnia quæcunque in *materiam* cadere poſſunt, *a Deo* removere, & per continuam quandam Entium ſcalam aſcendere, ad ſublime illud contemplationis noſtræ objectum, Deum nempe. Quis autem negabit, eum, qui omnium rerum proprietates, præcipue intellectualium, poſſidet, *eminentiſſimo gradu ſubſtantiam eſſe? diſſert. 17. pag. 185. Edit. Daviſii:* ὀυγαρ ἐςι θεω, καθαπερ ἀνθρωπω, της ψυχης το μεν ἀρχον, το δε ἀρχομενον. ἀλλ ἀπλουν το θειον ἀυτο, ὁ τι περ νους καὶ ἐπιςημη καὶ λογος. i. e. *Neque enim in Deo altera pars eſt quæ paret, altera quæ imperat, quod fit in homine. Eſt enim ſimpliciſſimum quid divinitas, id eſt mens, ſcientia ac ratio.* Adde ejusdem *Maximi* integram *diſſert. 38. Plutarchus de placit. Phil. Lib. I. cap. 7. aſſerit, Platonem* ſtatuiſſe, *Deum* eſſe *Ens* μονοφυες, μοναδικον, ὀντως ἀγαθον, νουν, χωριςον ἐιδος, τουτεςι το ἀμιγες πασης ὑλης, μηδενι παθητω συμπεπλεγμενον. Innumera ſunt loca in *Plotini operibus*, quibus idem probatur. Unicum tantum producemus, ut brevitati ſtudeamus. Extat is *Ennead. VI. Lib. VII. cap. 32. p. 725.* quia autem prolixior eſt, latine tantum eum dabo. *Hic jam fas eſt quærere*, inquit, *hunc in modum. Age dic anima, ubinam ille ſit, qui tam ingentem pulchritudinem creavit, qui tam excellentem progenuit vitam, qui primam fecit eſſentiam? Cernis, o anima, ipſam in omnibus & variis ſpeciebus pulchritudinem coruſcantem? Pulchrum quidem eſt, ibi conſiſtere. Sed operæ pretium eſt animum in pulchro jam exiſtentem, undenam hæc ſint, & unde pulchra fiant, inveſtigare. Oportet ſane ipſum pulchrorum omnium Auctorem, eorum nullum penitus eſſe: alioquin ſi quid eorum ſit, pars tantum quædam erit. Igitur neque forma quædam talis eſt, neque potentia quædam. Neque rurſus eſt cunctæ, quæ ibi fiunt exiſtuntque, formæ atque potentiæ: ſed oportet ſuper omnes extare potentias atque formas. Eſt ergo principium ipſum ſpecie vacans, non ita quidem, ut indigeat forma, ſed potius a quo omnis forma intellectualis exoritur.*

Quod

Quod enim factum est, si modo fiebat, oportuit aliquid effici: ideoque propriam accepit formam: quod autem a nullo factum est; nimirum neque factum est aliquid. Hoc igitur nullum Entium est, & Entia cuncta: nullum quidem, quia posteriora hoc Entia sunt: cuncta vero, quoniam ex ipso nascuntur. Cum vero facere omnia possit, quam in se habeat magnitudinem? an forsan erit immensum? verum si immensum, magnitudinem habet nullam. Magnitudo enim in rebus solum postremis habet locum. Jam vero oportet ipsum magnitudinis effectorem NB. non esse participem magnitudinis. Quin etiam ipsa, quæ dici solet essentiæ magnitudo, non est quantitas ulla. Habere procul dubio potest, quod post illud est, magnitudinem. Magnitudo vero illius est, nihil eo potentius esse, nihil æquari posse, cum illo. Quo enim ex suis illi æquari quis possit, cum nihil possideat idem? præterea quod dici solet, Deum per omnia secula perque universum ubique regnare, neque significat in Deo mensuram, neque vastam rursus immensitatem: alioquin quonam pacto reliqua metiretur? neque igitur figuram ullam in eo fingere decet. Hactenus *Plotinus* & cum his omnibus consPirat sententia *Platonis*. In *Dissertatione mea de Atheismo Platonis* probavi ipsius *Platonis* verbis, Numen quod causa est omnium sapientissimum, esse optimum, idem motum omnibus dedisse, atque ad certos fines cuncta disposuisse. Hæc omnia ita sunt comparata, ut *substantiæ alicujus intellectualis proprietates clarissime pandant.* Clarius adhuc mentem suam hac ipsa de re aperit *Plato in Phædone* pag. m. 31: Quæstio est de natura mentis; quærit *Socrates* utrum ejusdem naturæ sit mens cum corpore. Ἰωμεν, inquit, δη ἐπι ταυτα ἐφ' ἁπερ ἐν τῳ ἐμπροσθεν λογῳ. αὐτη ἡ ἐσια, ἡς λογον διδομεν τε ἐιναι, και ἐρωτωντες και ἀποκρινομενοι, ποτερον ὡσαυτως ἀει ἐχει κατα ταυτα, ἡ ἀλλοτ' ἀλλως; αὐτο το ἰσον αὐτο το καλον αὐτο ἑκαστον, ὁ ἐστι το ὀν, μη ποτε μεταβολην κὴ ἠντινα ἐνδεχεται, ἡ ἀει αὐτων ἑκαστον, ὁ ἐστι μονοειδες ὀν αὐτο καθ αὐτο ὡσαυτως κατα ταυτα ἐχει, κὴ ἐδεποτε ἐδαμη ἐδαμως, ἀλλοιωσιν ἐδεμιαν ἐνδεχεται. Ὡσαυτως ἐφη ἀναγκη ὁ Κεβης, κὴ κατα τα αὐτα ἐχειν ὠ Σωκρατες. i. e. *Redeamus jam ad illa, ad quæ in superiore disputatione recessimus. Ipsa essentia, cujus interrogando respondendoque definitionem hoc ipsum quod est assignavimus, utrum eodem modo & secundum eadem se semper habet? an alias aliter? videlicet & ipsum æquale, ipsum pulchrum, ipsum unumquodque quod est Ens, utrum mutationem aliquam ipsa recipiunt, an ipsorum unumquodque semper id quod est uniforme existens ipsum per se ipsum eodem modo & secundum eadem se habet, neque unquam, neque usquam, neque ullo pacto mutationem aliquam suscipit? necesse, o Socrates, hæc, in-*

inquit Cebes eodem modo & secundum eadem se semper habere. Postea animam omniaque intellectualia inter ea refert, quæ *simplicia*, quæque *eodem modo* semper se habent, corpora vero inter ea, quæ *tangi*, *videri*, *sensibus attingi* possunt. Paucis interjectis *Cebes* ita pergit. *Arbitror equidem, o Socrates, quemlibet vel indocilem prorsus & pertinacem ex hac discursione concessurum, animam per totum, ac per omne, similiorem esse ei, quod semper eodem modo est, quam opposito. Quid autem corpus? alteri speciei. Considera rursus hoc pacto. Quamdiu in eodem sunt anima atque corpus, hoc quidem servire atque subesse natura jubet; hanc vero præesse ac dominari. Secundum hæc rursus utrum tibi videtur, simile esse divino, utrum mortali? An non putas divinum quidem tale esse natura, ut præsit & ducat: mortale vero ut subjiciatur, ac serviat? puto equidem. Utri igitur horum anima est similis? Constat, o Socrates, animam quidem similem esse divino, corpus vero mortali.* Tandem quæ inde consequantur, aperit: σκοπει δη εφη, ω Κεβης, ει εκ παντων των ειρημενων ταδε ημιν ξυμβαινει. τω μεν θειω, και αθανατω, και νοητω, και μονοειδει και ἀδιαλυτω, και ἀει ὡσαυτως και κατα ταυτα ἐχοντι ἑαυτω ὁμοιοτατον εἰναι ψυχην. τω δ' ἀνθρωπινω και θνητω, και ἀνοητω, και πολυειδει, και μηδεποτε κατα ταυτα ἐχοντι ἑαυτω ὁμοιοτατον αὐ εἰναι σωμα. i. e. *Animadverte jam, o Cebes, num hæc ex omnibus, quæ dicta sunt, consequantur. Videlicet ipsi divino, immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo & secundum eadem seipsum habenti, animam esse simillimam; humano vero mortali, nec intelligibili, multiformi, dissolubili, nunquam eodem modo sibimet se habenti, simillimum esse corpus.* Alia loca *Platonis* adducere nolo: universa enim facies Philosophiæ Platonicæ satis superque ostendit, τα νοητα a τοις ἀισθητοις prorsus esse diversa: quod si igitur loca adducta ad rectæ ratiocinationis leges exigamus, necessario ex iis colligere debemus, Deum, *mentem præstantissimam, ab omni materiæ labe esse secretum.* Quod si ab altera parte *Platonis* cogitata de *materia* evolvamus, patebit, *proprietates corporum* secundum Philosophi hujus mentem, prorsus esse *diversas.* Notum est *Socratem* & *Platonem* in sententiam *Heracliti* concessisse, adserentis, *materiam in perpetuo fluxu esse, instabilem, neque eodem semper modo se habere.* Præter allatum *Platonis* locum innumera adsunt hujus rei testimonia. Paucis tantum erimus contenti. *Laërtius Lib. 2. de Sententia Platonis.* ἀισθητον το μηδεποτε ἐν τω ποιω μηδε ποσω διαμενον, ἀλλα ἀει ῥεον και μεταβαλλον, νοητον δε ἐξ ὁ μηδεν ἀπογινεται μηδε προσγινεται. In *Timæo* non semel de *corpore* tanquam *re omnium imperfectissima*

ma loquitur. *S. Empiricus* Lib. 3. cap. 5. pag. 142. Edit. *Fabricii* idem testatur: παρ' ὁ καὶ Πλατων, *inquit*, γινομενα μεν, ὀντα δε ȣδεποτε καλει τα σωματα. Unde & *Plato vocat corpora quæ gignantur quidem, nunquam autem sint.* Vide ibi *Cl. Fabricii notas.* Idem ex *mente Platonis* perhibet *Euseb præp. Ev. Lib. XI. cap 9. p. 523* ut jam de cæteris Platonicæ Philosophiæ Sectatoribus nihil dicam. (*) Quod si igitur hæc in *Summam* colligamus, & quæ de *materiæ natura* & *proprietatibus* in universum omnes testantur, perpendamus, nihil aliud inde concludere licet, quam *diversissimas esse substantias, intelligentes, & materiales*, atque adeo ex *mente Platonis* non *unicam tantum dari substantiam*, secus ac *Cl. Gundlingius* contendit.

XI. Antequam ulterius hanc ipsam thesin nostram probemus, audiemus, quid contra hanc assertionem nostram in medium adferat D. Gundlingius Sect. IV. *Distinctionem illam Platonis intelligibilis & sensibilis nihil asserit probare, inde enim nondum sequi, Deum Platonem cum materia non confudisse; observandum intelligentiam dari in omnibus rebus, & natura naturata: distinctionem in sola ratione occurrere.* Sed *hac distinctione* nolui probare, *Platonem* Deum cum materia non confudisse, sed hoc tantum, *Platonem* accurate τα νοητα, a τοις αἰσθητοις *distinxisse, atque diversis illis apellationibus duas inter se distinctissimas substantias denotare voluisse.* Hoc cum ex ipsis vocibus ȣσιας, ἀρχων, proprietatibus item utriusque substantiæ ostendi possit, sequitur necessario, duo illa substantiarum genera ex mente *Platonis* distincta esse. Distinctio illa *naturæ naturantis*, & *naturæ naturatæ*, quam *D. Gundlingius* inculcat, nititur sensu *Spinozæ*, qua usus est. Cum autem materia in systemate hujus Viri, pars sit ad Essentiam Dei pertinens, & præcisione mentis tantum a Deo separata, aliunde probandum est, *Platonem* materiam eo sensu a Deo distinxisse. Utrum autem *Plato* cum *Spinoza* omnia in unam massam, seu substantiam confuderit,

 infra

(*) Præter ea, quæ infra Sect. XV. de phrasi Platonicorum, qua materiam aliquando inter τω ȣκ ὀντα referunt, dicentur, confer Windetum de vita functorum statu p. 24 Ed. Crenii. dignus etiam est locus Cl. Alexandr. Stromat Lib. V. pag. 591. ἀλλα ὑλην ȣποτιθενται οἱ φιλεσοφοι ἐν ταις ἀρχαις. οἱ τε Στωικοι, και Πλατων, και Πυθαγορας, ἀλλα και Αριστοτελης ὁ Περιπατητικος. ȣχι δε μιαν ἀρχην. ἱστωσαν ȣν την καλȣμενην ὑλην ἀποιον και ἀσχηματιστον λεγομενην. προς αὐτων και τολμηροτερον ὑδε μη ὀν προς τȣ Πλατωνος ἐιρησθαι. i. e. *Materiam ponunt Philosophi & Stoici & Pythagoras, quin etiam Aristoteles Peripateticus; non autem unum principium. Sciunt ergo eam, quæ vocatur, materiam, quæ ab ipsis dicitur expers qualitatis & figuræ, audacius quoque a Platone dictam esse, id quod non est.*

infra disiciemus. *Sect. CII. D. Gundlingius* probare vult, *Deum Platonis ex ignea constare substantia*, provocat ad *Justinum M. Laërtium, fragmentum Attici apud Eusebium, & Eruditum Gallum.* Examinemus singula. *Justini M.* locus extat *cohort. ad Gentes.* p. m. 6. in quo *B. Martyr* ita ait: Πλατων μεν γαρ, ὡς ἀνωθεν κατεληλυθως, καὶ τα ἐν ἑρανοις ἁπαντα ἀκριβως μεμαθηκως και ἑωρακως τον ἀνωτατω θεον ἐν τῃ πυρωδει ἑσιᾳ ειναι λεγει. i. e. *Etenim Plato, perinde ac si cœlitus descenderit, atque ea quæ sursum sunt, accurate didicerit, ac perviderit omnia, summum Deum in ignea essentia esse dicit. Sed aliud mea opinione est, dicere, Deum esse seu habitare in ignea substantia, aliud Deum constare ex igne. Prius*, non *posterius* dixit *Justinus.* Hinc idem pag. sq. asserit, Platonem *tria principia* adstruxisse, *Deum nempe, materiam & ideam.* Deum interim in ignea quadam habitare substantia, crediderunt quidam Orientalium. S. Scriptura ait, Deum habitare in luce inaccessibili. 1. Tim. 6. v. 16. ad quem locum conferatur *Vitringa Obs. Sacrar. L. V. cap. 16. pag. 216. Spanhem. ad Callimach. pag. 612.* Si *Jamblicho* credimus, *Ægyptii & Chaldæi* (verba sunt *Viri Summi Joh. Clerici* in notis ad Exod. cap. 3. v. 2.) *inter alias species, sub quibus humana præstantiores naturæ se se hominibus conspiciendas præbent, igneam esse & varia flammæ discrimina pro naturæ sub ea latentis præstantia observarant. Sic ille inter alia sect. 11. cap. 4. de Mysteriis*: το μεν των Θεων πυρ ἀῤῥομον, αφθεγκλον ἐκλαμπει, καὶ πληροι τα ὁλα βαθη τε κοσμε, το δε των Ἀρχαγγελων ἀμεριςον μεν, ἐχον δε περι ἑαυτο, καὶ προ ἑαυτε περοπομπευον, καὶ μετ' ἑαυτο συνεπομενον πολυ πληθος θεωρειται. Το των Ἀγγελων διηρημενον πυρ, πλην ἐν ταις γε τελειοταταις ἰδεαις διαφαινεται. i. e. *Deorum ignis individuus ineffabilisque emicat, impletque totum cœli profundum. Archangelorum vero ignis etiam individuus, habens circa se, aut ante se præeuntem, vel post se sequentem magnam multitudinem cernitur. At angelorum ignis divisus est, attamen in perfectissima specie adparet.* Nimirum Veteres contemplatione solis & astrorum in admirationem rapti, credebant nihil his excellentius esse; probabile igitur esse, Deum ejusmodi splendidissima *luce*, tanquam *vehiculo* quodam ornatum. Forte etiam putabant, nullas esse substantias, ab omni prorsus vehiculo corporeo liberas, quæ modernorum etiam quorundam sententia est. Ita nuper demum *Eruditissimus mihique faventissimus Vir, Lud. Bourget in Epistolis Philosophicis Amstelodami* editis, existumat, *omnes substantias intellectuales, excepto Deo, subtili aliquo corpore vestitas esse.* Hæc, uti nollem temere rejicere,

cere, ſic nec adprobare vellem. (*) Quod ſi igitur *Plato* credidiſſet, Deum, ab omni materia ſecretum, ſplendidiſſima tamen quadam luce, tanquam vehiculo, inſtructum eſſe, aſſeruiſſet quidem aliquid, quod probare perſpicuis argumentis non potuiſſet, ſed ideo Deum cum materia haud confudiſſet. *Diog. Laërtii locus*, ad quem *D. Gundlingius* provocat, extat *Lib. 3. p. 87.* in quo *Laërtius* adſerit, *Platonem* dixiſſe, Θεȣς μεν ȣ̓ν ἐχειν το πολυ πυρινȣς, *Deos quidem majori ex parte igneos ipſum continere.* Sed qui *antecedentia* & *conſequentia* legit, facile videbit, hunc locum *prorſus nihil ad rem facere.* Sermo ibi eſt de *aſtris*, quæ *Plato*, ut notum eſt, Θεȣς adpellavit. Hinc ſtatim in ſequentibus ait, γην πρεσβυτατην ειναι των ἐν τῳ ȣ̓ρανῳ Θεων. Ut jam non dicam, *Laërtium Deum a materia*, ex mente *Platonis*, *clariſſime diſtinxiſſe. Tertio* provocat *Cl. Gundlingius* ad *Anonymum Gallum*, qui adſerit *Platonem* cum *Heraclito* profeſſum, Deum ex igne conſtare. Utrum teſtimonia attulerit *doctus ille Gallus*, nec ne, ego quidem neſcio. Sine illis autem auctoritas nihil valet heic loci. *Heraclitum* credidiſſe materiam & mundum ex minutiſſimarum, & rapidiſſimarum particularum compoſitione conſtare, equidem certum eſt; ſed nullum aliud adjeciſſe principium, hoc eſt, quod negamus. Hactenus ſaltem nondum vidi ſubverſa argumenta, quæ in medium adtulit *Clariſſimus Theologus Olearius* ὁ νυν ἐν ἁγιοις. *Baylius* equidem *in Continuat. des penſées ſur les Cometes p.* 495. idem cum Erudito illo *Gallo* & *Gundlingio* ſentit, imo ad marginem diſſertationum *Cl. Olearii* meminit, ſed ſicco pede transmittit tamen rationes a *Celeberrimo Viro* adductas. *Ultimus* tandem *locus* extat *apud Euſeb. præp. Evang. LXV. cap.* 8. *p.* 806. diſputat ibi *Atticus Platonicus* contra *Ariſtotelem.* Inter alia dicit: ὁ μεν (Plato ſcilicet) φησι τα κατ' ȣ̓ρανον την πλειςην ἰδεαν ἐκ πυρος ἐχειν. *Cœleſtium quippe rerum ſpeciem maxime Plato facit ex igne.* Sed nemo non videt, *de Dei natura ſermonem non eſſe*, ſed de *aſtris.* Hinc in notis ad h. l. *Doctiſſimus Vigerus* ſequentia addit: *Plato in Timæo pag.* 530. *quatuor animantium ideas conſtituit: primam* ȣ̓ρανιον θεων γενος. *Secundam* πτηνον ϗ ἐροπορον. *Tertiam* ἐνυδρον ἐιδος. *Quartam* πεζον ϗ χεροσαιον. *Tum*

(*) Non alienus a noſtra ſententia videtur Doctiſſimus *Moshemius in notis ad Cudworth* pag. 1011. dicens. Certus ego ſum, Platonem ab hac craſſa & mutabili, ex quibus corpora conſtant, materia Deum prorſus abſtraxiſſe; nec ut illis aſſentiar, a me impetro, qui contrarium nobis perſuadere volunt, quo commodius in Atheorum numerum Philoſophum hunc referant. At idem nihilo tamen minus vix dubito, quin Eum ſubtiliſſimæ, ſimpliciſſimæ, ac individuæ cujusdam materiæ participem fecerit. Vide reliqua in hoc loco.

Tum de prima. τε μεν ἐν θειᾳ, την πλειστην ἰδεαν ἐκ πυρος ἀπειργαζετο, ὁπως οἱ λαμπροτατον ἰδεων τε καλλιστον εἰη. *Addunt Proclus & Alcinous, Platonem sentire, ex Elementorum flore ac veluti deliciis, excellentissimum illud corpus esse conflatum, sic tamen, ut in hac temperatione principem ignis locum obtineret.* Hactenus *Vigerus.* Ex quibus patet loca a *D. Gundlingio* adducta *minime* probare *Deum ex igne* constare.

XII. Antequam probemus, Deum ex mente *Platonis* cum materia conjunctum non esse, ulterius probabimus *Platonem* non *unam tantum dari substantiam* credidisse. *Spinoza* quidem adseruit *unicam* dari substantiam, unicum Numen, sed hæc ipsa substantia ex *infinitis substantiis*, in unam quandam massam confusis, constat. Omnia singularia corpora, & substantiæ intellectuales, sunt modificationes tantum, magnæ illius substantiæ. Potius igitur dicendum, infinitas numero substantias conficere Deum *Spinozæ*, quam unicam dari. Unicum autem dari, præstantissimum, optimum, sapientissimum Numen, ex mente *Platonis*, probavi in *Dissert. mea. Auctor Gallus de l'Histoire de la Philosophie payenne*, *Hagæ Comitum* ante aliquot annos editæ p. 119. multis testimoniis *Plutarchi*, *Jamblichi*, *Plotini*, *Porphyrii*, *Hieroclis* idem probat. Loca ipsa adducere nolo. Probavi insuper, Deum ex mente *Platonis* ab omni materiæ labe secretum esse. Hoc posito sequitur necessario, *Platonem* plures una credidisse substantias. Ab *hoc unico Numine* enim solertissime distinguit *materiam*, & ita quidem, ut *æternam subsistentiam* eidem adtribuat. Possem hoc probare testimoniis *Plutarchi*, *Diog. Laërtii*, *Auctoris Philosophumen*: sed sufficit unicum *Timæi Locri testimonium*, quod extat p. 544. *Opusc. Myth.* ἰαυλαν δε ἰαν ὑλαν ἀϊδιον μεν ἐφα, ἐ μεν ἀκινησιαν, ἀμορφον δε καὶ ἀυλαν, ἢ ἀσχηματιστον, δεχομεναν δε πασαν μορφαν. Hanc *materiam* dicebat esse *æternam nec vero mobilem, & ab omni forma & figura per se immunem & liberam, quaslibet tamen formas recipientem.* Quod si igitur Deus a materia a *Platone* non solum distinguitur, sed & eidem æterna tribuitur existentia & subsistentia, per se sequitur necessario, non unicam tantum dari ex mente *Platonis* substantiam. Si enim Deus a materia nonnisi quadam mentis abstractione secretus esset, cur omnes in universum, qui *Platonis* dogmata explicarunt, tam solerter materiam a Deo distinxerunt? cur illa omnium rerum corporearum receptaculum dicitur, ex qua mundus conflatus est, si a Deo distincta non fuit? & quomodo tandem materia, quæ ab æterno substitit, demum postquam Deus eam exornare voluit, substantia facta

facta est? 2. *de Legib. Lib. X. pag. 880.* & sq. pluribus probat *Plato*, *motum originem* suam habere a *mente*, & quidem *præstantissima; corpora vero per se ad motum inepta esse*; distinguit igitur *corpora a mentibus*. Si enim Deus a materia nonnisi mentis quadam abstractione ex mente *Platonis* distinctus esset, tum sequeretur necessario materiam etiam vim movendi habere ex mente *Platonis*: atqui *impossibile* hoc quammaxime ex mente *Platonis*: prius igitur falsum etiam esse necesse est. 3. Idem probari potest ex *opinione Platonis de origine mali*. Non leviter turbabat Veteres doctrina de origine mali. Deo id adscribere ausi non sunt, quippe quem optimum, sanctissimumque esse pulchre noverant. Rejiciebant igitur originem & causam mali in materiam. Idem fecit *Plato*, quod multis testimoniis probarunt Viri Eruditi, *Thomasius*, *Wolfius*, *Brukerus*, aliique. Audiendus ipse *Plato* in Timæo clarissime dicens: βελητεις ὁ Θεος ἀγαθα μεν παντα, φαυλον δε μηδεν εἰναι κατα δυναμιν. *Voluit Deus bona facere omnia, malum autem nullum esse, quantum natura sive materia pateretur.* Idem in *Theæteto* Tom. I. Op. p. 176. ἀλλ ἐι ἀπολεσθαι τα κακα δυνατον, ὑπεναντιον γαρ τι τῳ ἀγαθῳ ἀει εἰναι ἀναγκη. *Fieri non potest, ut mala pellantur, contrarium enim aliquid bono semper esse necesse est.* Hæc *satis superque* ostendunt, *materiam*, quæ *origo mali Platoni est*, *a Deo* prorsus *discretam*, atque adeo non *unicam tantum dari substantiam*. Quod si enim *materia* nonnisi *præcisione mentis a Deo esset distincta*, cur omnes in universum fere Philosophi, cur *Plato* inprimis ad materiam confugeret? cur adeo solerter ille το ἀγαθον τα τη ἀναγκη distinxisset? annon Deus æque ac materia dici potuisset causa omnium malorum, si *realiter* illa duo principia inter se distincta non fuissent? *Scio D. Gundlingium* regerere, *Platonem* Numinis reverentia adductum, negasse, Deum malorum causam esse. Sed reverentia illa fine dubio innixa erat notionibus, quas de Numine habebat. Cum autem ipse non semel ita de Deo loquatur, ut nihil præcellentius ab homine Revelationis luce destituto, dici possit; necessario concludendum est, id inter alia ab eo eam ob causam factum, quod materiam rem viliorem esse agnoverit, quam ut ad naturam Dei pertinere possit. *Probavimus igitur, nisi fallor, perspicuis argumentis, Platonem plures una substantias agnovisse, atque adeo a Spinozæ sententia alienissimum esse.*

XIII. Progrediamur igitur & ostendamus, *Platonem Deum cum materia* prorsus non *confudisse*. Dissertat. meæ Sect. VI. pag. 851. sequentes adduxi rationes. 1. *Deum ex mente Platonis liberum esse.*

2. *Eum fines in exornatione totius universi intendisse.* 3. *Deum necessitati imperare.* 4. *Mentem nostram liberam esse, pœnæ ac præmii capacem.* 5. *Destructionem mundi a liberrima Dei voluntate suspendi.* Contra singula argumenta quædam in medium adfert *D. Gundlingius*, quæ examinanda sunt. *Sect. 5. ait: Quin nihil probat contra me, Deum Platonis voluisse materiam exornare, fingere, formare: In hoc conspirabit itidem Spinoza cum Platone. Sed decipitur Zimmermannus, dum voluntatem cum libertate, quemadmodum nos definimus, miscet, ac pro Synonymis venditat.* Sed vellem quammaxime, ut *D. Gundlingius* ostendisset perspicue, qua ratione *voluntatem* cum *libertate* confuderim. Neque enim *vestigium* hujus erroris mei deprehendere possum. *Probavi*, Deum & materiam esse duas substantias, & quidem secundum *Platonem* cœternas: *Probavi, originem motus, secundum Platonem, non a corpore repetendam; probavi, ex contemplatione materiæ, æternum per se subsistentis ex mente Platonis, necessario sequi, Deum potuisse a materia exornanda animum cohibere; exornasse tamen eam, quod consilium non potest non liberum dici quammaxime.* Per *libertatem* igitur intellexi eam mentis divinæ facultatem, secundum quam potest aliquid agere vel non agere, efficere vel non efficere; facultatem adeoque ab omni interna, & externa necessitate remotam. Talem autem in Deo fuisse ex mente *Platonis*, universa *Systematis Platonici facies ostendit.* Materia erat æterna, per se subsistens, ἀδημιούργος. Deus mens præstantissima ab omni materiæ labe secreta. Non potuit igitur ab ipsa materia ad agendum necessario impelli, quæ ne motum quidem habet secundum *Platonem.* Exornavit tamen materiam Deus ex mente *Platonis*, & quidem ad παράδειγμα, quod erat in intellectu divino. Sed quemadmodum nuda contemplatio objecti non infert necessitatem, ita nec voluntas rationibus permota subvertit libertatem. Cum igitur animum Deus ad exornandam materiam adjecit, libere hoc fecisse dicendus est, quamvis non sine rationibus. Παράδειγμα nobilissimæ menti obversabatur. Accessit secundum *Platonem bonitas.* *Rationes* igitur *fabrefaciendi mundi*, repetitæ sunt *a decentia virtutum divinarum.* Has rationes Dei intellectui obversantes si quis necessitatem inferre asserit, aut sine ratione Deum agere tueri debet, aut omnes rationes animum ad agendum inclinantes absolutam inferre necessitatem statuere? quorum utrumque absonum est. Nescio ergo, ubinam tandem voluntatem cum libertate miscuerim. Eleganti similitudine mentem meam expressit *Jac. Thomasius, Vir Hist. Philosoph. peritissimus, de Stoica mundi exustio-*

exuſtione Diſſert. 2. Sect. 10. *Platonicus, inquit, Deus Fabro ſimilis eſt, a ſylva ſua per vaſtam viarum intercapedinem diſtracto. Hic ergo quamdiu volet, quieſcit; ubi cupido veniet exercendæ artis, armatus aſcia movebit ſe ad ſylvam, & illi ſuas ideas, quantum permittet ejus aptitudo, imprimet. Ex comparatione ſententiæ de creatione* rerum omnium ex nihilo, forſan *lux* accendetur huic ipſi, de qua agimus, quæſtioni. *Deus ex noſtra ſententia* liberrimus erat, nulla naturæ neceſſitate compulſus ad mundum e nihilo creandum. *Deus ſimiliter ex Platonis mente* a materia longiſſime disjunctus, libere ad exornandum mundum animum adjecit. *In mente Dei, ſecundum nos*, erant omnium rerum poſſibilium ideæ, & ita etiam poſſibilium mundorum. *Deus in ſe habuit, ex mente Platonis, ſaltem* aſpexit pulcherrimum omnium rerum intelligibilium παραδειγμα, ad quod omnia erant exigenda. *Deus ſecundum nos* potuiſſet per omnem æternitatem tanquam perfectiſſimus & ſufficientiſſimus ſine mundo ſubſiſtere, voluit tamen virtutum ſuarum oſtendere ὑπεροχην. Creavit igitur mundum ex nihilo. *Platonis Deus contemplabatur* rudem illam & indigeſtam molem, bonus tamen cum eſſet, voluit ad pulcherrimum exemplar materiam, *quantum poterat*, exornare. Tandem etiam hoc fecit, uti integer *Platonis* Timæus evidentiſſime hoc oſtendit. Quemadmodum autem Deus *ſecundum nos* non ſine cauſa mundum fecit, ſed rationibus ſapientiſſimis adductus, minime vero neceſſario; ita nec *Platonis Deus* vel *ſine cauſa* vel *neceſſario* materiam fabricavit, ſed bonitate ſola commotus. *Libere* igitur Deus ex noſtra ſententia mundum e nihilo fecit, *libere* etiam Deus *Platonis* mundum fabricaſſe dicendus eſt. Verbo: tolle materiæ æternitatem, & quantum ad rei ſummam pertinet, nullum in utroque ſyſtemate diſcrimen erit. Non hic quæritur, *quo jure* Deus *Platonis*, materiam fabricare potuerit; ſed quid ipſe *Plato* ſenſerit ex teſtimoniis Veterum, quibus inſiſtendum eſt. Neque etiam quæritur, utrum Deus *Platonis*, pro lubitu ſemper materiæ imperaverit; fatemur enim, materiam minime ſemper voluntati divinæ obſecundaſſe, ſed hoc tantum; utrum Deus *libere nulla neceſſitate coactus* ad materiam diſponendam acceſſerit, quod in Syſtemate *Platonis* locum habere aſſerimus. Quemadmodum enim Artifex libere animum elaborandæ materiæ adjicere poteſt, licet poſtea obſervet, non ex quolibet ligno Mercurium fieri poſſe: ſic Deus Platonis *liberrime, & ſola naturæ Bonitate commotus* ad materiam exaſciandam acceſſit, licet in progreſſu, ipſa materiæ ineptitudo obſtiterit, quo minus omnia, quæ vellet, efficere potuerit; quæ quidem aſſertio

cum Omnipotentia Dei pugnat, sed primam illam Dei, mundum exornandi voluntatem necessariam minime facit. Ex hisce adeo patet, me *voluntatem* & *libertatem* minime confudisse. Sed *Spinoza*, inquit, *D. Gundlingius*, idem sentit cum *Platone*. Vellem hoc demonstrasset. *Spinoza* Propos. *XIV.* ait: *Præter Deum nulla dari, neque concipi potest, substantia.* Propos. XV. *Quicquid est, in Deo est, & nihil sine Deo esse neque concipi potest.* Propos. XVI. *Ex necessitate divinæ naturæ, infinita infinitis modis (hoc est, omnia, quæ sub intellectum infinitum cadere possunt) sequi debent.* Propos. XVII. *Deus ex solis suæ naturæ legibus, & a nemine coactus agit.* Demonstrat hanc Propositionem ita: *Ex sola divinæ naturæ necessitate, vel (quod idem est) ex solis ejusdem naturæ legibus, infinita absolute sequi, modo* Prop. *16. ostendimus, &* Prop. *15. demonstravimus, nihil sine Deo esse, nec concipi posse; sed omnia NB. in Deo esse, quare nihil extra ipsum esse potest, a quo ad agendum determinetur, vel cogatur, atque adeo Deus ex solis suæ naturæ legibus, & a nemine coactus agit.* Q. E. D. *Nemo non* videt, *Platonem* & *Spinozam* diversissimas fovere sententias: *Spinoza unicam* agnoscit *Substantiam*; *Plato Deum & materiam. Spinoza* ait, *omnia necessario ex Dei natura sequi*, atque adeo mundum ipsum; *Plato sola bonitate* commotum Deum inducit, ad *materiam* fabricandam. Observasse tamen mihi videor causam, quæ D. *Gundlingium* induxerit ad adserendum, me *voluntatem* cum *libertate* confudisse. Nimirum existumavit, me hac in parte sententiam *Cl. & Excellentissimorum Philosophorum*, *Leibnizii & Wolfii* secutum, de qua ipse pessime sentit. Sect. enim I. *Dissertat. suæ*, ait: *Spinoza*, *Plato*, *& Leibnizius cum sequacibus hac parte conspirant: quorum neuter indifferentiam in definitione libertatis comprehendi existimat, puta ut sine causa prævia mens nostra sese determinet &* ἀυτεξεσιος. Sed ea in re falsus est *D. Gundlingius*. Libertatis definitionem adhibui, quam rigidissimi libertatis defensores tuentur, ne causam sine necessitate adversariis præberem vitilitigandi. Cæterum litem illam meam facere nolo. *Injuriam* tamen fieri *Eximiis Viris* credo, quando cum *Spinoza* in eandem referuntur *classem*. Poterit autem *D. Gundlingius* hac in parte congredi cum *Illustri Wolfio*, qui, quibus fundamentis superstructa sit *Leibnizii* de hoc argumento sententia, *optime omnium novit.*

XIV. *Secundum argumentum*, quo probavi, Deum ex mente *Platonis* cum materia nullo modo conjunctum esse, desumsi *ex eo, quod Deus Platonis in fabrefaciendo mundo fines intenderit.* Contra hæc quæ-

quædam monet Sect. LI. *Permittendum*, inquit, *Spinozam negare, Deum omnia propter hominem feciſſe. Jam ut diverſum ab eo Platonem ſiſtat, locum Libri X. de legibus p. 610. excitat Apologeta, in quo reperitur, Deum univerſum non propter hominem feciſſe, ſed hominem tanquam particulam, propter univerſum.* Nihil hic intellexero, niſi hic paralogiſmum deprehendam inſignem. Plato namque *idem dicit, quod Spinoza, mundum non eſſe conditum propter hominem, & tamen regerit: Plato exiſtimat, hominem conditum eſſe propter univerſum. Egregia defenſio! Id enim nihil aliud ſonat, quam homines ſingulos pertinere tanquam partes ad univerſum, idque* ὅλον. Reſpondeo 1. *D. Gundlingius* ſententiam meam & ſcopum argumenti mei *ſciens volensque pervertit.* Sect. VII. uti inſpectio docet, probare aggreſſus ſum, Deum in exornatione univerſi *fines ſapientiſſimos intendiſſe.* Provocavi inter alia ad locum *Platonis* de legibus Lib. X. eoque adducto ſequentibus uſus ſum verbis: *Sane elegantiſſimus ille locus clariſſime oſtendit, Deum ex mente Platonis non ſolum ſingulari ſapientia cuncta ordinaſſe, ſed & ad totius Univerſi harmoniam recte perficiendam animum induxiſſe.* Plane igitur nulla quæſtio erat, utrum univerſum propter hominem, an hominem propter univerſum Deus Platonis fecerit. *In cerebro* igitur *Doctoris Gundlingii*, non meo hæret ille *Paralogismus.* 2. *Si locum Platonis* rite *introſpexiſſet D. Gundlingius*, vidiſſet, locum citatum probare, quod probandum ſuſcepi, nimirum Deum *Platonis* nonſolum *ſingularum rerum*, ſed & *totius rerum univerſitatis rationem habuiſſe*, atque adeo in exornatione univerſi *fines* intendiſſe. *Plato Lib. X. p. 610.* ſupponit, Deum non ſolum ad harmoniam totius univerſi reſpicere, ſed & ſingula ita moderari, ut ad totum relata, pulchritudinem ſummam efficiant. Hinc *Ath. Hoſpes* ita loquitur: *Sed nunc illi duo tribus nobis reſpondeant, qui licet Deos eſſe concedant, alter tamen facile placabiles, alter in rebus parvis negligentes putat, primumque ſic interrogentur. Ambo Deos aſſeritis ſcire, videre, audireque omnia; nihilque ipſos effugere poſſe eorum, quæ aut ſenſu, aut intellectu percipiuntur; bæne, ita ſe habere dicitis? An aliter?* Sic. *Deinde omnia eos poſſe, quæcunque mortales immortalesve poſſunt?* CLIN. *Absque dubio ita eſſe concedent.* Athen. *Bonos etiam imo optimos eſſe omnes quique confeſſi ſumus.* CLIN. *Omnino.* Athen. *Nulla ergo pigritia, nulla mollitie capi eos poſſibile: quando, quidem tales ſunt, quales eſſe conſenſimus. Nam a timiditate in nobis otium naſcitur: pigritia vero ab otio atque mollitie.* CLIN. *Vera loqueris.* Athen. *Nullus ergo Deorum, otio pigritiaque corruptus, quicquam negligit. Nullius enim timiditatis*

tatis particeps est Deus. CLIN. *Probe.* Athen. *Ergo relinquitur, si parvas paucasque in universo negligunt, ut ita negligant, aut quia contemnenda illa esse sciunt, aut quidnam aliud reliquum est, quam hujus contrarium?* CLIN. *Nihil penitus,* Athen. *Utrum ergo, o Vir eximie, te dicere affirmabimus? an quod propter ignorantiam, cum providere debeant, non provideant? an sicut improbos homines dicimus, meliora quidem videre, sed voluptate aut dolore fractos deteriora sequi, sic Deos quamvis sciant providendum esse, similiter non providere?* CLIN. *Quomodo id fieri potest?* Athen. *Præterea res humanæ, viventis naturæ participes sunt: & homo ipse præ cæteris animalibus Dei cultor diligentissimus est.* CLIN. *Apparet.* Athen. *Quin etiam mortalia cuncta viventia a Diis fieri possiderique, quemadmodum & cœlum universum dicimus.* CLIN. *Procul dubio.* Athen. *Jam ergo seu parva hæc sive magna quis dixerit Diis esse, nullo modo cum providentissimi atque optimi sint, negligenda sibi sua possessio est.* Paucis interjectis quærit Athen. *Quid vero? cum Medicus totum corpus curare velit ac possit, si magnis providerit, parva contemserit, an bene huic unquam se totum habebit?* CLIN. *Nunquam.* Athen. *Sed nec Gubernatores, nec Imperatores, nec Patresfamilias, neque civitatum moderatores, neque ulli omnino tales, paucis parvis neglectis recte multa & ingentia gubernabunt. Nam lapides quoque magnos sine parvis bene strui negant Architecti.* CLIN. *Certe.* Athen. *Caveamus autem, ne Deum mortalibus opificibus viliorem putemus. Isti sane quanto peritiores sunt, tanto arte una in propriis eorum operibus & parva simul & magna exquisitius absolutiusque perficiunt, Deus vero, qui Sapientissimus est & curare potest ac vult: magnis quidem providebit solum, parva autem, quæ facilius gubernari possunt propter pigritiam & ignaviam negliget?* CLIN. *Nullo modo hanc Hospes de Diis opinionem admittendam putamus.* Post pauca jam sequitur ille locus in *Dissertat. mea* citatus. *Ubi observandum* Juvenem hunc existumasse, Deum *rerum parvarum*, adeoque *sui ipsius* nullam curam gerere. Nullam igitur causam esse, cur credat, *sui Deum curam unquam abjecturum.* ἐ γαρ ἀμεληθηση, *inquit*, ὑπ' ἀυτης, ἐχ ἑτω σμικρος ὠν δοση καπω το της γης βαθος, ἐδ' ὑψηλος γενομενος εἰς τον ἐρανον ἀναπτηση. i. e. *Nunquam ab eo negligeris, nec si ita parvus sis, ut in terræ profundum progrediaris, nec si adeo sublimis fias, ut pennis elatus in cœlum voles. Præterea observandum*, quod in hoc loco monet *Plato.* Nimirum Deum non solum singulorum hominum curam gerere, sed & *actiones* ipsorum neque *bonas* neque *malas* ipsum fugere. *Rex ille noster*, inquit Hospes Athenienſis,

nienſis, *actiones omnes hominum animatas eſſe perſpexit, multamque ipſas in ſe virtutem, multam etiam pravitatem habere, quodve factum eſt, animam & corpus, perditionem non pati, neque tamen æternum eſſe, qua lege Dii ſunt: nam ſi alterutrum horum perderetur, omnis ceſſaret animalium generatio: præterea quod ipſius animæ bonum eſt juvare, quod malum contra nocere: hæc inquam omnia quoniam perſpexit, excogitavit, ubi pars quæque locata maxime, optime, facillimeque virtuti victoriam, vitio vero, ne vincat, impedimentum in univerſo præbere poſſet.* Quod ſi igitur hæc omnia ex rectæ ratiocinationis legibus dijudicemus, patet evidentiſſime, *Platonem* adſeruiſſe 1. *In Deo fuiſſe παραδειγμα rerum pulcherrimarum.* 2. *Ad id Exemplar voluiſſe mundum condere.* 3. *Deum Sapientiſſimum fines intendiſſe, reſpiciendo, tum ad totius univerſi harmoniam, tum ad ſingularium actionum & hominum ſtatum, quatenus ad univerſi ſalutem ſingula facere poſſunt.* Hinc etiam Deum *Medico* confert, qui παντος ἑνεκα παντα ἐργαζεται προς τα κοινη ξυντεινων βελτιςα. Num autem talis *fines* intendere dicendus eſt? putaverim equidem. Verum eſt, *Platonem* in hoc loco adſerere, hominem eſſe particulam univerſi. Idem poteſt dicere *Spinoza, ſed non eodem ſenſu. Plato* hominem conſiderat tanquam *ſubſtantiam prorſus a Deo diverſam*, ſubſtantiam ad *certos fines* conditam, *ſubſtantiam, cujus* curam gerat Deus non minus quam *univerſorum.* In *Syſtemate Spinozæ* homo non eſt niſi *modificatione* quadam, uti loquuntur Scholaſtici, *a Deo diſtinctus, pars eſt Dei* æque neceſſaria ac ipſe Deus, *neceſſario talis*, qualis eſt; duo ergo cum *idem* dicunt, non *idem* tamen ſentiunt. In *Epinomide* pag. 638. idem, quod in loco citato legum profitetur *Plato*: nam poſtquam dixiſſet, ſolem terra longe majorem eſſe, addit: λαβωμεν δη τις τροπος ἀν ἐιη, τοσουτον περιφερειν ὀγκον τινα φυσιν τον ἀυτον ἀει χρονον, ὁσον καὶ νυν περιφερεται. Θεον δη, φημι, το μεν ἀιτιον ἐσεσθαι, καὶ ὀ ποτ' ἑτερως ἐιναι δυνατον. ἐμψυχον μεν γαρ ὀ ποτε γενοιτ' ἀν ἑτερως, πλην δια θεον, ὡς ἡμεις ἀπεφηναμεθα. ὁτι δε τουτο ὁιος τε ἐςι θεος, ἁπασα ἀυτῳ ῥαςωνη γεγονε, του πρωτου μεν ζωον γεγονεναι παν σωμα, καὶ ὀγκον συμπαντα. ἐπειτα ἐιπερ ἀν διανοηθη βελτιςα, ταυτη φερειν. νυν δη περι ἁπαντων τουτων ἑνα λογον λεγοιμεν ἀληθη. ὀκ ἐςι γην τε καὶ ὀρανον, ἁπαντας τε ἀςερας, ὀγκους τε ἐκ τουτων ξυμπαντας μη ψυχης προς ἑκαςῳ γενομενης, ἡ καὶ ἐν ἑκαςοις, εἰς ἀκριβειαν κατ' ἐνιαυτον ὑτω πορευεσθαι, κατα μηνας τε καὶ ἡμερας, καὶ ξυμπαντα τα γινομενα, ξυμπασιν ὑμιν ἀγαθα γιγνεσθαι. δει δε ὁσῳ φαυλοτερον ἐς' ἀνθρωπος, μη τι ληρουντα γε, σαφως δε τι λεγοντα φαινεσθαι. ῥυμας μεν ὀν ἐι τις ἀιτιας τινας ἐρει σωματων ἡ φυσεις, ἡ τι τοιουτον ὀδεν σαφες ἐρει. i. e.

Cogite-

Cogitemus igitur, quomodo fieri possit, ut tanta magnitudo ab aliqua natura possit tanto tempore circumferri: Ego igitur assero, Deum causam esse, nec aliter fieri posse. Animatum enim non aliter, quam propter Deum fieri posset, ut nos declaravimus. Quoniam ergo id Deus facere potest, facile ipsi fuit primum omni corpori magnitudinique vitam tribuere: deinde qua ratione optime fieri cogitarit, hac ducere. Demum de his omnibus veram hanc sententiam ferri volumus; impossibile esse terram, cœlum stellasque omnes, & quæ ex his constant moles, nisi anima aut singulis adsit aut insit adeo exquisita ratione annis, mensibus diebusque circumvolvi, nobisque omnibus bona omnia facere. Hominem vero decet, quo vilior est, eo minus de ipsis nugari; sed conari potius certi aliquid dicere. Si quis autem impetus corporum aut naturas, aut hujusmodi quicquam ordinis hujus agitationisque causam esse dicet; perspicuum nihil adducet. Idem sentiunt Platonici Juniores. *Plotinus* Ennead. III. Lib. 2. cap. 1. Sect. 3. *argumentatur ab ordine universi, & insipientes* eos pronuntiat, qui ex *parte de toto judicant*, Deumque cuncta ordine non digessisse dicunt, quod in hac vel illa parte eum non observent. Idem Ennead. 4. Lib. 4. cap. 9. ita ait: ὁ δὲ δὴ παντὰ κοσμῶν Ζευς, καὶ ἐπιτροπευων καὶ διατιθεις, εἰς ἀει ψυχην βασιλικην καὶ βασιλικον νεν ἐχων, καὶ προνοιαν ὁπως γιγνοιτο καὶ γινομενων ἐπισασιαν, καὶ ταξει διοικων. καὶ περιοδες ἐλιττων πολλας ἠδη καὶ τελεσας, πως ἀν ἐν τετις ἁπασι μνημην ἐκ ἐχει, ὁποσαι τε ἐγενοντο καὶ οἱαι αἱ περιοδοι. καὶ ὡς ἀν καὶ ἐπειτα γενοιτο, μηχανωμενος καὶ συμβαλλων καὶ λογιζομενος, μνημονικωτατος ἀν εἰη παντων, ὁσῳ καὶ Δημιεργος σοφωτατος. i. e. *Jupiter autem exornans omnia & moderans, & disponens, semper animam regiam mentemque regiam possidens, & qua ratione unumquodque fiat, providentiam & in ea quæ fiunt, Imperium. Præterea circuitus multos evolvens, multosque inceptos jam ad finem usque perducens, cur non in his omnibus memoriam habeat, recordatus scilicet, quot & quales revolutiones actæ jam fuerint: rursusque quemadmodum imposterum fiat, machinans & conjiciens & excogitans, atque ita maxime omnium memor erit, eoque magis quo & sapientior Architectus.* Hactenus Plotinus. Aliorum loca brevitatis causa omitto. (*) 3. Si cum his jam *conferamus Spinozæ cogitata* de *finibus*, patebit, *Platonem & Spi-*

(*) Addam heic Causæ finalis definitionem, quam in Gorgia pag. 467. Plato exhibet: ἀλλοτι ἐν ἐτω και περι παντων; ἐαν τις τι πραττη ἑνεκα τε, ε τετο βελεται ὁ πραττει, ἀλλ' ἑκεινο ε ἑνεκα πραττει. i. e. Nonne & hoc de omnibus constituendum est? Si quid agat alicujus causa, non hoc vult, quod agit, sed illud cujus causa agit.

Spinozam plane *diversissima* hac in parte sentire. Propos. XXXII. ait: *Voluntas non potest vocari causa libera, sed tantum necessaria. Hinc sequitur per Corollarium primum Deum non operari ex libertate voluntatis.* Sequitur 2. *voluntatem & intellectum ad Dei naturam ita se habere, ut motus & quies; & absolute ut omnia naturalia, quæ* (per Propos. 29.) *a Deo ad existendum & operandum certo modo determinari debent.* Prop. XXXIII. *Res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quam productæ sunt.* Prop. XXXIV. *Dei potentia est ipsa ipsius essentia.* Prop. XXXV. *Quicquid concipimus in potestate Dei esse, id necessario est.* Prop. XXXVI. *Nihil existit, ex cujus natura aliquis effectus non sequatur.* Hanc autem Propos. ita demonstrare vult. *Quicquid*, inquit, *existit, Dei naturam, sive essentiam certo & determinato modo exprimit* (per Propos. 25.) *hoc est* (per Prop. 34.) *quicquid existit, Dei potentiam, quæ omnium rerum causa est, certo & determinato modo exprimit, adeoque* (per Propos. 16.) *ex eo aliquis effectus sequi debet.* Q. E. D. His Propositionibus subjecit appendicem, in quo varia (uti ait) *præjudicia* subvertere vult. Inter illa autem pag. 34. refert *communem hominum opinionem adserentium, omnes res naturales, ut ipsos, propter finem agere;* imo *ipsum Deum*, omnia ad certum aliquem *finem* dirigere. Hanc deinde sententiam subvertere argumentis quibusdam nititur, & tandem pag. 36. ita loquitur: *Ut jam autem ostendam, naturam finem nullum sibi præfixum habere, & omnes causas finales nihil nisi humana esse figmenta, non opus est multis. Credo enim, id jam satis constare, tam ex fundamentis, & causis, unde hoc præjudicium originem suam traxisse ostendi, quam ex* Propos. 16. *& Corollario* Propos. 32. *& præterea ex iis omnibus, quibus ostendi, omnia NB. naturæ æterna quadam necessitate, summaque perfectione procedere.* Ex allatis *Spinozæ* dictis *meridiana luce clarius* est, omnes *fines* ab eo proscribi, cunctaque ex mente hujus Athei *necessario ex natura divina* exorta esse, atque eum plane a *Platone* dissentire. Hæc mea opinione sufficere possent ad probandum, Deum *Platonis* fines intendisse, non item *Spinozæ*. Sed ut vel *reluctantes* vim argumentorum meorum sentiant, loca quædam ex *Platonis* Timæo addam, quæ clarissime idem probant. Pag. 709. Vers. Fic. ita inquit: *Volens itaque Deus omnium, quæ intelligi possunt, pulcherrimo & undique absoluto mundum hunc simillimum reddere, animal unum ipsum effecit, aspectui subjectum, animalia cuncta naturæ suæ convenientia intra suum limitem continens.* *Ibid.* paulo infra. *Ex omni igne, aëre, aqua, terra, ipsius Faber ita ipsum composuit, ut nullam cujusquam istorum partem*

tem aut vim extra relinqueret. Idque ea ratione fecit, primum quidem, ut totum hoc animal, quammaxime perfectum ex perfectis partibus esset. Deinde, ut esset unum, cum nihil extra relictum fuerit, ex quo alterum generetur. Postremo, ne quis ipsum morbus, aut senectus attingeret. Pag. 711. *Cum igitur hoc a se factum sempiternorum Deorum pulchrum simulacrum moveri & vivere Pater ille, qui genuit, animadverteret, delectatus est opere, & hac ductus lætitia opus suo multo magis primo illi exemplari simile reddere cogitavit. Itaque quemadmodum illud sempiternum animal est, ita universum hoc pro viribus tale facere statuit. Illius quidem animalis æterna natura est, quod genito operi congruere omnino non potest. Idcirco imaginem ævi mobilem effingere decrevit, ac dum cœlum exornaret, fecit æternitatis in unitate manentis æternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus. Dies porro & noctes & menses & annos, qui ante cœlum non erant, tunc nascente mundo nasci jussit, quæ omnia temporis partes sunt.* Pag. 712. *Hac ratione consilioque Dei tempus creare volentis sol & luna, & aliæ quinque stellæ, quæ vocantur erraticæ, factæ sunt, quo temporis numerus distinguatur atque observetur.* Eadem pag. paucis interjectis. *Sed quia mundus hic nondum animalia omnia inter suum ambitum continebat, ex ea parte deficiebat ad illud Exemplar imaginis hujus similitudo. Hoc igitur quod deerat, superni illius exemplo Deus explebat. Quot igitur & quales mens ideas, in eo quod est animal inspicit, totidem & tales hoc mundo contineri oportere excogitavit.* Pap. 715. Ad hominis progenerationem progreditur. *Nunc vero, inquit, de prima hominis compositione exactius differendum ac probabili ratione monstrandum, qua causa & Providentia Deorum singula membra corporis ad singula animæ officia sint accommodata.* Pergit deinde ad singula hominis membra. Si hæc non ostendunt, Deum ex mente *Platonis fines* intendisse, frustra ad Veterum monimenta provocamus. *Allatis enim testimoniis nihil* potest adferri *evidentius.* Hinc quid de assertis *D. Gundlingii* sentiendum sit, satis constat. *Spinoza, inquit, pag. 252. omnia perfectissime condita a suo affirmat Deo: nec quidquam offendi in natura naturata, quod non inveniat ac trahat aliquid ad sui commodum, sed prorsus esse diversum thema, an ea commoda primario sibi proposuerit Deus, hicque finis eum determinaverit ad agendum? posterius Plato inficiatur non minus quam Judæus ἀθεος.* Sed quid sibi volunt illa verba *Cl. Gundlingii*, omnia ex mente *Spinozæ* perfectissime a Deo condita? num ille Deum ab universo distinxit realiter? num sejunctus fuit a materia & mundo, antequam hoc consilium caperet? num

fines

fines aliquos intendit, & res ita, non aliter, voluit efficere? num verba *Spinozæ*, omnia ex neceſſitate divinæ naturæ neceſſario oriri, ſignificant, Deum liberrime ad materiam elaborandam acceſſiſſe? *aut vera rerum prorſus vocabula amiſimus, aut nihil poteſt eſſe Cl. Gundlingii aſſertione falſius:* ut non dicam, nullum perſpicuum locum e *Platone* adferri, quo ſententiam ſuam probet. Sed pergit *Sect. LII. D. Gundlingius.* Inter alia etiam provocavi ad *conſilium, rationesque, quas* tribuit *Plato Deo* in exornando univerſo. Contra hæc excipit pag. 254. *Præterquam enim quod in Deo conſilium ac deliberatio ceſſare videtur: omniaque tanquam ſpecies & ideæ æternæ in Deo ſunt; etiam claret, actiones omnes divinas ita dici ab eo inſtitutas, illoque ordine, ut videantur ratione certa ac conſilio inſtitutæ, cum tamen ſolum ab eminenti bonitate & perfectione manent.* Sed quid ſibi volunt hæc verba, *omnia tanquam ſpecies & ideas æternas in Deo eſſe?* aut ſignificant, omnium rerum ideas in mente divina eſſe, quod ex mente *Platonis* verum eſt, ſed tantum abeſt, ut hoc probet, Deum fine ratione egiſſe, nullosque fines intendiſſe, ut nihil magis hoc ipſum confirmet. Aut per το *omnia*, *ſpecies*, & *ideas* intelligitur ipſe mundus in Deo exiſtens & cum Deo conjunctus; ſed tum manifeſto ſupponitur, quod in quæſtione eſt. Verum eſt inſuper, Deum *Platonis bonitate* ad univerſum conſtruendum commotum fuiſſe. Sed num inde ſequitur, ergo ſine cauſa, ſine ordine, ſine finium intentione egit? qui aſſerit hominem benignitate commotum ad aliquid præſtandum inductum eſſe, is non ſolum voluntatis adfectum adeſſe innuit; ſed rerum etiam, ſeu hominum, quibus bene cupit, cognitionem. Quo major autem eſt cognitio, eo præſtantius etiam eſt beneficium. At Deus *Platonis* παραδειγμα rerum efficiendarum contemplatus eſt; ad illud mundum effecit, *bonitate* inductus: Ergo non ſolum bonitas aderat, cauſa impulſiva, ſed & *ratio*, *conſilium*, verbo *fines*. Ergo non *videntur tantum* omnia ordine digeſta, ſed *ipſo opere Deus* Sapientiſſimus ita voluit.

XV. *Tertium argumentum, quo probavi, Deum ex mente* Platonis *cum materia conjunctum haud eſſe, deſumſi ex eo, quod* Plato *adſerat, Deum materiæ, & quæ inde oritur neceſſitati, imperare.* Probavi hoc teſtimoniis *Platonis*, *Plutarchi*, *Apuleji*, *Alcinoi*. Verum eſt, *Platonem* hac in parte non per omnia ſibi conſtare. Concedit enim, Deum κατα δυναμιν, quoad illa pateretur, materiam exornare, quod ſine dubio cum quadam imperfectione conjunctum eſt. Interim idem *Plato*, uti ex *Timæo* conſtat, profitetur, Deum cuncta in ordinem digeſſiſſe,

materiamque Imperio Dei subjectam esse. Omnia huc redeunt: materiam esse æternam; Deum materiam exornasse, non tamen omnia ex materia Deum efficere potuisse, eam tamen certis limitibus circumscriptam Dei Imperio subesse. Patet autem hoc clarissime ex eo, quod Deus ex *Platonis* sententia *motum dederit materiæ*, quod illa *antiquior sit, eamque exornaverit.* Locum *Platonis*, in quo hæc adserit, attuli in anteced. *Sect. Extat. Lib. X. de leg. p. 606. Laërtius Lib. 3. p. m. 86.* ait, mundum ex mente *Platonis* a Deo κατασκευασμενον. *In Epinomide* pag. 638. postquam adseruisset, Deos esse & omnium rerum curam gerere, ita pergit: ἐι δε μεμνησθε γε, ὠ Κλεινία, ἐλαβετε μεν γαρ δη καὶ ὑπομνηματω: καὶ γαρ ἠν τα ῥηθεντα τοτε καὶ μαλα ἀληθη. τοδε δε αὐτων ἠν το μεγιστον, ὁτι πρεσβυτερον ἐιη ψυχη σωματος ἁπασα παντος. ἀρα μεμνησθε; ἡ παντως τε τουτο γε. ὁ γαρ ἀμεινον καὶ παλαιοτερον καὶ θειοτερον, πιθανον ὁτι τε χειρονος καὶ νεωτερα καὶ ἀτιμωτερον, πανταχη τε ἀρχειν ἀρχομενα πρεσβυτερον, καὶ ἀγον ἀγομενα παντη. λαβωμεν δη τουτο γε, ὡς ψυχη πρεσβυτερον ἐςι σωματος. ἐι δ' ἐχει ἑτω, τογε πρωτον ἡμιν τα πρωτα της γενεσεως, πειθανοτερον ἀν ἐιη χεδον ὑπηργμενον. καὶ θωμεν δη την ἀρχην της ἀρχης ἐυχημονεςερον ἐχειν. καὶ των μεγιστων σοφιας περι θεων γενεσεως ὀρθοτατα ἐπιβαινειν ἡμας. i. e. ex versione Ficini: *Recordamini, hæc dicta esse, o Clinia! profecto ita tunc accepistis, ut meminisse debeatis, præsertim, quia maxime vera esse constitit. Omnium vero maximum illud habitum est: antiquiorem omni corpore omnem animam esse. Num recordamini? Vel maxime id quidem. Nam quod melius, id & antiquius, atque quod divinius est, id inferiore ac viliore prius est. Et similiter Dux ducto & princeps subjecto natura prius est. Id igitur admittamus, animam corpore antiquiorem esse. Quod si ita habet, quod in generatione primi primum est, verisimile profecto est, præivisse. Quare ponamus principatum principiumque, principii decentius se habere, & sic rectissime & sapientiam de Deorum generatione nos ingredi.* Doctissimus *Gallus*, qui ante aliquot annos *Historiam Philosophiæ paganæ Hagæ Comitum* edidit, postquam partem hujus loci *Platonis* citasset, ita ratiocinatur pag. 253. *Ceci ne peut se concevoir qu'en admettant un tems, ou il n'y avoit point des corps, à moins d'entendre par corps les corps arrangés: mais comme la matiere avant son arrangement n'est pas moins corps, qu'après que Dieu l'eut formée comme elle est, on peut dire avec raison, que si Platon ne pensoit pas exactement, du moins il s'exprimoit exactement, lors qu'il disoit que Dieu étoit avant qu'il y eut des corps. Si ce Philosophe eut suivi ses principes, il auroit cru que tout ce qui est sensible, a été tiré du neant.*

Assen-

Assentior *Doctissimo Viro*. Interim cum ab æternis veritatis legibus nunquam Viro candido recedendum sit, fateor, testimonium adlatum nihil aliud probare, quam Deum ex *materia præjacenti* corpora fecisse; quod ipsum tamen sufficit ad probandum, Deum materiæ vinculis nullo modo constrictum fuisse. Idem potest probari ex *origine motus*, quam in Timæo præprimis, Deo in solidum adscribit *Plato*. Testimonia notiora sunt, quam ut ea in medium proferam. Audiamus ergo, quid contra hoc argumentum moliatur *D. Gundlingius. Sect. LIV.* pag. 257. ita insurgit: *Quamvis*, inquit, *fingeremus materiam a Deo separatim extitisse, aut separatam demum fuisse statueremus: Zimmermanno profecto præsidium nullum obtinget. Est enim divinum iterum cum materia conjunctum: quod perinde erit, ac si semper mansisset materiæ affixum. Nec patrocinabitur illi, quod Deum Platonicum exornasse omnia dicitat. Hoc enim nec Spinoza abnuit. Agnoscit is pulchritudinem mundi, quæ est ornatus sane exquisitissimus. Quæritur, quomodo exornet? utrum tanquam causa immanens, an tanquam causa externa efficiens omnipotente sua virtute? posterius perspicue falsum est; siquidem persistat in opinione recta, Deum Platonicum ex nihilo mundum non creasse. Igitur illa διακοσμησις e principio manabit interno & necessario, quod accessit materiæ, quæ per se est non ens, hoc est accidens, neutiquam vero substantia.* Postremum hoc probare aggreditur loco *Porphyrii Sentent. XXI.* in quo Platonicus ille ita loquitur: *Materia variabilis, infinita* (ἄπειρος) *impotens, propterea neque ens, sed* [illegible] (ἐκ ὄν) *non ens. Neque ita non ens uti motus, sed verum non ens* (ἀληθινον μη ὄν) *simulacrum & phantasma molis, quia id est, quod primo subest moli impotens & appetitio subsistentiæ* ἔφεσις ὑποστασεως. *Ergo tum demum materia substantiam constantem & certam accipit, quando forma ex virtute divina influit. Unde Platonici eam appellarunt per se* ἀσωματον, *quæ observatio E. Grabii ad Irenæum* pag. 28. *Hactenus D. Gundlingius.* Ad hæc sequentia noto. 1. Est, *Cl. Gundlingium* identidem *supponere*, quod in quæstione est, nimirum materiam in Deo fuisse, & ex eo emanasse. Nullibi enim perspicuum locum ad hoc probandum attulit, quod conferenti *dissert.* patebit. *Mera* itidem & *precaria* suppositio est, Deum, postquam ad materiam fabricandam accessit, unum cum materia totum confecisse. Probavimus enim, Deum & materiam in *Systemate Platonis substantias esse diversissimas, Deumque libere*, nulla necessitate vel *intrinseca* vel *extrinseca* coactum, ad eam exornandam accessisse, quod nullam confusionem sane insinuat. 2. Cum Deum materiam *exornasse* dixi, eo ipso

satis clare & quidem Veterum testimoniis munitus, probavi, materiam tanquam *subſtantiam* a Deo prorsus *diversam* considerandam esse; dixi Deum *artifici ſimilem*, qui sponte ad materiam fingendam accedit. Atqui artifex ex omnium hominum sententia una cum materia non fit una subſtantia, licet in ea perficienda & elaboranda occupatus sit. De *Spinozæ Deo* idem dici posse, nemo credet, qui systema ejus intelligit. Ille enim aperte fatetur, ex necessitate naturæ omnia orta esse. *Plato* supponit παραδειγμα Deo obversans ante mundum conditum, supponit *Bonitate* sola commotum supremum omnium Dominum, ad materiam effingendam. Ergo rejicit aperte causam immanentem. 3. Materiam ex mente *Platonis* non subſtantiam esse, sed accidens probari non potest. In superioribus jam hanc sententiam *D. Gundlingii* perspicuis locis falsam esse ostendimus. Verum est, Platonicos materiam aliquando ἐκ ὀν adpellasse, sed non *eo*, quem fingit *D. Gundlingius sensu*. Nimirum ad *intelligibilia* collatam materiam ἐκ ὀν dixerunt, quod in *perpetuo fluxu* & *mutatione* esset; quod *absque causa externa definitam formam* non haberet. Hanc autem Platonicorum mentem esse vel ipse citatus locus *Porphyrii* docet. Ad eum enim provocat *Plotinus Ennead. III. Lib. VI. Sect. VII.* pag. 310. postquam enim hæc ipsa citata verba *Porphyrii* adduxisset, immediate subdit: καὶ ἑστηκος ὲκ ἐν ςασει, καὶ ἀορατον καθ' ἀυτο, καὶ φευγον το βλεπομενον ἰδειν. καὶ ὁταν τις μη ἰδῃ, γιγνομενον, ἀτενισαντι δε ἐχ ὁρωμενον, καὶ τα ἐναντια ἀει ἐφ' ἑαυτε φανταζομενον. μικρον καὶ μεγα, καὶ ἡττον καὶ μαλλον, ἐλλειπον τε καὶ ὑπερεχον, εἰδωλον. ὲ μενειν ὲ δ' ἀυ φευγειν δυναμενον. i. e. *Stans quidem non in ſtatu: ſecundum ſe indiviſibile & videre volentem effugiens: & quando quis non videt, tunc quodammodo præſens: quando vero quis intentius inſpicit, non perſpectum. Rurſus in ſe ipſo contraria ſemper apparens, parvum, magnum, minus, magis deficiens, ſuperexcedens, ſimulachrum, neque manens, neque rurſus auffugere valens.* Idem Sect. 10. hujus libri asserit, materiam accedente qualitate fieri ποιαν ὑλην. i. e. *Certam ac definitam formam*, qua antea carebat. Similiter *Plato* in Politico p. 174. το κατα τ' ἀυτα καὶ ὡσαυτως ἐχειν ἀει, καὶ ταὐτον εἰναι, τοις παντων θειοτατοις προσηκει μονοις. σωματος δε φυσις, ὲ ταυτης της τάξεως. i. e. *Idem ſemper eſſe & ſecundum eadem, & eodem modo ſe habere, ſolis omnium diviniſſimis convenit: corporis autem natura hujus ordinis non eſt compos. Diog. Laërt.* idem asserit *Lib. 3. Seg 9.* 10. quem locum supra adduximus. Adhuc citat extat *eodem Lib. 3. pag. 84.* χρηται, *inquit*, δε καὶ ταις ἐναντιαις φωναις ἐπι τε ἀυτε. το γὲν ἀισθητον

τον καὶ ὀν καλει καὶ μη ὀν. ὀν μεν δια το γενεσιν αὐτε εἰναι. μη ὀν δε, δια την συνεχη μεταβολην. i. e. *Quin etiam contrariis vocibus utitur ad idem significandum. Itaque quod sensui subjicitur, id & esse dicit, & non esse: esse quidem propterea, quod ejus est ortus, non esse, quia perpetua in mutatione versatur.* Ex quibus locis satis patet, materiam ἐκ ὀν dictam, quod *perpetuæ mutationi & fluxui obnoxia esset*, formaque destituta. Hinc Aquila illud תהו ובהו transtulit per κενωμα καὶ ἀδεν, *Theodotion* κενον καὶ ἀδεν. Nemo autem ignorat, *rudem & indigestam molem substantiam esse.* Την ὑλην *a Platonicis aliquando* ἀσωματον dici, certum est, sed non alio sensu, quam quod *definita quadam forma destituta sit.* Hinc corporibus in certam quandam formam redactis vocabulum σωματος, materiæ vero indigestæ ὑλης tribuunt. ὑλη *ergo* ἀσωματος *idem* est ac ὑλη ἀσχηματιστος. (*) Hinc Plotinus pag. 310. ἐστι μεν ἐν (ὑλη scilicet) ἀσωματος, ἐπειπερ το σωμα ὑστερον καὶ συνθετον, καὶ αὐτη μετ' ἀλλα ποιει σωμα. ἐτω γαρ τε ὀνοματος τετυχηκε τε αὐτε κατα το ἀσωματον, ὁτι ἑκατερον το, τε ὀν, ἠτε ὑλη ἑτερα των σωματων. i. e. *Est igitur incorporea, quoniam corpus posterius est atque compositum, & ipsa una cum alio complet corpus. Sic enim eandem appellationem secundum incorporeum genus sortita est, quoniam utrumque sc. Ens atque materia a corporibus diversa sunt.* Quod si igitur *materia substantia est*, vel antequam eam Deus in ordinem digessit, & libere a Deo exornata fuit, sequitur, Deum cum *materia nullo necessario vinculo conjunctum esse.* (**)

XVI. *Quar-*

(*) Plane ad nostram mentem locum *Irenæi* citat *Cl. Grabius*, unde denuo Exemplum habemus, quam ingenue *Gundlingius* ad aliorum testimonia provocet. Ita enim inter alia *Grabius pag. 38. in notis. Edit. Massueti.* Neque de dicta lectione dubitabit, qui respexerit fontem ex quo Valentiniani hanc suam hypothesin derivarunt, doctrinam inquam Platonis, quem Origenes in φιλοσοφουμενοις nondum editis dicit tria statuisse principia, Deum, materiam & ideam: & de materia ex mente ejus, ita inter alia scribit την δε ὑλην δυναμει μεν σωμα, ενεργεια δε ἀδεπον. (ecce ἀσωματον ὑλην Valentinianorum) ἀχηματιστον γαρ αὐτην ὑσαν και ἀποιον, προσλαβουσαν χηματα και ποιοτητας γενεσθαι σωμα. id est, materiam potentia quidem esse corpus, actu autem minime: sine figura enim & qualitate ipsam existentem, accepta inde utraque, corpus factam esse. Similiter D. Laërtius Lib. 3. pag 86. ex sententia Platonis ait: εἰναι δε την ὑλην ἀχηματιστον και ἀπειρον, ἐξ ἡν γινεσθαι τα συγκριματα: materiam, figurarum expertem atque immensam fuisse, ex ea vero facta esse concreta, sive composita corpora.

(**) Si Cl. Gundlingius verba, quæ immediate excipiunt locum ex Porphyrio citatum, adducere voluisset, pulchre perspexisset, quo sensu Porphyrius dixisset, materiam esse ἐκ ὀν. Ita enim in hac ipsa sententia XXI. loquitur: μικρον και μεγα, και ἠττον και μαλλον, ἐλλειπον και ὑπερεχον, ἀει γινομενον και ἐ μενον,

XVI. *Quartum argumentum, quo probavi Platonem Deum materiæ vinculis non constrinxisse, desumtum est, ex eo, quod mentem nostram liberrimam esse dixerit, pœnæ ac præmii capacem, Deumque insuper ab omnis mali culpa longissime removerit.* Probavi denuo hanc meam thesin locis *Platonis, M. Tyrii, Justini M. Eusebii.* In systemate autem *Spinozæ* omnem libertatem exulare simul ostendi. Quid ad hæc *D. Gundlingius?* Sect. L. multa contra argumentum hoc objicit, quæ ordine expendemus. *Verum tamen menti libertatem adscribit Plato. Sic enim pergis. Spinoza Deum libertate privat. Postremum non prorsus veritati congruit. Spinoza absolutam libertatem menti denegat, determinari inquit a causis, ut ut positis causis pluribus, ad hoc sese accingit, vel istud.* Mirum est a *Cl. Viro* negari, quæ *luce meridiana clariora sunt.* Adeo certum est, *Spinozam* omnem libertatem menti detrahere, ut nemo hactenus *præter Gundlingium* id in dubium vocarit. Non jam dicam, *Spinozam* adserere, unicam dari tantum substantiam, ex qua necessario omnia emanaverint; sed ipsissima tantum Athei hujus verba adponam *adeo clara*, ut sine *manifestissima detorsione* alium in sensum torqueri non possint. Eth. part. 2. Propos. 48. ait: *In mente nulla est absoluta, sive libera voluntas; sed mens ad hoc vel illud volendum determinatur a causa, quæ etiam ab alia determina est, & hæc iterum ab alia, & sic in infinitum. In Scholio* Demonstrationi subjecto ita loquitur: *Eodem hoc modo demonstratur, in mente nullam dari facultatem absolutam intelligendi, cupiendi, amandi &c. Unde sequitur, has & similes facultates vel prorsus fictitias, vel nihil esse præter Entia metaphysica sive universalia, quæ ex particularibus formare solemus. Adeo ut intellectus & voluntas ad hanc & illam ideam, vel ad hanc & illam volitionem*

ὐ δ' αὐ φευγειν δυναμενον. ἐλλειψις παντος τȣ ὀντος. δι ὁ παν ὁ ἐπαγγελλεται, ψευδεται. καν μεγα φανταςηναι, μικρον ἐςιν. i. e. *Parvum & magnum, item minus & majus: deficiens & excedens: quod semper fit, nec unquam permanet, neque tamen effugere elabique potest: defectus omnis entis. Ideoque quicquid promittit, mentitur, & si magnum esse videatur, parvum est.* Clarius adhuc mentem suam aperit Porphyrius Sect 33 ita enim ex versione Holstenii loquitur: *Hæc de sensibili & materiali vere affirmantur: esse omnino extensum seu diffusum, esse mutabile, subsistere in alteratione, esse compositum, ipsum per semetipsum existere, in loco & mole corporea conspici, aliaque his similia. At de vero Ente & per se ipsum subsistente hæc prædicantur: semper in semetipso situm esse, eodem modo atque secundum idem se habere, ipsa substantia, in identitate consistere, esse immutabile secundum substantiam, non compositum, nec dissolubile, nec in loco, nec mole distensum.* Ita Porphyrius plane ad mentem meam. Hinc Doct. Jesuita Mourges Epistola 2. non solum exinde concludit, Deum ex mente Platonis nihil cum materia commune habere; sed & ex hac ipsa Platonicorum definitione materiæ probari posse, causam aliquam sapientissimam materiam in ordinem digessisse.

nem eodem modo sese habeant, ut lapideitas ad hunc & illum lapidem, vel ut homo ad Petrum & Paulum. Idem Schol. Propos. 35. *inquit: Falluntur homines, quod se liberos esse putant, quæ opinio in hoc solo consistit, quod suarum actionum sint conscii & ignari causarum, a quibus determinantur. Hæc est ergo eorum libertatis idea, quod suarum actionum nullam cognoscant causam. Hactenus Spinoza.* Si hæc *non sufficiant* ad probandum, *Spinozam* omnem prorsus libertatem sustulisse, nescio quid sufficiat. *Quid Plato?* (ita pergit D. Gundlingius) *illius anima, tum universalis, tum quæ est in singulis, subjacet fato, cum sequitur propensiones a corporis temperamento prodeuntes: quod eodem fere redit. Temperamentum causa est actionum multarum & res objectæ temperamento corporis convenientes. Etiam cogitatio cogitationem excitat & novam operationem generat: quin etsi mens vincat fatum ex accidenti, aliquid sane in causa est, quare vincat. Unde Spinoza, Plato & Leibnizius, cum sequacibus hac parte conspirant: quorum neuter indifferentiam in definitione libertatis comprehendi existimat. puta ut sine causa prævia mens nostra sese determinet & αὐτεξσιως. Resp. 1.* Exspectavi testimonia Veterum, quibus probetur, *Platonem* omnem libertatem menti nostræ ademisse sed frustra. Contraria eaque evidentissima loca adduxi, quæ subvertenda fuissent. 2. Si concedam animam mundi mentemque nostram, fato, ex sententia *Platonis* obnoxias, nihil tamen lucrabitur *Cl. Gundlingius*, nisi prius probaverit, *Platonem* per fatum intellexisse, inevitabilem quendam & necessarium omnium rerum nexum, quo omnis contingentia subvertitur. At loca in Dissertat. mea adducta aliud plane probant. 3. Temperamentum multum conferre ad actiones nostras bene aut male exercendas, nemo nescit: locum hoc habet non minus in systemate *Platonis*, quam *Gundlingii*. Omnes nos vi temperamenti, ad quasdam actiones peragendas aut magis aut minus proclives sumus; quæritur tantum, utrum libertas omnis propter temperamentum exulet & utrum inclinationibus istis prorsus nulla ratione resistere queamus. Hoc autem nec ex nostra, nec *Platonis* sententia sequi adserimus. Recte *Plotinus Ennead. II. Lib. 3. Sect. XV.* pag. 145. ἐ γαρ δη νομιςεον, τοιαυτην ειναι ψυχην, οιον ὁτι ἀν ἐξωθεν παθοι, ταυτην φυσιν ἰχειν, μονην των παντων, οικειαν φυσιν ἐκ ἐχεσαν. ἀλλα χρη προτερον αὐτην, ἡ τα ἀλλα, ἀτε ἀρχης λογον ἐχεσαν, πολλας οικειας δυναμεις πρὸς ἐνεργειας τας κατα φυσιν ἐχειν. ἐ γαρ δη οιον τε ἐσιαν ἐσαν μη μετα τε ειναι κὴ ὀρεξεις ἡ πραξεις ἡ το προς το ἐυ κεκτηθαι. i. e. *Non enim existimandum est, animam esse talem, ut ipsa duntaxat qualemcunque ab externis acce-*

perit passionem, talem reportet naturam, perinde ac si propriam naturam non possideat; sed oportet ipsam multo priusquam alia, utpote quæ principii habeat rationem, multas merito vires proprias ad naturales actiones explendas habere. Fieri namque non potest, ut cum essentia sit, non possideat insuper una cum esse appetitiones & actiones, facultatemque ad bene vivendum. Taceo alia loca, quæ magno numero adduci possent, si necesse esset. Quod si *Cl. Gundlingius* putat, ex totius *Philosophiæ Platonicæ nexu* demonstrari posse, omnem libertatem subverti, audiam lubens rationum illarum pondera. *Sed cogitationem cogitatio excitat*, inquit *D. Gundlingius*. Sed quid hoc ad rem? num propter collationem & successionem cogitationum libertas tollitur? num agere possumus convenienter rationi, sine ratiocinatione id est idearum collatione? 4. Supra jam dixi, me litem, quæ quibusdam intercedit cum *Illustribus Philosophis Leibnizio & Wolfio, meam facere nolle*, injuriam tamen iis fieri credo, quando cum *Spinoza* idem sentire perhibentur. Quæstio mihi est de *Platonis* & *Spinozæ* circa libertatem sententia, non item aliorum. Interim dum *Cl. Gundlingius* probare vult, *Platonem Spinozæ* sententiæ addictum *contrariantia* loquitur: nimirum asserit, mentem *aliquando vincere fatum* ex sententia *Platonis*, annon autem hoc idem est ac dicere, *mentem aliquando libere agere, aliquando non item*? num in systemate *Spinozæ* mens fatum vincere potest? an *aliter* agere, quam uti ex natura divina omnia *necessario* sequuntur? an inevitabilis rerum omnium necessitas locum habet secundum ejus sententiam, qui asserit, mentem aliquando fatum vincere? Sed ad alia confugit *D. Gundlingius*: quod *Spinoza inquit decretis divinis, id Plato cum suis fato tribuunt, quod est decretum & verbum mentis superæ, ab anima mundi, seu mente inferiore executioni dandum. Ab hoc decreto immutabili pendet animarum in corpora descensus: ubi necessario peccant ob corporis & sensuum illecebras, etsi aliquando sibi, ob varias causas intervenientes, ab illis temperent.* Si per *Decreta Dei* intelligantur *libera mentis* præstantissimæ *Consilia* suo tempore executioni danda, tum *probari vellem*, eo sensu a *Spinoza* admissa fuisse decreta. Qui enim asserit omnia necessario e natura divina sequi, ille libera decreta admittere nullo modo potest. Quod si *Plato Fati nomine* intellexit Decretum *mentis superæ*, uti contendit ipsemet *Gundlingius*, tum prorsus diversum sentit a *Spinoza*, sive jam Deus immediate exequatur voluntatis suæ decretum, sive per animam mundi aut dæmones præstari velit, quod vult. Neque quicquam etiam ad *libertatis destructionem* facit,

facit, quod vi alicujus Decreti mentes in corpora descendant ex mente *Platonis*; nos etiam statuimus, mentes aut simul cum mundo creatas, aut noviter in lucem editas vi Decreti Divini in exigua nostra corpuscula immitti; sed inde minime efficitur, mentes ideo libertatem suam amittere. Neque etiam *necessario*, quod contendit *D. Gundlingius*, ob corporis & sensuum illecebras, peccant; & nos corpus habemus, qui plenissimam libertatem tamen menti concedimus, cujus illecebris mens sæpe præpeditur, quo minus verum cernere & virtutem amare possimus. Sed nec ideo mentis libertate privati sumus: sponte enim sequimur ea, quæ pravis animi studiis grata sunt; & variis mediis, quo minus iis obsecundemus, uti licet. Quod si mentes corporis servitio prorsus subjacerent, quomodo *aliquando libertate omni* destitutæ, sibi ab *illecebris ejus temperare possent*? & quem in finem illæ *purgationes*, quas tantopere commendat *Plato*, si alienis nervis mobili ligno similes essent mentes nostræ? cur των νοητων jugem contemplationem, *abstinentiam a corporis nimia cultura, virtutis studium, mathematicarum disciplinarum amorem* inculcaret, tanquam purgandæ mentis præstantissima adminicula? sed quid opus verbis, ubi adsunt perspicua Veterum testimonia. *Max. Tyr.* Dissert. 25. p. 263. edit. Davis. τετον δε της ανθρωπινης ενδειας προς το θειον εξευρε θεος τροπον, επιθεις την ψυχην γηϊνω σωματι, ως ηνιοχον αρματι, και παραδους τας ηνιας τω ηνιοχω, αφηκε θειν. εχυσαν μεν παρ' αυτα ρωμην τεχνης, εχεσαν δε και ατεχνιας εξεσιαν. ἡ δε επειδαν επιβη αρματων, και λαβηται μεν ηνιων, ἡ μεν ευδαιμων και μακαρια ψυχη, μεμνημενη τε επι το οχημα ταυτην επιβιβασαμενε θεε και ηνιοχειν προσταξαντος, εχεται των ηνιων και αρχει τε αρματος, και μολαζει τας των ιππων ορμας. i. e. *Id vero quo humana a divina vinceretur natura, tale excogitavit Deus. Animam mortali corpori imposuit, tanquam aurigam plaustro: traditisque aurigæ in manum habenis, cursu suo ferri permisit, vim ille præterea roburque addidit, ut vel arte sua uti posset si vellet, vel abuti, si mallet. Ibi felix, & quam vere beatam dicas, anima memor illius a quo plaustro imposita est, frænosque accepit, nimirum Dei, habenas manu arripit, currum regit, impetumque castigat equorum. Ita* similiter loquitur Plato *de Republ.* Lib. II. pag. 430. *Jamblich.* Sect. VIII cap. VII. *Idem* in Protrept. pag. 8. *Plotinus* pag. 735. 737. 233. *Hierocles apud Phot.* Cod. 251. p. 1385. aliique, quorum testimonia adducere in re clarissima non lubet. *Enim vero (ita pergit D Gundlingius) nec Plato alia visione melior videtur. Humana enim anima divina soboles est. Quæres igitur, quare divinum non domet*

mortale? & aqua hærebit veteris Academiæ Conditori, quemadmodum Spinozæ, cum interrogationibus urgetur. Adde, quare itaque puniantur animæ, quæ ipsemet sunt Deorum & mentis inferioris portio? despero, responsionem me percepturum, quæ satisfaciat. Respondeo 1. de origine mentis humanæ ex sententia *Platonis* heic loci quæstio non est. Nec *Timæus Locrus*, nec *Plato* adserunt perspicue, mentes ex *divina natura* primi principii *decerptas* esse, sed *per animam mundi* in corpora immissas. De quo infra accuratius inquiremus: quod si ex Deo vel anima mundi ea orta sit ex mente *Platonis*, tum quæritur, quomodo illa libertate abuti potuerit ad malum perpetrandum; supponitur itaque jam mentis libertas, de qua proprie quæstio est; quando enim de mali moralis origine *Plato* & sequaces loquuntur, tum ad liberam mentis a bono, rectoque, secessionem confugiunt, corpus item, sensuum deceptiones, adfectuum æstum, in causa dicunt esse depravatæ mentis. Non domat itaque divinum mortale, quia mens illa divina libera est, & ad bonum non minus, quam malum inclinare potest, puniuntur denique mentes cum libertate sua abusæ sunt. Sed ita, ais, Deus se ipsum puniret; at probandum prius est, mentes a Deo ortas ex sententia *Platonis partes esse Essentiæ divinæ divisibilis, & partibus constantis.* Sed de hac re mox infra pluribus agemus. Hoc tantum dicimus, *Plotinum* Ennead. IV. part. 3. cap. 1. & sequentibus negare, animam nostram animæ mundi partem esse. Hinc Sect. VII. pag. 376. ita ait: *Quod autem in Phlebo dictum suspicionem inducit, ne forte animæ omnes sint mundanæ animæ partes, non id quidem sibi vult, quod aliquis opinatur, sed quod potissimum tum ei conducebat, scilicet animatum esse mundum. Hoc enim comprobare studens, inquit, absurdum esse, cœlum inanimatum dicere, cum nos, qui corpus mundani corporis partem habemus. Quo enim pacto pars animam habuisset, si totum esset inanimatum? sententia vero Platonis liquet potissimum in Timæo: ubi facta jam anima mundi, deinceps aliæ oriuntur in eadem patera: qua & illæ commixtæ, eique conformes, differentia verò illorum, per secundos tertiosque gradus assignat. Quod autem in Phædro dicitur, omnem animam totius inanimati curam habere: quid mirum? nam quid aliud naturam corporis gubernat, ordinat, facit, nisi anima? Hactenus Plotinus.* Quemadmodnm igitur nos malum morale repetimus ex notione substantiæ, quæ natura sua libera est; ita similiter *Plato*, & sequaces argumentabantur. Ortus vero mentium humanarum in omni fere systemate plane obscurus est.

XVII. *Nec præsidio est Zimmermanno* (ita in eadem pag. 250. pergit

git D. *Gundlingius*) *Platonem non ausum Deum venditare pro peccati auctore. Id enim Chrysippus ausus est neutiquam, Stoicus Severus, Jovem alioquin ipsum fati legibus subjiciens.* De *Stoicorum* circa hoc caput sententia, hic agere nolo: prolixe hanc materiam excussi, in Dissert. *de Fato Stoicorum primo tomo Musei Bremensis inserta.* Cum autem quidam, mentem meam haud rite ceperint, & male interpretati sint, hoc loco dicam, quis scopus fuerit meus. Minime scilicet probare volui, *Stoicos* hac in parte ab omnibus erroribus immunes esse. Nolui etiam hoc specimine ostendere, qua ratione divinæ Providentiæ bonitas, & justitia, secundum opinionem meam probari & defendi possit: Sed hoc tantum: communem & receptam Virorum Doctorum sententiam, adserentium, omnia inevitabili necessitatis vinculo secundum *Stoicos* constricta, non esse superstructam *certis & immotis rationibus*, atque adeo ex ipsis *Stoicorum* decretis & principiis parum accurate & diversimode positis duo contraria systemata confici posse, in quorum uno, ferrea illa necessitas exularet, alterum, quod a *Spinoza* sententia circa hanc materiam remotum non esset. Et prioris quidem systematis specimen exhibere volui in *dicta Dissertatione.* Cæterum ab eorum opinione, qui irrevocabilem omnium rerum necessitatem inducunt, omnemque libertatem Dei & mentis nostræ tollunt, per omnem vitam abhorrui, & adhuc dum abhorreo. *Platonem* interim Deum nulli necessitati subjecisse, clarissimis testimoniis probavi, quæ, cum nihil contra ea adferat *Gundlingius*, repetere nolo. Interim contendit, *Platonem* dixisse, Deum non esse Auctorem peccati metus causa, si nexum autem systematis inspiciamus, sequi durissimam hanc consequentiam. Vellem ut *Cl. Gundlingius* perspicuis hoc argumentis demonstrasset. Fateor me adhucdum nondum perspicere posse, quomodo ex principiis Philosophiæ Platonicæ hic error sequatur. Malum est vel *Morale* vel *Physicum. Physici* Auctor Deus *Platonis* non est; sed *materia.* Quandoquidem enim materiæ æternam subsistentiam agnovit, & in eam κατα δυναμιν, quoad illa pateretur, tantum vim suam exeruit, sequitur necessario materiam, non Deum, causam mali physici dicendam, quæ, quominus, quæ vellet, efficere posset, obstitit. Neque adeo aliter *Plato* in dialogis physicis locutus, aliter cum de legibus ageret. *Malum* morale vero ubique repetit ex mentis humanæ prava indole, & inclinatione ad vitia. *Spinozæ* autem systema ita comparatum est, ut quamcunque in partem te vertas, libertatem tamen nullibi deprehendas.

XVIII. *Quintum argumentum Dissertat. meæ Sect 10. allatum, ad probandum, Platonis Deum cum materia conjunctum haud esse, desumsi ab opinione Platonis de interitu mundi. Asseruit enim, mundum non necessitate naturæ suæ, sed voluntate Dei permansurum.* Ad hoc probandum evidentissima *Platonis, Plutarchi, M. Tyrii* adduxi loca, eaque Sect XIX. contra exceptiones *D. Gundlingii* vindicavi. Hanc meam argumentationem enervare vult Sect. CCI. *Existimat is, (ita Gundling.) Platonis mundum, sicuti liberrimo arbitrio conditus, ita eadem libertate illum iri dissolutum, idque Sophum suum in Timæo clarissimis verbis stabilivisse. Ego si libere sonet, nemine cogente, ambabus manibus largior quod dicitur: sic enim libere quoque mundum productum agnoscit Spinoza; sin contra consultatio tribuitur Platonis Numini, atque hanc consequens arbitraria electio, repugno.* Resp. Eadem *D. Gundlingius* repetit semper, perspicua tamen loca Veterum omittit, quasi de themate, quod sola ratiocinatione esset solvendum, quæstio esset. *Platonis* Deus, uti supra jam probavi, *libere* pulcherrimarum rerum seriem, quam mundum vocamus, fecit, *libere*, inquam, nulla vel intrinseca vel extrinseca necessitate coactus, *libere*, ita, ut potuisset immensam illam, & indigestam molem, per omnem æternitatem negligere. Hæc autem sine *prævia* mentis nobilissimæ *consultatione*, nequidem concipi possunt. Erat Deo præsens mundus aliquis intelligibilis, hunc mundum contemplabatur Deus. Vidit materiam rudem esse, & indigestam molem; ordinem confusione præstare existumavit; bonitate denique commotus animum ad materiam hanc in ordinem redigendam adjecit. Hæc totidem fere verbis in Timæo extant. Ubi autem est idearum jugis contemplatio, voluntatis libera ad exequendum opus inclinatio, ibi sane omnium hominum consensu consultatio locum habet. At nec respectu Dei, neque respectu æternæ materiæ ulla condendi mundi fuit necessitas; ergo causam conditi hujus mundi præter liberam Dei voluntatem, ex mente *Platonis*, ostendere non possumus. Inspiciantur jam loca in *Dissertat. citata* & persuasissimus sum, ea probare hanc meam sententiam. *Illa bonitas* (sic denuo pergit D. Gundling.) *quam potissimum urget defensor, necessarium Dei attributum est, eaque, si impulit eum, necessario impulit, impulit ab æterno, cum nunquam non sit bonitas in ipso, nec momentum concipi queat, quo a bonitate possit deficere, aut eam non exercere. Unde potius concludendum, mundum Platonicum esse necessario atque ab æterno conditum, quia fieri nequit, quin Deus sit optimus, perfectissimus, nemini noxius, nulli invidus, omnibus com-*

commodus. Ludit *Cl. Gundlingius* in *vocabulo Bonitatis*: hæc vox apud Philosophos aliquando sumitur *pro attributo divino essentiali*, aliquando autem & plurimum *relativo*. Denominatio petita est ab hominibus, qui ardenti studio feruntur, aliorum commodis inserviendi. Et notat idem, quod Benignitas, Beneficentia. Quod si Deus nullum mundum, nullos homines creare voluisset, sed in summa, qua gaudet, felicitate permanere, *vulgari sensu bonus* dici non potuisset, nullum enim fuisset objectum extra Deum, cui benefacere potuisset. Deinde sumitur hæc vox pro *Omnisufficientia* Dei, per quam omnis perfectionis fons est. Et hoc sensu sine dubio bonitas Dei essentiale attributum est. Quocunque sensu hoc vocabulum sumat *Cl. Vir*, nihil tamen ad sententiæ suæ defensionem aut præsidium facit. *Plato* supponebat materiæ æternitatem, eam uti rudem indigestamque molem contemplabatur; ordinem confusione præstare judicabat; aderat pulcherrimum exemplar, animus item efformandi mundi pulcherrimi. At his omnibus tamen positis, nulla absoluta aderat necessitas, ab æterno jam bonitatem suam demonstrandi. Voluntas Dei attributum Dei est essentiale, adeoque necessario ad Dei naturam pertinens; sed uti voluntatis suæ decreta exequatur ab æterno necesse non est. Libertate enim & sapientia instructus est suo tempore omnia efficiendi. Secundum nos Deus in tempore creavit mundum, erat tamen ab æterno bonus, optimum etiam ab æterno voluit. Quod si omnia, quæ tanquam bona consideravit, necessario ab æterno facere debuisset, mundus cum omnibus creaturis etiam & quidem necessario fieri debuisset. Sed pone mundum ex mente *Platonis* ab æterno conditum nihil tamen hoc ponderi argumenti nostri detraheret. Quæritur, utrum *voluntate Dei optimi* mundus siquidem destruendus esset, destruatur, aut si permansurus est, *Deo volente* conservetur. Quod si *voluntate Dei* alterutrum horum futurum contendas, patet, mundum *non necessario* aut periturum, aut permansurum, sed *volente Deo*. Atqui *Plato* asserit, mundum *Deo volente* permansurum, duratio igitur ejus non in absoluta mundi æternitate, sed perpetua, constantissima & optima voluntate ejus quærenda est, qui fecit mundum vel in tempore, vel ab æterno. *Plato, ita pergit Antagonista, ut historiam rerum naturalium posset contexere, ἀνθρωποπαθως omnia effert, & per circuitum, quod Spinoza apertius explicat, perfectionem loco bonitatis subjiciens, unde necessario omnia profluxissent.* Sed mera est hæc suppositio, quam multis refellere nolo; adparet enim, auctorem sine necessitate τῇ ὑποθεσει δυλευειν. Eadem ratio-

ratione probabo, mundum ex mente Christianorum absolute æternum & necessarium esse. Deus nempe habuit omnium rerum ideas, habuit notionem mundi optimi, optimum bonitate naturæ adpetit & vult, Moses ἀνθρωποπαθῶς omnia describit. Ergo mundus ab æterno secundum sententiam Christianorum conditus, imo æque necessarius est, ac bonitas Dei necessarium ejus attributum est. Sed quis non perspicit imbecillitatem hujus ratiocinii? ablegat me *D. Gundlingius ad Sect. 149. dissertat. suæ.* Pareamus ei. *Cæterum*, inquit ibi, *idem Spinozæ Deus omnium rerum est causa, isque ex absoluta libertate voluntatis operatur, a nemine coactus, sed a se solo determinatus: quæ libertatis apud Spinozam reperitur definitio: cui dein innititur Propos. XVI. ubi omnia ex necessitate divinæ naturæ sequi dicuntur. At superficiaria attentione Spinozam legit iste, eumque vix intelligit. Nam in Prop. XVII. indicat Judæus, ex necessitate divinæ naturæ sonare ex perfectione divinæ naturæ. Ex quo confit, Spinozam adseverare, Deum libere non coactum, ac sola perfectione sua impulsum egisse, & dum egit, decrevisse. Idem Plato cantitat in Timæo: egit, inquit, Deus quia bonus est: nihil eum extrinsecus movet: sed sola perfectio fecit ut ageret; & simul decerneret. Decreta autem ejus sunt immutabilia, hinc manat Propos. Spinozæ* XXXIII. *Deum aliter non potuisse creare mundum, quam decrevit. Causalis Spinozæ locutio est: quia decrevit sic creare, aliter non potuit creare, ne Deus fiat muta, bilis, aut plures oriantur Dii, diversa volentes. Jam videat Zimmermannus an Plato crediderit, alium potuisse a Deo suo effici mundum, quam voluit?* Hactenus *Gundlingius.* Crediderim *Illustri Polybistori*, aut aliud *Exemplar Ethicæ Spinozæ* quam id quod vulgare est, ad manus fuisse, dum hæc scriberet; aut nimio *vincendi studio abreptum*, lectores, qui raro inspiciunt testimonia, ad quæ provocatur, decipere voluisse. Inspectione solum opus est ad falsitatem dictorum redarguendam. 1. Ait *Spinozæ* Deum ex absoluta libertate voluntatis operari, & huic adsertioni inniti Propos. XVI. At hoc aperte falsum. Inter *definitiones*, quas Ethicæ suæ præmisit, *septima* hæc est: *Ea res libera dicetur, quæ ex sola suæ naturæ necessitate existit, & a se sola ad agendum determinatur.* Hujus autem libertatis dein ne verbo quidem meminit, usque ad Coroll. Propos. XVII. quæ autem Propositionem XVI. antecedunt, aliter longe sonant, quam vellet *D. Gundlingius.* Propos. *XIV. ita sonat: Præter Deum nulla dari, neque concipi potest substantia.* Propos. XV. *Quicquid est, in Deo est, & nihil sine Deo esse, neque concipi potest.* XVI. *Ex necessitate divinæ naturæ infinita infinitis modis (hoc est omnia, quæ sub-*

ſub intellectum divinum cadere poſſunt) *ſequi debent.* Ex Propoſitionibus illis conſtat, demonſtratio Propoſ. XVII. quæ talis eſt: *Deus ex ſolis ſuæ naturæ legibus & a nemine coactus, agit. Demonſtratio. Ex ſola divinæ naturæ neceſſitate, vel (quod idem eſt) ex ſolis ejusdem naturæ legibus, infinita abſolute ſequi, modo* Propoſ. 16 *oſtendimus*, & Propoſ. *XV. demonſtravimus, nihil ſine Deo eſſe, nec concipi poſſe; ſed omnia in Deo eſſe; quare nihil extra ipſum eſſe poteſt, a quo ad agendum determinetur, vel cogatur, atque adeo Deus ex ſolis ſuæ naturæ legibus, & a nemine coactus agit.* Q. E. D. *Coroll. 1. Hinc ſequitur 1. nullam dari cauſam, quæ Deum extrinſece vel intrinſece, præter ipſius naturæ perfectionem, incitet ad agendum. Coroll. 2. Sequitur 2. ſolum Deum eſſe cauſam liberam. Deus enim ſolus ex ſola ſuæ naturæ neceſſitate exiſtit, & ex ſola ſuæ naturæ neceſſitate agit, adeoque ſolus eſt cauſa libera. Quis non videt, naturæ neceſſitatem, naturæ leges, naturæ perfectionem idem* denotare, atque adeo omnia ex *naturæ neceſſitate* clariſſime *repeti*, quæ omnem libertatem ſubvertunt? Ubi autem *Plato* unquam talia dixit? Voluntatis ſane bonitas, & naturæ neceſſitas, non idem ſunt. Nihil extrinſece Deum *Spinozæ* ad agendum ſtimulat, quia ipſe ſolus *omnia eſt*; *ſolus ſubſtantia.* Extra *Platonis* Deum erat æterna materia. Deus *Platonis* bonitate inductus egit: Deus *Spinozæ perfectione naturæ*, id eſt, ut ipſe explicat, *naturæ neceſſitate. Nulla* igitur *libera decreta* in Deo locum habent *ex mente Spinozæ.* Falſiſſimum igitur denuo Propoſ. Spinozæ XXXIII. ſuperſtructam eſſe decretis divinis. Propoſ. XXXII. ita ſonat: *Voluntas non poteſt vocari cauſa libera, ſed tantum neceſſaria.* Coroll. I. *Hinc ſequitur, Deum non operari ex libertate voluntatis.* Coroll. II. *Sequitur ſecundo voluntatem & intellectum ad Dei naturam ita ſeſe habere, ut motus & quies; & abſolute ut omnia naturalia, quæ a Deo ad exiſtendum & operandum certo modo determinari debent.* Propoſit. XXXIII. autem ita ſonat: *Res nullo alio modo, neque alio ordine, a Deo produci potuerunt, quam productæ ſunt.* Quis autem eſt, qui non candorem in *D. Gundlingio* deſideret, dum ait, Propoſ. XXXIII. ita ſonare: Deus aliter non potuit creare mundum, quam decrevit? *Si hæc citandi ratio valet, quidlibet probandum ſuſcipiam.* De adplicatione Propoſit. illarum nihil dicam. Satis enim ſuperque oſtendi, *Platonem* hac in parte a *Spinoza* longiſſime recedere. Nam quod Sect. CI. urget, plane oſtendit, impoſſibile eſſe per legitimas ratiocinationis leges oſtendere, mundum ex mente *Platonis* neceſſario permanſurum vi naturæ ſuæ. *Diſſolutio, inquit, mundi nec eventura eſt, nec fieri poteſt.* Cur

Cur tandem? *Est enim, inquit, hoc opus Platonis opinione pulcherrimum; quo nihil perfectius possit excogitari. Perfectissimum autem* τάγαθον *non certe destruet, quod ipsum illud est perfectissimum: eoque necessario consistet, atque existentiam retinebit suam. Ex quo claret, nimis molestum esse Zimmermannum, nimis litteralem, dum illud* ἐμὰ θελοντος *pertinaciter urget. Neque enim potest Platonicum Numen velle, ut præstantissimum destruatur.* Si omnia hæc concedam *D. Gundlingio*, nihil tamen hoc ad sententiæ meæ destructionem facit. Fac permansurum mundum, neque unquam ex mente *Platonis* destructum iri, num ideo sequitur, hoc *necessario* futurum, & *sine voluntate* Dei? *Aperte* dicit *Plato*, permansurum mundum Θεᾶ θελοντος: *aperte* Deus Πατηρ καὶ Δημιεργος rerum omnium dicitur: *aperte* omnia illa opera dicuntur ἄλυτα ἄυτε θελοντος; dicitur *voluntas* Dei, *præstantissimum illud vinculum*, quod colligaturum esset mundum. εἰς μεν ὢν ὁδε ὁ κοσμος δαιμονιω δεσμῳ το ἀναλογον ἐχιν. i. e. *Unus igitur hic mundus felicis cujusdam & plane divini vinculi proportione constitit, inquit T. Locrus de Anima Mundi*, p. 555. Non *litteræ* igitur *inhæreo*, sed *sensum Platonis* sequor. Sequor præstantissimos Viros *T. Locrum*, *Laërtium*, *Plutarchum*, *M. Tyrium*, omnesque, qui dogmata *Platonis* explicuere. Jubet me ita explicare Platonicæ Philosophiæ universa facies: In systemate *Spinozæ* nil tale locum habet. το παν, quod *Spinozæ* Deus, uti necessitate quadam inevitabili ortum, sic omnia permanebunt. *Nullus* est in hoc systemate ab aspectabili rerum universitate longe discretus *Mundi Rector*, cujus beneficio permanere possit. *Christiani, ita pergit D. Gundlingius, aliter rationes ineunt, qui novum & meliorem orbem a Deo iri conditum, persuasum habent, quod Plato non credidit in formosissimo animali suo mentem oculosque mirifice defigens.* Sed quid inde? num quod *Plato* de novo cœlo terrisque nil novit, asseruit mundum vi naturæ suæ permansurum? non putaverim. Quemadmodum pulcherrima illa rerum series ex mente Christianorum futura est *volente Deo*, sic mundus itidem *Platonis* a Deo libere conditus, permansurus est *volente Deo. Quæ res facit, (denuo loquitur D. Gundlingius) ut ex hypothetica necessitate minimum sit constituros mundus, atque interituros nunquam. Quod si vero necessitate absoluta conditus foret, absoluta quoque necessitate permansurus esset.* Mira hæc est *ingeniosissimi Viri* ratiocinatio. In antecedentibus voluit probare, *mundum necessario* extitisse, materiam e sinu Dei propulsam, *Platonemque* idem cum *Spinoza* sentire. Jam autem mundum *necessitate hypothetica* ex mente *Platonis* indissolubilem fore

tue-

tuetur. At hæc *ipsa assertio* cum *Spinozæ* sententia e *diametro pugnat.* Is enim *absolutam necessitatem* mundi profitetur. Quod si igitur *hypothetica necessitas* locum habet, *sequitur* quam clarissime, mundum a Deo originem habere; *sequitur* mundum absolute necessarium haud esse: *sequitur* mundum cum Deo unicam substantiam non absolvere, atque adeo totum *D. Gundlingii systema falsum & effictum esse. Hypothetica*m enim *necessitatem* a voluntate Dei dependere omnes norunt. Quæ de anima mundi adjicit, nihil plane ad rem faciunt. Quærit enim, quid factura esset anima mundi adaptata & destinata huic universo, Deo volente mundum perdere. De hoc ego sollicitus non sum; curent hæc nostri, si velint, Nepotes. Sufficit, quod mundus, Deo ita volente, ex sententia *Platonis* permansurus sit. Quo anima mundi mentesque migraturæ essent, quæque domicilia habituræ essent, destructo mundo, quærendum esset ex *Platone* ipso.

XIX. *Ultimum tandem argumentum, quo Spinozam a Platone dissentire probavi, petitum est a provida & sapientissima Dei cura, qua Deus ex mente Platonis huic universo prospicit.* Adduxi ad hanc assertionem confirmandam, loca *Platonis*, *Apuleji*, *Max. Tyrii.* Sect. VIII. differt. meæ clarissima simul adduxi Veterum loca, adserentium, *Platonem* aliquid materiæ necessitati, aliquid libertati nostræ tribuisse. Omnia tamen simul unius ejusdemque sapientissimi & potentissimi Rectoris Imperio subjecisse: ea loca denuo in medium proferre, & dicta repetere nolo. Præsertim, cum *D. Gundlingius*, neglectis perspicuis locis, quæ semper adducenda essent, ex meris ratiocinetur suppositionibus. Omnia ex sententia *Platonis* Fato fieri probare vult, neque interim loca Veterum de fato ex *Platonis* mente adducit. *Per Providentiam* (utor verbis Apuleji de Dogmat. Plat. p. 374.) *intelligit Plato, divinam sententiam conservatricem prosperitatis ejus, cujus causa tale suscepit officium. Fatum divinam legem esse, per quod inevitabiles cogitationes Dei, atque incepta complentur. Unde si quid Providentia geritur, id agitur etiam Fato, & quod Fato terminatur, Providentia debet susceptum videri. Per necessitatem intellexerunt*, definiente Plutarcho; ὅτε μεν ἣν ὑλην, ὅτε δε ἣν ἐκ ποιεντος προς ἣν ὑλην χρεσιν. *de Plac. Philosoph.* Lib. I. cap. 26. *Agnoscit* igitur *Plato* 1. Mentem sapientissimam a mundo discretam. 2. Eam secundum λογον, seu rationes & leges agere. 3. Rerum progressum radicatum esse in provida Dei Cura. 4. Materiam ipsam divinæ Providentiæ nutui obtemperare. Hæc sane inevitabilem & cæcum rerum omnium nexum prorsus tollunt. Unde

quid de definitione *Gundlingii*, quam pag. 241. Sect. 46. adfert, judicandum sit, facile patet. *Fatum, inquit, est decretum mentis divinæ, ad quod tanquam causam remotam, omnia redeunt, etiamsi proxime quædam fiunt ab hominibus, & libere fieri creduntur, aut etiam fortuito.* Mera hæc nituntur suppositione, nullis testimoniis firmata: innuere vult, omnia ex Deo sequi, & libertatem dicis causa a *Platone* asseri. Sed hæc assertio & *cum testimoniis Veterum*, & *cum Systematis Platonici harmonia pugnat. Testimonia Veterum* adduxi pag. 862. in quibus clarissime adserunt, *Platonem* non *omnia fato* tribuisse, sed *libertati* multum concessisse. Idem omnes Platonici ingeminant. Ita Plotinus pag. 274. 145. 141. 735. 734. Hinc pag. 231. Astrologorum fatum rejicit, quod libertati inimicum sit. *Pugnat cum universa Philosophiæ Platonicæ indole.* Omnia enim circa quæ divinæ Providentiæ cura ex mente *Platonis* versatur, vel ad *corpora*, vel ad *mentes referri possunt. Mentes* secundum *Platonem* ad male agendum necessario impelli non possunt, sed intrinseca sua natura, vim habent, pro objectorum & desideriorum varietate agendi. In *corpora* Deus ex mente *Platonis* non tantum, quantum vellet, imperium habet. Ergo nulla hic absoluta locum habet necessitas. Provocat tamen *ad Cic. Acad. Lib. I. Sect. VII.* de anima mundi ex mente veteris Academiæ ita loquentem: *Partes autem esse mundi omnia, quæ insint in eo, quæ natura sentiente teneantur: in qua ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterna. Nihil enim valentius esse, a quo intereat, quam vim animum esse dicunt mundi, eandemque esse mentem sapientiamque perfectam: quem Deum appellant, omniumque rerum, quæ sunt ei subjectæ, quasi prudentiam quandam, procurantem cœlestia maxime, deinde in terris ea, quæ pertinent ad homines: quam interdum necessitatem appellant: quia nihil aliter possit, atque ab ea constitutum sit, inter quasi fatalem & immutabilem continuationem ordinis sempiterni: nonnunquam quidem eandem fortunam, quod efficiat multa improvisa hæc, nec opinata nobis propter obscuritatem, ignorationemque causarum. Ita Cicero.* Sed quid tandem ex hoc loco *Ciceronis* sequitur? audi *D. Gundlingium*: unde, inquit pag. 242. consequitur, *ut illa mens inferior, quæ est in mundo, ejusque partibus, provideat cunctis, cui iterum aliæ ministræ sunt; dæmones, atque intelligentiæ, etiam infra lunam.* Sed si hanc consequentiam admittam, quid lucrabitur *Illustris Vir?* num inde sequitur, ergo in systemate *Platonis* omnia brutæ subjacent necessitati? num libertas omnis exulat? num quod animus mundi Rectori omnium rerum subjacet, ejusque Decreta exequitur provi-

provida Dei cura cessat? num ideo omnia necessaria sunt, quod mens illa mundi perfecta, sapiensque aliquando necessitas adpellatur? Sed video, quæ *Cl. Virum* induxerint, uti putaret, animum illum mundi *Platonis* necessitatem quandam inferre. Nimirum animum mundi tanquam partem Dei considerat, necessario a Deo ortum & necessario agentem. Sed præterquam, quod solus ille *Ciceronis* locus, quem ipsemet adduxit, huic opinioni contrarius sit, infra ostendam, prorsus falli *Cl. Gundlingium.* Sect. 47. ita pergit *Doct. Vir*: *In eo enim te maxime fugit ratio, Zimmermanne, quando Spinozam negare Dei providentiam opinaris. Quod te decipit, hoc est forsitan. Qui Deum existere negat, providentiam divinam nequit admittere. Spinoza in hac pernicioſissima hæresi versatur, postremum verum erit igitur: Sed neque verum est posterius, neque prius. Spinoza non inficiatur, Deum existere, sed Deum cum mundo conjungit, ac mundum & Deum pro uno habet, ceu* Plato. Maxime obstrictus sum insigni *Polybistori*, quod præter morem tantam mihi attribuat perspicaciam. Sect. XI. *dissertat. meæ pag.* 885. ne negavi Providentiam ullam in systemate *Spinozæ* locum habere, *quia omnia*, (hæc erant verba mea) *ex necessitate divinæ naturæ sequuntur, nec ulla libertas in Deo locum habet.* Perspicuum igitur est, quare negaverim, in systemate *Spinozæ* providentiæ locum dari. Nescio igitur, qua *fronte* negetur, *Spinozam* & Deum & Providentiam sustulisse. Quando enim *Spinozam* Deum sustulisse dixi, omnes æqui rerum arbitri vident, me Dei nomine intellexisse Numen sapientissimum, sensu recepto, minime unam illam substantiam Spinozæ. Eo enim sensu *Spinozam* Deum admisisse, pueri sciunt. *Probandum* igitur *Gundlingio, Spinozam* providam curam Entis supremi & a mundo adspectabili distincti prorsus agnovisse. Audi autem, quomodo id probet! *Vin, inquit, ipse te Spinoza doceat, errorisque convincat.* Provocat *non ad Ethicam* Spinozæ, *aut Tractat. Theologico-Politicum, sed cogitata metaphys. in quorum* Parte 2. Cap. IX. p. m. 126. ita loquitur Spinoza: *Dividimus itaque potentiam Dei in ordinatam & absolutam. Absolutam potentiam Dei dicimus esse, cum ejus potentiam, ad ejus decreta non attendentes, consideramus; ordinatam vero, cum respicimus ad ejus Decreta.* Porro *datur potentia ordinaria & extraordinaria Dei. Ordinaria est, qua mundum certo ordine conservat: extraordinaria, cum aliquid agit, præter naturæ ordinem, ut e. gr. omnia miracula.* Hucusque verba Spinozæ adduxit D. Gundlingius, sed immediate sequentia omisit. En illa! *Qualia sunt locutio asinæ, apparitio Angelorum & similia: quamvis de hac postrema non imme-*

immerito valde dubitari posſit; cum majus videatur esſe miraculum, si Deus mundum semper uno eodemque certo atque immutabili ordine gubernaret, quam si leges, quas ipse in natura optime, & ex mera libertate sancivit, propter stultitiam hominum abrogaret. Verum hoc decernere, Theologis relinquimus. Apparet ex citato loco, *Spinozam* non suam sententiam candide protuliſſe, sed in gratiam discipuli sui ita locutum. Quis enim nescit in *Tractatu Theologico-Politico* omnia miracula exsibilari, & in *Ethica* id eum agere, ut demonstret, unicam dari substantiam, ex qua omnia necessario orta sint? fatetur hoc candide *Ludov. Mejerus in Præfatione Principiis Carteſii, & Cogitat. Metaphyſ. præmiſſa. Animadverti, inquit, vel imprimis velim in his omnibus, nempe tam in 1. & 2. princip. partibus, ac fragmento tertiæ, quam in Cogitatis suis metaphysicis Authorem noſtrum meras Carteſii sententias, illarumque demonſtrationes, prout in illius scriptis inveniuntur; aut quales ex fundamentis ab illo jactis, per legitimam conſequentiam deduci debent, propoſuiſſe. Cum enim discipulum suum Carteſii Philoſophiam docere promiſiſſet, religio ipſi fuit, ab ejus sententia latum unguem discedere, aut quid, quod ejus dogmatibus, aut non reſponderet, aut contrarium esſet, dictare. Quamvis enim quædam vera judicet, quædam de suis addita fateatur; multa tamen occurrunt, quæ tanquam falſa rejicit, & a quibus longe diverſam fovet sententiam.* Locum hunc *L. Meyeri* non adduxiſſem in re clariſſima, niſi *tanta confidentia* ad locum hunc *Spinozæ* provocaſſet *Gundlingius*. Quo jure factum fuerit, judicet Lector. *Et hactenus igitur eodem ordine, quem in Diſſertat. mea obſervavi, probavi Platonem a Spinozæ sententia recedere.*

XX. Sed contemplemur jam ipsum syſtema *Cl. Gundlingii*, videamusque, utrum immotis rationibus veritas ejus demonstrari posſit. Hoc unicum, antequam ad examen sententiæ *D. Gundlingii* accedo, præmoneo; nimirum notum est, veteres non minus, quam modernos Philosophos disputaſſe, utrum *ideæ* ex mente *Platonis* sint *subſtantiæ, per ſe subſiſtentes*, an vero *mentis* tantum *præciſione a Deo diſtinctæ*. Nolo rationes utrorumque hic adferre. *Clariſſimus*, mihique *conjunctiſſimus Brukerus in Hiſtoria Philoſophica doctrinæ de Ideis* fortiſſimis argumentis eorum defendit sententiam, qui putant, *ideas* illas *Platonis* subſtantias fuiſſe, per se existentes. In præsenti disputatione ejus argumentis non utar, ad syſtema *Cl. Gundlingii* subvertendum. Hoc tantum dicam, omnes qui hanc controversiam sine studio partium examinant, confeſſuros, difficulter nos cognoscere posſe, quid *Plato* hac

de

de re senserit. *Quod si hoc est, sane systema Cl. Gundlingii dubium est, solidoque fundamento destitutum.* Definitio substantiæ, qua utitur *Spinoza*, satis clara est, clarissimeque patet, unicam eum admisisse substantiam, neque adeo dubitasse, utrum plures dari possint. Putavi autem hactenus eum, qui Atheismi aliquem postulat, evidentissimis & immotis rationibus instructum esse oportere. Sed his non immorabor; perpendam rationes, quibus systema suum fulcire, & tueri vult, Cl. Vir. Argumentatur autem partim ex locis quibusdam *Platonis*, partim rationibus ex Philosophia Platonica petitis. Contendit, *Platonem* credidisse, totum universum simul sumtum efficere illam substantiam, quam Deum adpellamus; seu ut ipse hoc systema delineat pag. 354. *Est, inquit, 1) ejus Numen in ignea substantia, quod nominare non est ausus, 2) unum ὅλον evolvens se denique, & 3) fluens ac se ipsum dividens & gignens sibi similia, quæ 4) in materiam ab uno & toto separatam, sese nove infundit, adeoque res omnes 5) rationis ac divinitatis participes reddit, in qua 6) tum sensilia substistunt, atque ab illa ultimum sui complementum tum accipiunt, tum intelligentia permanant: Indeque est 7) quod mundum totum vocavit, tandem Deum.* Ad hoc probandum autem innititur quammaxime loco *Platonis* in *Philebo* pag. 23. Ed. Serrani, in quo *Socrates* dicit: Θεον το μεν ἀπειρον των ὀντων δειξαι, το τε περας. i. e. *Deum ex iis, quæ sunt, ostendisse infinitum & finitum.* Iratscitur Cl. Vir, quod dixerim, locum hunc *obscuriorem* esse, quam ut inde solidum fundamentum defendendæ suæ sententiæ petere possit; probat *Platonem* non solum in *Timæo*, sed & *Philebo*, aliisque dialogis, physica docere dogmata. Posterius non negavi, licet tribus tantum verbis significaverim, *Platonem* in *Philebo de summo bono* agere. Et sane vel ipsa *lectio* hujus dialogi, quemvis edocere potest, *Platonem* hypothesibus quibusdam physicis uti ad doctrinam moralem explanandam. Hinc non solum *Diog. Laërtius*, sed & *Marsil. Ficinus, eum de moralibus agere adserunt.* Sed hæc tanti non sunt momenti; hoc tantum ursi, locum hunc obscuriorem esse, quam ut totius systematis moles illi inædificetur; &, quæ mea est ingenii imbecillitas, adhuc in ea sententia persisto, licet lucem adfundere voluerit, huic loco controverso. Omnia reducuntur ad vocabulum δειξαι, cujus genuina interpretatione nititur sensus loci controversi. Et hic mire se torquet *D. Gundlingius*, ut sensum, quem quærit, inveniat. pag. 200. το δειξαι hoc loco significare *effundere*, contendit. *Num autem δεικνυειν sonet effundere*, inquit, *illi judicent, qui Græci Idiomatis sunt*

gnari,

gnari, *tacite supponens*, eos omnes hujus linguæ *imperitos* esse, qui hoc in dubium vocent. *Jamblichum de mysteriis Ægyptiorum*, ait, loco vocis δειξαι, usum esse vocabulo παρηγαγε; *quid vero*, addit, *sit παραγεσθαι, forte Zimmermannus cum scientissimis cognoscet.* (*) Pag. 281. ait,

(*) Quo jure Cl. Gundlingius provocet ad Jamblichum, patebit ex sequentibus observationibus: 1. Contendit Doctissimum Galeum observasse, in loco illo controverso Platonis, vestigia emanationis materiæ in Deo esse. Verba Jamblichi, ad quæ respicit Cl. G. extant Sect. V. Cap. XXIII. pag. 138. Ed Galei. sonant autem ita: πεφυκεν αει ακρατων η περιουσια της δυναμεως και εν ιαδε υπερεχειν των ολων, εν ω παρειναι πασιν εξ ισης την αυτην ανεμποδιστως. εκλαμπει τοινυν κατα τουτον τον λογον, και τοις εφατοις τα πρωτισα, και παρεστιν αϋλως τοις ϋυλοις τα αϋλα, μη δη τις θαυμαζετω, εαν και ϋλην τινα καθαραν και θειαν ειναι λεγωμεν. απο γαρ της Πατρος και Δημιουργου των ολων και αυτη γενομενη, την τελειοτητα εαυτης επιηδειαν κεκτηται προς θεων υποδοχην, και αμα ηδεν διειργει τα κρειττονα προς το δυναδαι τα καταδεεστερα εαυτων εκλαμπειν. i. e. *Universi supremis ea est exuberantia potestatis, ut cum in aliis, tum etiam in hoc universa exuperet, videlicet quod omnibus ex æquo una eademque sine impedimento præsens sit. Hac igitur ratione ipsa illa omnium prima ultimis usque affulgent, & immaterialia principia materialibus adsunt immaterialiter. Sed nec mirum cuiquam videatur, si & materiam aliquam puram & divinam esse asseramus: nam ipsa quoque materia, cum ab Opifice Patreque omnium facta sit, merito perfectionem sui quandam accepisse censenda est, aptam ad Deos suscipiendos. Quin etiam mihil est, quod prohibet superiora diffundere lumen suum ad inferiora.* Audiamus jam D. Galeum ad h. l. ad verba απο γαρ πατρος των ὠλων ita commentatur. *Tangit, vexatissimam inter Platonicos quæstionem. Si materia sit ἀγεννητος, erunt duo prima principia; si genita a Deo, unde turpis & mala? quæ porro fuerit Platonis sententia de materia, sane in Timæo non satis liquet; videtur quippe materiam Demiurgo opponere, & contradistinguere ab eo: in Philebo vero disertim dicit, Deum το μεν περας δειξαι των ὀντων, το τε ἀπειρον. Conflat per ἀπειριαν intelligi materiam. Sed is NB. Deus Platoni non est Demiurgus, sed superioris ordinis.* Hactenus Galeus, qui simul addit cum Jamblicho facere Damascium & Julianum. Legendum interim suadet Simplicius & XXI. Sentent. Porphyrii. Quis autem non videt, D. Galeum existimare, Jamblichum a sententia Platonis recedere? 2. Nemo non, qui Gundlingium, locum Philebi explicantem audit, existimaret, Jamblichum ex professo locum Philebi explicasse, & το δειξαι Platonis per το παρηγαγειν explicasse. Sed nil minus est, si textum ipsum inspiciamus. Locus enim ille, in quo vox παρηγαγειν a Jamblicho adhibetur Sect. 8. cap. 3. p. 159. ita sonat: ὑλην δε παρηγαγεν ὁ θεος, απο της ὑσιοτητος ὑποχωθεισης ὑλοτητος, ην παραλαβων ὁ δημιουργος Ζωτικην ὑσαν, τας ἀτλας και ἀπαθεις σφαιρας απ' αυτης εδημιουργησε. το δε ἐφατον αυτης εις τα γεννητα και φθαρτα σωματα διεκοσμησε. i. e. *Materiam quod attinet, Deus eam produxit dividendo materialitatem ab essentialitate: hanc materiam Opifex Deus accipiens vitalem, ex ea simplices incorruptibilesque sphæras fabricavit, ipsius vero quod erat postremum, ad corpora generabilia corruptibilia facienda transtulit.* Ex quo patet, D. Galeum vocem παρηγαγειν non per *ex se ejecit, emanare fecit*; sed *produxit* transtulisse. Ipsa vero verba prima specie paulo difficiliora eruditis Galei notis haud parum elucidantur. Profert

ait, se ex *Procopii Commentariis in Genesin*, cujus fragmentum adduxit *Petavius Dogm. Theolog. Tom. III.* pag. 121. adnotasse ἀναδεικνυναι significare, *demonstrare, efficere, instituere, ostendere, parere.* pag. 283. *optionem mihi relinquit*, utrum το δειξαι Platonis vertere velim, per *eduxit*, in *lucem egit*, an per *expulit*. Pag. 120. *Dissert. Gundlingian. parti 31. insertæ* ait, το δεικνυειν & ἀποδειξαι non raro significare, *edere, creare, efficere.* Adducam ipsa verba *Petavii*, ut quo jure ad Procopium provocet in vocabuli Græci explicatione, omnes videant. *Petavius* in hoc capite de creatione, de vocabuli ברא significatione agit; contendit, eam vocem non denotare *creationem ex nihilo.* Inter alia Procopii Commentarii in Genesin mentionem faciens, ita ait *Petavius: Procopius Commentario in Genesin hebraicam vocem ait significare, idem quod* ἐποιησε. i. e. *fecit* & ἐκτισε. i. e. *creavit* & ἀναδειξαι, *quod est instituere, quam postremam notionem magis convenire dicit. Etenim quoniam fecit, de iis etiam dicitur, quæ aliqua ex materia fiunt, ut e ferro falcem, aut aliud tale fecit artifex, occasionem illud quibusdam dedit asserendi, Mosen ab Ægyptiis edoctum, ex materia prius exstante, totum hoc universum esse factum, merito dixisse fecit: Quorum ignorantes calumniam, Interpretes dixerunt, fecit, cum oportuit dicere, instituit. Quæ Procopii, ita addit Petavius,* λεπτολογια *non est nauci, neque enim* ἀναδεικνυναι, *quod*

fert ille primo locum Procli in Timæum Lib. II. dicentis: θειος Ἰαμβλιχος ἱστορησεν, ὁτι Ερμης ἐκ της ὑσιοτητος την ὑλοτητα παραγεσθαι βυλεται. 2. Observat secundum Ægyptiorum doctrinam ὑσια continere in se ζωην, hanc νην, mentem animam, hanc corpus. Probat hoc loco Simplicii in 1. Physicorum, ubi ita: Αἰγυπτιοι την της ψυχης ζωης, ἡν ὑδωρ συμβολικως ἐκαλεν, ὑποσαθμην την ὑλην ἐλεγον. Et conjicit tandem Ægyptios aliquid de Spiritu aquis incubante audivisse. Videtur ergo hoc sibi velle Jamblichus: Deum nempe ex mente Ægyptiorum, subtiliores, & vita quadam instructas particulas, ad Deorum id est astrorum corpora formanda; crassiones, quæ κατ' ἐξοχην ὑλη dici possunt, ad terrestria corpora fabricanda, adhibuisse. 3. Si vel maxime concederemus, Jamblichum credidisse, materiam quandam ex Deo oriri posse; nemo tamen definire posset, utrum suam an Ægyptiorum sententiam in medium proferat. Platonem certe in ea sententia non fuisse clarissima loca de materiæ æternitate & subsistentia per se testantur. Et quis nescit, Jamblichum in hoc libro innumera ex suo ingenio proferre? 4 Opponemus Jamblicho Jamblichum ipsum. Ita enim de Deo Sect. 8. cap 2. p. 158 ex versione D. Galei loquitur. *Ante eas res, quæ vere sunt, & ante principia universalium est Deus unus, prior etiam primo Deo & Rege* (Sole) *est ille immobilis, in solitudine suæ unitatis permanens, neque enim intellectuale ei immiscetur, neque aliquid aliud, estque Exemplar ipsius, qui est sui Pater, & de se genitus & Unipater Deus, & vere bonus. Est enim majus quid & prius, fons omnium, & radix intelligibilium idearum primarum Entium &c.* Conferantur ad h. l. Eruditæ Editoris notæ.

quod est demonstrare & efficere, significat ex nihilo rem producere. Hactenus doctissimus Jesuita. Nemo non videt, potius hoc in loco quæstionem esse de genuina interpretatione vocis ברא, quam de nativa indole & significatione vocis ἀναδειξαι.

XXI. Videamus itaque, quid vocabulum illud δειξαι significet. Sine dubio *primo* attendendum est, ad primariam ejus significationem, antequam ad tropicam nos convertamus. Primaria hujus vocis significatio est, *ostendere*, sive jam de objecto corporeo, sive veritate mente percipienda sermo sit. Exemplis hoc demonstrare necesse non est. 2. Notat *multis verbis declarare.* Ita *Hesiod.* op. & dier. v. 502. pag. m. 34.

δεικνυε δε δμωεσσι, θερος ἐτι μεσσα ἐοντος
ἐκ αἰει θερος ἐσσειται, ποιειαδε καλιας.

i. e. *Dic (declara) servis, æstate adhuc media existente;*
Non semper æstas erit, exstruite casas.

Eandem significationem vocabulum *ostendere* apud Latinos habere *docuit Grævius Lect. Hesiod.* pag. m. 63. *Ita Cicero Epist. ad famil. Lib. V.* epist. 12. *Cum mihi sæpe ostenderis, te accuratissime nostrorum temporum consilia & eventus litteris mandaturum*, hoc est, *dixeris, declaraveris. Ita Herodian.* Lib. 3. cap. 13. Sect. 9. p. 166. θησαυρες τε καὶ νεως, παντα ἐδεικνυε χρηματων πληρη, *verbis declarabat, thesauros, templaque pecuniis plena esse.* 3. significat *exhibere, edere, facere.* Ita Ælianus *Var. Histor. Lib. XIV.* cap. 37. p. 765. Edit. argent. φιλω δε μηδε τα ἀγαλματα, ὁσα ἡμιν ἡ πλαστικη δεικνυσι, μηδε τας ἐικονας ἀργως ὁρᾶν. i. e. *Statuas & imagines, quas fictorum nobis ars exhibet, non oscitanter aut obiter spectare soleo. Lucianus in Somnio.* Tom. I. *Edit. Grævii* pag. 6. καὶ Φειδιας ἐκεινος ἐδειξε τον Διᾳ. i. e. *Phidias ille Jovem spectandum exhibuit. Etiam Sacris Scriptoribus* hoc sensu hoc vocabulum sumitur. Ita *Joh. X. v. 32.* πολλα καλα ἐργα ἐδειξα ὑμιν ἐκ τε πατρος μου. Quæ verba *Castalio* ita transtulit: *Multa vobis præclara opera, meo Patre auctore, edidi.* Conf. Joh. II. 18. V. 20. & Versionem LXX. viralem Psalm. LX. v. LXXI. 20. Imo eodem sensu, iidem LXX. Num. XVI. 30. vocem ברא per το δειξαι interpretati sunt. Verba Hebraica ita sonant: יברא יהוה ואם בריאה LXX. ἀλλ' ἡ ἐν χασματι δειξει κυριος. *Eruditissimus Clericus* vertit: *Si rem novam fecerit. Similiter interpretatë vocem* ברא *Esaj. XLV. 26. XLI. 20. XLIII. 15.* Ita το ἐνεδειξατο 2. *Tim. IV. 14. rectè transfertur, exhibuit, fecit.* Quod si jam locum *Philebi*

attente

attente consideremus, patebit, nihil aliud vocem δεῖξαι denotare, quam *spectandum seu visendum exhibere.* τὸ ἄπειρον est infinitum, πέρας finitum. *Tertium* aliquid ex utroque mixtum, τὸ δὲ τρίτον, *inquit Plato* p. 159. hujus Dialogi, δεῖξ ἀμφοῖν τούτοιν ἓν τι ξυμμισγομένον. *Quartum vocat* τῆς συμμίξεως τούτων πρὸς ἄλληλα αἰτίαν *commixtionis alternæ causam. Primum* ergo istud ἄπειρον est *materia* hactenus indigesta, confusa. *Finitum, materia certis limitibus circumscripta. Tertium, Mundus ipse per animam mundi temperatus & vita donatus.* Ita enim pag. 160. latius describit. ἄλλα τρίτον φασὶ με λέγειν, ἓν τούτῳ τεθέντι τὸ τούτων ἔκγονον ἅπαν, γενέσιν εἰς οὐσίαν ἐκ τῶν μετὰ τὸ πέρατος ἀπειργασμένων μέτρων. i. e. *Sed tertium scito me dicere unum hoc quodcunque ex iis nascitur, generationem scilicet in essentiam, ex mensuris una cum termino constitutis. Quartum* erit *Deus, causa efficiens*, qui mundum ex *finito* & *infinito* constantem *adspectabilem* fecit. Hinc *Socrates* eadem pagina adductis tribus illis ostendit, necessarium esse, ut *quartum* accedat. ἀλλὰ δὴ πρὸς τρισὶ, *inquit*, τετάρτου τι ποτὲ ἐφάμεν εἶναι γένος σκέπτεον. κοινὴ δὲ ἡ σκέψις. ὁρᾷ γάρ ἐι σοι δοκεῖ ἀναγκαῖον εἶναι, παντὶ τὰ γιγνόμενα διά τινα αἰτίαν γίγνεσθαι. Πρ. ἔμοιγε πῶς γὰρ ἂν χωρὶς τούτων γίγνοιτο; Σω. ἴσκεν ἡ τε ποιοῦντος φύσις, οὐδὲν πλὴν ὀνόματι τῆς αἰτίας διαφέρει, τὸ δὲ ποιὸν, καὶ τὸ αἴτιον ὀρθῶς ἂν εἰη λεγόμενον ἕν. Πρ. ὀρθῶς. Σω. καὶ μὴν τό γε ποιούμενον ἀν καὶ τὸ γιγνόμενον οὐδὲν πλὴν τὸ ὄνομα, καθαπερ τὸ νυν δὴ διαφερον ἐυρησομεν ἡ πως. Πρ. ἔτως. Σω. ἆρ' ἐν ἡγειται μεν τὸ ποιὸν ἀει κατα φυσιν, τὸ δε ποιούμενον ἐπακολουθει γιγνομενον ἐκεινῳ. Πρ. πανυγε. Σω. ἄλλο ἄρα, καὶ ὰ ταυτον αἰτια τ' ἐςι καὶ τὸ δημιουν εἰς γενεσιν αἰτια. Πρ. τι μην. Σω. ἴσκεν τα μεν γιγνομενα καὶ δὲξ ὧν γιγνεται παντα τα τρια παρεσχετο ἡμιν γενη. Πρ. καὶ μαλα. Σω. το δε δη παντα ταυτα δημιεργειν, λεγωμεν τεταρτον την αἰτιαν, ὡς ἱκανως ἑτερον ἐκεινων δεδηλομενον. Πρ. λεγωμεν γαρ ἐν. i. e. *Cæterum quid præter hæc tria, quartum genus sit, discutiendum restat. Communis autem ista disceptatio est. Vide enim, an non tibi necessario videtur, quodcunque gignitur per aliquam causam gigni.* Pro. *Mihi plane. Quomodo enim absque ea fieret?* So. *Et Efficientis natura nomine duntaxat a causa differt, efficiensque & causa unum merito vocabuntur.* Pr. *Merito.* So. *Quin etiam factum ac genitum solo nomine discrepabunt.* Pr. *Certe.* So. *Præcedit quidem atque ducit natura semper, quod efficiens est: quod vero factum est ab eo genitumque, ipsum sequitur.* Pr. *Prorsus.* So. *Non ergo idem, sed aliud est causa, & quod ad generationem causæ servit.* Pr. *Quid prohibet?* So. *An non genita ipsa, & ex quibus gignuntur omnia, tria nobis genera præbue-*

præbuerunt? Pr. *Maxime.* So. *Omnium autem istorum Opificem quartum ponimus, causamque vocamus, utpote aliud quiddam, quam illa ad sufficientiam demonstratum* Pr. *Ponimus absque dubio.* Quod si igitur hæc, quæ attulimus, rite perpendantur, sensus verborum controversorum is est: *Deus tanquam causa efficiens in mundi fabrica infinitum & finitum, id est, materiam rudem certis limitibus circumscriptam visendam exhibuit. Hæc explicatio convenit cum nativa significatione vocis* δειξαι, *verbis Platonis ante allatis, totiusque tandem systematis Platonici nexu.* Quod si jam explicatio *D. Gundlingii* cum mea conferatur, perspicuum erit, *neque ex indole vocis* δειξαι, *neque verbis Platonis, sensum, quem tribuit verbis Platonis, erui posse.* Contendit ille, vocem δειξαι significare *effundere, expellere*, i. e. *facere, emanare.* Probandum igitur hoc est *perspicuis exemplis.* Adducit ille duo loca, primum e *Diod. Siculo*, sed nec *caput*, nec *paginam* notat, ut possit accuratius perpendi. Ponamus autem, ὀμβρον ἀπο Διος δεδειγμενον significare, *imbrem a Jove effusum*, vel quod idem est *editum*, nondum tamen vox δειξαι significaret *ex se, vel suo quasi sinu expulsum vel effusum*, patet enim το δεδειγμενον ab Interprete redditum esse *effusum*, quandoquidem de imbre sermo est. Non autem videndum est solum, quid vox cum *aliis mista* significet, sed & quid *separatim* denotet. (*) Alter locus sane ex *Homero* petitus nihil prorsus *probat*, nam utut φαεος ἐδειξε idem esset ac εἰς φως ἠγαγε, non tamen idem significaret, ac *ex se se eduxit*, seu *provel extulit. Non convenit cum verbis Platonis*, in eo enim, quem adduximus, loco, causa efficiens *adeo clare* a finito & infinito, & quod ex utroque constat, *distinguitur*, ut unum cum iis esse & fuisse dici non possit. *Non convenit cum principiis Platonis.* Is enim materiam aliquam æternam ἀδημιατιστον *a Deo diversam* ubique ponit, quod luculenter, ni fallor, supra demonstravimus. Non possum non igitur repetere verba, quibus, examinato *Platonis* loco, *dissert. meæ* pag. 917. usus sum. *Judicent igitur Viri me perspicaciores, utrum ex adducto Philebi loco firmiter concludi possit, materiam e sinu Dei expulsam fuisse. Ego, ut simpliciter dicam, quod sentio, nec vestigium, nec umbram hujus rei video, nedum ut aliqua probabilitatis specie se commendet objectio inde petita.* (**)

XXII.

(*) Patet hoc ut alia omittam ex ipso loco Lucæ, Act. 2 v. 22. in quo Christum vocat ἀνδρα ἀπο τυ Θευ δεδειγμενον.

(**) *Cl. Moshemius* locum *Platonis* in *Philebo* paulo aliter ac ego explicuit in *dissertat. de Creatione ex Nihilo Sect. XVII.* quæ si valeant, magis inepta & contorta erit explicatio *Gundlingii.*

XXII. Alter locus, ad quem *D. Gundlingius* provocavit, petitus erat ex *Timæo Locro*. Contendit post *Souverænium* & *Baylium*, T. illum *Locrum* adferere, *materiam e sinu Dei expulsam*. Dixi, *Gundlingium* potius *Souverænium*, aut *Baylium* secutum, quam *T. Locrum*. Omnes ad eum provocant, locum tamen, in quo hæc reperiantur verba, nullibi designant. Haud diffitetur *D. Vir*, se duos illos Viros consuluisse; sed evolvisse se simul *Philebum Platonis & Jamblichum de Myst. Ægypt. atque ita observasse decisionem e Philebo Platonis* repetendam. Et hic est ille locus in antecedenti Sectione examini subjectus, qui totius ædificii fundamentum est; expendi in dissertat. mea inde a pag. 900. usque 909. libellum T. Locri, & ostendi nullum præsidium *Gundlingio* in eo esse. Omnia, quæ *Locrus* in exiguo hoc libello tradit, ad sequentia possunt revocari capita: 1. *Deum esse mentem præstantissimam.* 2. *Materiam infinitam & æternam.* 3. λογον *dari seu* νεν, *in quo mundi sensibilis* παραδειγμα. 4. *Dari mundi animam imperio Dei subjectam.* 5. *Voluisse Deum Optimum materiam* ἀκηματιστον *fingere & pulcherrimum inde efficere animal.* 6. *Factum hoc esse ita volente Deo per ministros quosdam.* 7. *Hunc mundum Deo ita volente æternum futurum.* Hæc capita fere ἀυτολεξει in hoc libello traduntur. Quæ qua ratione cum æterna quadam materiæ effluxione e sinu Dei, consistere possint, nemo non videt. Videamus tamen, quid ex eo, quod momentum trahat, contra nos adferat. Sect. LX. pag. 273. seq. ita loquitur. *Vix Atheus non erit, qui materiam Dei participem facit, quæ est* περι τα σωματα ταυ θατερω φυσιος: *Altera natura Locro materia est, sicuti* ταυτον *divinam naturam exprimit. In quo Apologeta haud dubie nobis consentiet. Adde rerum naturalium* οἰκονομιαν *formam, materiam, sensile. Vis vero & ἐνεργεια unde forma influat in materiam, & materia sese accommodet formæ, est in mente Dei, a qua cæteræ res prodeunt tanquam fœtus, quas is appellat* γενναματα. *Quod non creatur, ex nihilo non fit. Quod ex nihilo non fit, aliunde pullulat, similisque est soboles patri matrique secundum essentiam. Respondeo* 1. Materiam Dei participem esse, nullibi dicitur in hoc libello. Principio ponit δυο ἀιτιας των παντων, νοον, των κατα λογον γιγνομενων; ἀναγκαν των βιᾳ καττας δυναμεις των σωματων, *mentem quidem earum, quæ ratione quadam nascuntur; & necessitatem earum, quæ existunt vi quadam, secundum corporum potentias & facultates.* Harum *naturalium causarum* Deum summam & principem causam ponit, quem ἀρχαν των ἀριστων, ἀρχαγον παντων, Δαμιεργον τω βελτιονος appellat. de *materia* dicit, eam esse ἀμορφον, ἀκηματιστον,

δεχομεναν δε πασαν μορφαν, addit ταν δε περι τα σωματα, μεριζαν εἰμεν καὶ τας θατερω φυσιος, *circa corpora dividuam esse materiam, & alterius naturæ participem*, id est, materiam in se spectatam, rudem esse & infinitam, spectatam autem, ut in ordinem digestam, dividuam. Nimirum cum materiæ accedit ἡ *idea*, particeps fit ἰας θαλερω φυσιος. 2. Frustra urget *D. Gundlingius* vocabulum ἐκγονον fœtum, qui ex Deo, si illum audias, prodierit; pag. 544. mundum considerat T. Locrus οἰον NB. ἐκγονον τεκτεων, *quasi fœtum* illarum, scil. materiæ & ideæ. Nimirum materiam considerat ut μαλερα καὶ ἰθαναν, *matrem & nutricem*, ἀϊδιον præterea ἀμορφον, δεχομεναν δε πασαν μορφαν. το εἰδος *vero, inquit pag.* 545. λογον ἐχει ἀρ'ενος τε καὶ πατρος, *maris & patris*, ἰρῖα δε, inquit, εἰμεν ἰα ἐκ ἰδιων ἐκγονα. *Tertia vero est essentia ea, quæ ex bis, ut fœtus, nascuntur.* Ex quibus patet, mundum dici ἐκγονον, quia ad materiam informem accessit *Dei operatio*, quæ, per ideam materiam in certam formam redegit, unde materia τεταγμενη dicitur. Nullibi autem dicitur, fœtum illum *ex Dei sinu* expulsum, imo ne quidem ex idea, quæ parentis ad instar consideratur. Ergo si quis effluxus locum habet, το ἀιοθητον *e materia, matre* nimirum, prodiit, speciebus ornata *per ideam*; *Deus* vero ab *idea, materia & mundo totus* diversus est. Hinc pag. citata ait: ἀγαθος ὠν ὁ Θεος, ὁρων δε ταν ὑλαν δεχομεναν ταν ἰδεαν καὶ ἀλλοιουμεναν. i. e. *Deus, quum nimirum bonus sit & videns materiam recipere formam, & alterari varie.* Deus ergo ex mente *Locri* ideam adhibuit ad formandam materiam; materiam minime ex suo sinu expulit; & cur, quæso, opus esset idea, si in sinu Dei latuisset jam materia? si omnia inevitabili quadam necessitate e natura Dei emanassent? verum est, fœtum illum non e nihilo prodiisse, sed nondum inde sequitur, eum e divina essentia Dei expulsum esse; adest enim mater hujus fœtus, nimirum æterna illa & ἀσχηματιστος materia. *Similis* est *fœtus* ille *Parentibus*, qui originem dedere, *corpore* seu materia similis *matri, ordine, dispositione* vero *Ideæ* seu νοητῳ παραδειγματι. Ultra comparatio illa urgeri non potest. *Quæ causa est, ita pergit D. Gundlingius, quod in naturæ universitate aliquid statuit divinum, quod maneat, & generationum & vicissitudinum in rebus singulis sit* νοητον τε παραδειγμα. *Quod est in singulis rebus, non est extra illas.* Sed unde tandem hæc ratiocinatio petita est? *Timæus*, inter *causas adjuvantes*, p. 544. ἰδεαν, ὑλαν, ἀιοθητον ponit. *Ideam* autem *illam* ita *definit.* καὶ το μεν εἰμεν ἀγενατον τε καὶ ἀκιναϊον, καὶ μενον τε, καὶ τας ταυτω φυσιος νοητον τε καὶ παραδειγμα των γεννωμενων, ὁκοσα ἐν μεταβολα οντι

ἰοιεῖο

τοιοῦτον γαρ τι ταν ἰδεαν λεγεσθαι τε καὶ νοεισθαι. i. e. *Esse præterea in hac rerum universitate quiddam, quod maneat, & intelligibile sit, rerum genitarum, quæ quidem in perpetuo quodam mutationum fluxu versantur, exemplar. Hujusmodi nimirum in his rerum singularum vicissitudinibus constans, & perpetuum exemplar ideam dici & mente comprehendi.* Nemo non videt, hoc παραδειγμα mente sola percipiendum, *diversum* esse a *rebus fluxis*, quæ extra illud παραδειγμα existunt, & nullo modo cum eo conjunctæ sunt. Dicitur illa idea παραδειγμα των γεννωμενων, ὁκοσα ἐν μεταβολῃ ὀντι, id est, *omnes res fluxæ, seu corpora omnia, quæ in perpetua mutatione sunt, facta sunt ad immutabiles ideas in mundo illo intelligibili repræsentatas.* Quicquid igitur in singulis rebus τεταγμενον, illud repetendum est ab *Exemplari illo* νοατῳ. Negat præterea, *materiam* dici αγεννατον; *nec*, inquit, *Cl. Gundlingius, conciliandus sibi foret, materiam si* ἀγεννατον *proprie credidisset, cum omnium rerum, tum mentis, & quæ a mente, tum materiæ, quæque illum consequuntur, secundum Locri dictata, principium sempiternum sit, quod vocatur Deus. Ergo idem ille Deus & materiam genuit, ac tanquam fœtum a se expulit* ȣ μαν ἀκινατον, ἀμορφαν *tamen* καὶ ἀσχηματιςον. Verum est, *materiam* non dici hoc in loco ἀγεννατον, dicitur tamen μητηρ, *mater*, *nutrix* rerum omnium, dicitur ἀιδιος, *mundus* dicitur γεννατος, & tanquam *fœtus aliquis* consideratur; ergo, antequam eam Deus exornaret, ἀγεννατος *erat*, nondum nata, seu in ordinem digesta. *Nasci enim mundus dicitur*, cum τεταγμενος, in certum definitumque ordinem redactus est. Nec hoc obstat, quo minus Deus omnium rerum simul auctor sit; cum enim ipsemet materiam in ordinem digesserit, materiamque ἀσχηματιςον in certas species diviserit, dici potest, eum mundum generasse. Hinc pag. 545. ait: *Deus, cum videret, materiam recipere formam, & alterari varie quidem, sed tamen inordinate: vidit quoque opus esse, ut eam ipse in ordinem reduceret, & ex indefinitis mutationibus ad certam definitamque constitueret.* Ubi ergo vel *umbra* adest *æternæ* illius ex essentia divina *expulsionis?* si vocabulum illud γενναν tantopere *D. Gunlingio* displicet, sumat vocabula ἐις ταξιν ἀγειν, vel ποιειν, quæ in hac ipsa pagina 545. a Timæo adhibentur, & evanescet ille metus. (*)

Quæ-

(*) Jam dudum eruditi observarunt, γενναν & ποιειν apud Græcos promiscue sumi. Audiatur Doctissimus *Clericus* in Commentar. ad Genes. 2 v. 4. *Ut* ילד, inquit, *primario genuit, atque inde quidvis fecit significat: ita quoque derivatum, quo hic utitur Moses, primo quidem generationem, deinde quamvis procreationem signat. Apud Græcos similiter* γενναν, *quod generare est, passim* EFFICERE, CREARE *sonat,*

Quærit *Cl. Gundlingius*, quomodo materia sit *mobilis secundum Timæum, vel antequam a Deo in ordinem sit digesta.* Sed quid hoc ad rem? suppositum *Platonis* multa, quæ probare non potuit. Quæritur quid senserit. *Timæus* ille cum *Pythagora* sentiebat, corpora omnia in perpetuo fluxu esse. *Ego te oro, inquit, ut patefacias, quomodo fœtus prodeat, qualis est materia. Ignoras regeris. Et rursum qui ignorat, ajo, nec adfirmat, nec negat. Quare igitur negas expulsam, aut secretam?* Rogo vicissim *Cl. Polybistorem*, ut explicet, quomodo volente Deo, sensibilium rerum moles exorta sit, explicet nexum, qui est inter voluntatem Entis intellectualis, & existentiam, motumque corporum, & explicabo illi, quomodo Deus ex materia æterna potuerit fabricare mundum. Fateor, me nescire, quomodo mundus ex mente *Platonis* a Deo conditus sit; sed quanquam lubens hac in parte meam confitear ignorantiam, adserere tamen jure possum, *materiam e sinu Dei non esse ejectam.* Cur tandem? quia nec *vola*, nec *vestigium* hujus rei in *Timæo*; quia nec *ex principiis Timæi* sequitur. Quod igitur *scio*, affirmo; quod *nescio*, in dubio relinquo. Licet enim, ni fallor, *D. Gundlingio* tueri, materiam ex sententia Christianorum non esse æternam; non e sinu Dei propulsam, quanquam nec ipse, nec alius explicare possit, quomodo posita æterna Numinis voluntate corpora exstiterint, & adhuc, eodem volente, moveantur.

XXIII. Asserui in *Dissertat. mea*, ex hoc Timæi libello clarissime patere, *Platonem* non *unicam* tantum dari *substantiam*, sed plures adseruisse; recipit igitur se *D. Gundlingius* ad animam mundi, probaturus inde, *Platonem* unicam agnovisse substantiam. *Eam (mundi animam) inquit, Platonis Deus* ἐπαγαγεν ἐξω *eduxit extra: quod indicio est, eam latuisse intra sinum divinitatis: dein eo contexit* ἀυτο ὁλον *ipsum universum, deditque ei nonnihil ex forma individua & dividua essentia: Illa est divina & individua: hæc materia atque dividua, ut sic interveniente motu, fieret alterum, maneretque interea unum atque idem.* Zimmermannus

nat, & γενησις GENERATIO, actio qua quidvis fit vocatur. Plato quidem in Timæo ubi de creatione mundi disputat passim γενναν & ποιειν, γενναδθαι & γενεδθαι, γενητα & γενητα, γενεσιν & ὑπαρξιν confundit. Mundum vocat γενητον, & Deum Πατερα non minus ac αιτιον. Hactenus D. Clericus. Quod ipsum probat etiam translatio Ciceronis. Ita enim in libello de universo notissimum locum Platonis transfert: *Tum ad Deos is Deus, qui omnia genuit, fatur. Hæc vos, qui Deorum satu orti estis, attendite. Quorum operum ego Parens, Effectorque sum, quæ per me facta, non sunt dissoluta me invito &c.* Ubi quem *Genitorem* adpellavit, statim *Effectorem* vocat.

nus hanc descriptionem obscuram vocat, quanquam Platonis menti convenit, ut ovum ovo. Verum est, dixi, & adhucdum dico, *obscurissimum* esse, quid *Timæus & Plato* animæ mundi nomine intelligant; ex iis autem, quæ omnium fere consensu obscura sunt, rite ratiocinari nos non posse, hactenus existimo. Verum est, descriptionem animæ mundi, quam exhibet *Timæus*, exacte convenire cum descriptione *Platonis*: sed hoc idem est mea opinione, ac si quis dicat, voci *blictri*, non minus perspicuam significationem subjectam esse, ac *Aristophanis phlattotrattophlattotratt.* Nimirum æque obscura est *Timæi* ac *Platonis* animæ mundi descriptio. *Celeberrimi & Historiæ Philosophicæ peritissimi Viri* dudum fassi sunt, *obscurissimum* ea in re *Platonem* esse. Fatetur hoc *Plutarchus* Vir πολυμαθεςατος initio *Commentarii de Procreatione animæ mundi, quæ in Timæo Platonis* describitur. *Sext. Empir.* Lib I. cap. 13. adversus Grammat. pag. 283. ait: πε γαρ τις δυναται των ὠφρυωμενων γραμματικων Ἡρακλειτον συνειναι καὶ Πλατωνι παρακολεθησαι λεγοντι της καὶ ἀει κατα ταυτα ἐχεσης ἐσιας, καὶ της περι τα σωματα μεριςης τριτον ἐξ ἀμφοιν συνεκερασατο ἐσιας ἐιδος, της τε ταυτε φυσεως, καὶ της θατερε. i. e. *Ubi enim est ex superciliosis Grammaticis, qui Heraclitum possit intelligere, vel Platonem assequi, qui dicit: Ex individua & quæ semper similiter, & eodem modo, se habet essentia, & ex ea, quæ est in corporibus dividua, tertiam ex utrisque speciem constituit essentiæ, nempe & naturæ ejus, quod est idem, & naturæ ejus, quod est alterum.* Ex Recentioribus unicum citabo *Burnetum Archaiolog. Philosoph. Cap. 13.* p. m. 439. ita loquentem: *Hanc animam Platonicam, inquit, multis explicuere Platonis Interpretes, Chalcidius, Proclus, & quotquot in Timæum commentati sunt. Præterea Plutarchus tractatu singulari fuse disseruit de procreatione animæ secundum Platonem. Sed his lectis omnibus, nihil proficies; nisi quod id forsan magis persuasum habueris, operam prorsus lusisse, quotquot sudarunt in hac arena. Nihil aliud mihi videtur illa* Ψυχογονια *Platonica, quam lusus ingenii: vel regia magica in aëre constructa, cujus fundum frustra quærimus. Cui notus est ille dialogus Timæi, satis erit apponere non meam, sed nuperi Philosophi, ea de re expostulationem Si Plato suam illam, de animæ natura, communibus verbis exposuisset sententiam: Ecquid putas grande, aut quod certo posset probare, dicere visus fuisset? Et fac jam illum in vivis esse: fac rogari, ut sese clare explicet: ut suum illum Chiasmum declaret? ut quid sit idem, quid diversum, quid tertia ex dividuo individuoque natura, exponat. Qui illæ Geometricæ Harmonicæque proportiones in anima agnoscantur, aperiat.*

O quam aberit, ut propterea animæ naturam nobis perspectam faciat: quæ & illiusmet auditores, quos inter etiam fuit acutissimus Aristoteles, latuit & manet etiamnum incomperta. Sed nempe, quia suam sententiam miris implicuit ambagibus, idcirco obtinuit, ita quod velle potuit, ut puta quod illam propterea miremur, suspiciamusque & revereamur, tanquam insigne mysterium, opinemurque, nisi perfecte animæ naturam noscamus, causam esse, quod non in mentem divini Viri penetremus: nobisque imputemus, quod homunciones cum simus, tantum consequi Heroëm non possimus: Et cum nobis oculi Noctuæ, illi Aquilæ fuerint, ad illud Jubar caligemus, quod ipse clare perspexerit. Hactenus *Burnetus.* Testimonia illa adducta satis testantur omni tempore doctissimis & perspicacissimis Viris, obscuram valde animæ mundi Platonicæ descriptionem visam esse. Sed videamus tamen, utrum probari possit, illam animam *in sinu divinitatis fuisse*, atque postea *expulsam.* Audiamus ipsum Timæum. Is p. 549. ita hanc rem proponit. ταν δε τω κοσμω ψυχαν μεσοθεν ἐξαψας ἐπαγαγεν ἐξω περικαληψας αὐτο ὁλον αὐτα, κραμα αὐταν κερασαμενος ἐκ τε τας ἀμεριςω μορφας καὶ τας μεριςας ὀυσιας. ὡς ἑν κραμα ἐκ δυω τουτεων ἐιμεν. ὡ προτεμιξε δυο δυναμις, ἀρχας κινασιων, τας τε ταυτω καὶ τας τω ταυτερω. ἁ καὶ δυσμικτος ἐασα, ὀυκ ἐκ τω ῥαςω συνεκρινατο. i. e. *Animâm autem mundi in ipsius (sc. mundi) medio indidit Deus, & extra eduxit: ipsumque universum ipsa contexit, certo quodam temperamento contemperatam, ex forma nimirum individua, & ex dividua essentia: ut unum quoddam temperamentum ex his duobus existat: cui duas potentias immiscuit, motuum principia. Ejusdem videlicet & alterius. Quæ quidem anima, cum difficulter suscipiat mixtionem, neque facile etiam ad hujus temperamenti formulam coaluit.* Ex hoc loco nec *videmus, unde* anima illa mundi orta sit, nec *quid sit.* Illud ἐπαγαγεν ἐξω frustra urget *Gundlingius. Deus* dicitur eam mundo *indidisse*, consideratur igitur tanquam *aliquid*, quod Dei *imperio & voluntati prorsus obnoxium sit:* quam enim potestatem haberet in id, quod cum essentia sua indivulso nexu cohæreret, & ejusdem esset perfectionis? eduxit illam animam extra, sed an inde necessario sequitur *ergo latuit in ipsa essentia divina?* indita primo fuit mundo, & demum extra educta est. Ubi autem, antequam mundo insereretur, fuerit, *nec vola, nec vestigium adest in Timæo.* Non licet autem ad defendendam hypothesin *quidlibet ex quolibet* elicere. Si conjecturæ locus sit, crediderim, illud ἐπαγαγεν ἐξω nihil aliud denotare, quam animam illam mundi medio insertam a Deo extra eductam, i. e. ad exornandas omnes

nes etiam extremas mundi partes, missam; postea vero hoc facto, denuo in prius domicilium conjectam. (*) Illa contemperatio ex *dividuo* & *individuo*, nihil aliud videtur denotare, quam mundum ex corporibus & principio quodam fœcundante constare. Sed quicquid dicas, nihil, quod omni ex parte satisfaciat, adferre poteris. Sufficit, quod tanquam ministra quædam, Dei Imperio obnoxia consideretur. Hinc. pag. 549. ait: ἀν ἐχ ὑςεραν τας σωματικας ἐσιας συνεταξατο ὁ Θεος, ἀλλα πρεσβυτεραν ἐποιει, *hanc vero non ultimam ordinavit Deus post corpoream ipsam essentiam, sed antiquiorem creavit. Eam mundi* animam (ita pergit D. Gundlingius) Locrus pag. 556. *nominat alteratricem*, Φυσιν ἀλλοιωτικην, *ut Opificis vicem obiret in mortalibus & diurnis animalibus efficiendis, quibus illa, quasi per fluxum quendam animas instillabat*, ὡς τας ψυχας ἐπιῤῥυτως ἐνεςαγε, *partim a sole, partim ab aliis astris, ubi oberrabant, deductas. Unam animam humanam eadem potentia præditam mansisse, qua est illa ipsa mundi anima, quam in parte rationis participe admiscuisset.* Ita *D. Gundl.* Afferam ipsa verba *Locri*, ut, utrum illa necessario fluat inde consequentia, Lector dijudicare possit. Quoniam autem prolixiora sunt, latina tantum dabo. *Jam vero, inquit* pag. 556. *post mundi constitutionem, mortalium animantium generationem molitus est Deus, ut ad imaginem illam perfectus esset plane atque absolutus. Humanam igitur animam ex iisdem rationibus atque potentiis contemperatam, atque divisam distribuebat, naturæ alteratrici hoc tributo ministerio: quæ acceptis harum rerum mandatis, ipsius Opificis quasi vicem obivit in mortalibus & diurnis animalibus efficiendis, quorum animas NB. quasi per fluxum quendam instillabat: ita alias quidem a luna, alias a sole, alias a cæteris, quæ in alterius parte oberrant, astris, deducebant. Unam animam excepit, quæ ejusdem potentia prædita est, quam in parte illa rationis participe admiscuit imaginem sapientiæ his, qui bono fato utuntur.* Et paucis interjectis triplices animæ facultates esse vult. *Circa cor* το θυμοειδες; *circa jecur* το ἐπιθυμητικον; *in cerebro tandem esse* το ἡγεμονικον. Quod si in summam Loeri verba redigamus, sequentia exinde patent. 1. *Deum distingui ab*

(*) Ita explicat ipse Plato in Timæo pag. 711. Edit Ficini: *Postquam igitur*, ait, *secundum Creatoris illius mentem tota animæ constitutio absoluta fuit, mox omne corporeum intra ipsam effinxit, mediumque mediæ accommodans, apto modulamine copulavit. At illa a medio per omne usque ad cœli extrema se porrigens, eique extrinsecum circumfusa, seque in se ipsa convertens, ita sempiternæ sapientisque vitæ in universum tempus divinum dedit exordium:* conferatur Plutarchus de Animæ Procreatione pag. m. 635.

anima mundi cæterisque subſtantiis. 2. Animam mundi Dei miniſtram eſſe, animasque in diverſa loca, ita volente Deo, deduxiſſe, & in corpora immiſiſſe. 3 Animas illas circa ſolem & aſtra oberraſſe. 4.. Animam mundi a cæteris animabus diverſam eſſe, 5. Animas humanas diverſis facultatibus inſtructas eſſe. Exinde tamen concludit *D. G.* pag. 277. *Unde in omnibus rebus invenitur divinum & idem : cui agglutinatur illud celebre non ens, quod non per ſe ſubſiſtit, ſed a divino ſuſtentatur.* Sed quis tam *lynceus* eſt, ut hujus *illationis vim* videre poſſit? materiam non eſſe ſubſtantiam ex mente *Platonis*, *mera ſuppoſitio*, ſupra ſatis, ni fallor, refutata.. In omnibus rebus invenitur divinum, id eſt, dantur intellectuales ſubſtantiæ in homine, circa aſtra ſunt dæmones, ſunt ideæ, eſt denique Deus ipſe. Sed *quo argumento* probatur, aut *teſtimonio*, omnes illas ſubſtantias *unam* efficere, imo cum *ipſo mundo* ita *neceſſario conjunctas*, ut nonniſi *mentis præciſione* diſtinguantur? *clariſſime* hic mundus a Deo, Deus ab anima mundi, animæ ab aſtris & corporibus diſtinguuntur. Aſſerere, hæc omnia per abſtractionem mentis interpretanda, nihil aliud eſt, quam ſine ratione τῇ ὑποθέσει δαλευειν. Unde neceſſe non puto, ut multis conſeq. *Gundlingii* Sect. LXII. adductam ſubvertam. *Ex his vero, inquit, claret, unicam ſubſtantiam eſſe* το Θειον, *cætera non eſſe, niſi per participationem*, κατα μετοχην *unius ſubſtantiæ, quæ influit, in homines & animalia.* Quo enim in loco dicitur, animas illas in animalia deductas ex *Deo repetitas?* ne quidem ex gremio animæ mundanæ prodiiſſe dicuntur. Solum hoc patet, animam mundi cæteras animas corporibus indidiſſe. Cur denique ab aſtris, & a ſole, revocantur illæ animæ, ſi pars ſunt eſſentiæ divinæ? Argumenta inſuper ex hoc *Timæi* libello attuli, ad probandum, Deum ex *Locri* ſententia fines intendiſſe in condendo mundo: Reſpondet, loqui Locrum tanquam *phyſicum;* Deum Pythagoræ autem γεωμετρειν. *Finis conſiderationem in abſtractionem mathematicam* non cadere. Sed quid opus multis verbis, ubi adſunt teſtimonia, *Plato in Timæo, & Locrus* de anima mundi, uti *Phyſici* ſimul & *Theologi* loquuntur. Pandunt rerum initia, ſimulque quomodo & quem in finem cuncta exornata ſint, edocent. De abſtractionibus ſane hic ſermo non eſt. *Deus* & ex noſtra ſententia γεωμετρει, quia omnia certo pondere & menſura condidit. Pag. 554. Locrus ait: *Deum Elementis uſum ad mundum conſtruendum.* Pag. 555. εἰς μεν ὠν ὁδε ὁ κοσμος δαιμονιω δεσμω το ἀναλογον ἐχιν. *Unus igitur hic mundus felicis cujusdam & plane divini vinculi proportione conſtitit.* p. 557. των δ' αἰσθασιων των μεν ὀψιν ἀμμιν τὸν Θεον ἀναψαι

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-836857-p0350-7

ἀναψαι εἰς θεαν των ὡρανιων καὶ ἐπιςαμας ἀναλαψιν. i. e. *At vero ex sensibus visum quidem nobis accendit Deus ad rerum cœlestium contemplationem scientiamque comparandam.* p. 549. λογοι δ' ὁι παντες ἐντι κατ' ἀριθμως ἁρμονικως συγκεκραμενοι. ὡς λογως κατα μοιραν διαιρη κεν ποτ' ἀπιςαμαν. i. e. *Hæ autem rationes omnes sunt contemperatæ ad numeros harmonicos, quas & ipse rationis Opifex congruenter distinxit, certis scientiæ auspiciis. Libellum suum sic claudit.* οἰς ὁ παντων ἀγεμων Θεος ἐπετρεψε διοικησιν κοσμω, συμπεπληρωμενω ἐκ Θεων τε καὶ ἀνθρωπων. των δε ἀλλων ζωων ὁσα δεδαμιεργηλαι ποτ' ἐικονα ταν ἀριςαν ἐιδεως ἀγγενναται καὶ ἀιωνιω. i. e. *Quibus humanarum rerum inspectionem summus ille Deus, omnium Imperator atque præses attribuit. Quibus etiam gubernationem mundi commisit. Qui quidem mundus & Diis, & hominibus, & cæteris animantibus constat, absoluta plane omnibusque numeris cumulata ratione. Et hæc quidem omnia ad optimam illam ingenitæ, æternæ, intelligibilis formæ, imaginem fuerunt creata.* Hæc loca mea opinione probant *quam clarissime*, Deum ex mente Locri *fines intendisse*. Cum autem in superioribus satis clare demonstraverim, *Spinozam* omnes fines negare, constat, *Platonem*, qui Timæum secutus est, cum *Spinoza* non idem sentire.

XXIV. Hactenus ergo abunde docuimus, nulla perspicua loca a *Cl. Gundlingio* allata esse, ad Systema suum defendendum. Videamus jam utrum alia argumenta in promtu habeat, quibus suam sententiam tueri possit. *Sect. VIII. Dissert. suæ* incipit systematis sui ponere fundamenta; omnia huc redeunt: Materiam Platonis (*) secundum me esse æternam, minime a Deo e nihilo creatam, eandem ab æterno fuisse in confuso motu; motum autem materiam non habere a se, non item a Deo creatum, necessario igitur ad emanationem confugiendum; ubi autem emanatio, ibi fluxum locum habere, materiam igitur a Deo ab æterno emanasse. Hæc sequentibus thesibus identi-

(*) B. Lector facile deprehendet, dissertationem hanc apologeticam, vivo adhuc & spirante Cl. Gundlingio, ab Auctore conscriptam. Cum enim jam ad prelum parata esset, fama ad ipsum delata est, Illustrem Virum ad plures abiisse. Hæsitabat igitur, utrum illam luci publicæ expositurus esset, nec ne: verebatur, ne quibusdam mortuo Leoni insultare, uti proverbium habet, videretur. Cum autem amici, quibus multum tribuit Auctor dissertationis, monerent, apologiam istam, ad illustrationem hujus thematis, aliquid conferre posse, desiderio illorum satisfacere voluit. Quod si beati Viri admiratores putent, verbum aliquod durius cum Apologetæ excidisse, illud non dictum quam maxime vellet, simul tamen rogat, ut illi, qui manes ejus venerantur, velificationem B. Viri legant diligenter, antequam apologetica hac dissertatione acerbius quam par esset? exceptum esse Defunctum, judicent.

dem repetit, atque ad ea tanquam principia mathematica provocat. Sed tota illa ſuppoſitio falſa mihi videtur. Confundit enim perpetim *quæſtionem juris* cum *quæſtione facti*. *Quæſtio inter Cl. Virum & me hæc eſt: Utrum Plato Spinozæ ſententiæ addictus fuerit, nec ne?* aſſerit ipſe, ego nego. Provocamus ergo jure ad teſtimonia, ex quibus ſententiam *Platonis* cognoſcere licet. Adduxit ille duo loca, quibus probare voluit, materiam e ſinu Dei propulſam. Ego non ſolum directe alia huic ſententiæ oppoſita adduxi teſtimonia; Sed oſtendi etiam, illa ipſa ex *Phileb*o & *Locro* adducta prorſus nihil probare. Exiſtumo autem, in explicatione veterum perſpicuis teſtimoniis inſiſtendum eſſe, ſive illa vera vel falſa, noſtram ſententiam confirmatura, aut ſubverſura. *Tota* autem *moles ratiocinationum Gundlingii* ex *meris conjecturis* & *conſequentiis conſtat*. Abſurdum eſt, inquit, *Platonem* materiam æternam per ſe ſubſiſtentem, confuſe motam credidiſſe. Ita eſt. Sed num ideo ſequitur: Ergo *Plato* id non profeſſus eſt? ergo clariſſima teſtimonia neganda, aut alium in ſenſum torquenda? cedo conſequentiam. *Non enim quæritur, quid ſentire debuerit, aut quomodo potuerit ratiocinari*, ſed *quid ſenſerit?* ab hac quæſtione ſi diſcedimus, *meræ ſurgent tenebræ*. *Hierocles* aliique inter veteres agnoverunt, abſurdum eſſe, materiam aliquam ſtatuere æternam, hinc nimio tandem amore *Platonis abreptus Hierocles* adſeruit, *Platonem creationem* materiæ e nihilo profeſſum. Sed vapulavit ille. Quare? quia, quid dicere debuiſſet *Plato*, oſtendit, non item quid ſenſerit. Si ad *Spinozæ* Syſtema oculos mentis convertamus, non minores difficultates occurrunt, ſed potius errorum monſtra. Quid ergo faciendum? mea opinione, poſitis omnibus præjudicatis opinionibus, legendus ipſe *Plato*, neque unus aut alter locus evolvendus, ſed totius Syſtematis nexus, quantum fieri poteſt, introſpiciendus, & tum demum quid ſenſerit, verum an falſum, abſurdum vel ſolidum, dicendum. Hoc pro viribus præſtiti, *apertiſſimaque adduxi loca*, quibus probatur, *Platonem* materiam æternam a Deo prorſus diverſam, nulloque modo cum Eo conjunctam agnoviſſe. Sed fluxionis materiæ e Deo nullum eſt veſtigium. Num autem propter motum materiæ, quem *Plato* in materia illa indigeſta ſupponebat, contra evidentiſſima illa teſtimonia & nexum Syſtematis, aſſerendum eſt, fluxionis illius cauſam in Deo quærendam, *Platonemque* unicam ſubſtantiam agnoviſſe? non putaverim. Eadem ratione, ſi ita veteres interpretari liceat, probabo, *Platonem* Creationem e nihilo agnoviſſe. Exaggerandæ tantum erunt difficultates, quæ

in

in Systemate duorum principiorum & *Spinozæ* locum habent, & adferenda quædam loca, quibus hoc probari videtur, & habebo, quod volo. Sed ita frustra me esse, omnes rerum æqui arbitri judicarent. Hinc puto, inutilem esse illam *quæstionem* Sect. 10. alibique *toties totiesque* repetitam, quomodo materia a Deo moveri exornarique potuerit, si per se extiterit? quodnam jus habeat Deus in materiam? Neque enim ego absurdæ sententiæ a *Platone* assertæ explicationem dare vel possum, vel debeo. Si *D Gundling.* interrogarem, quomodo admirabilis ille ordo a causa necessario agente secundum *Spinozam* exoriri potuerit? sine dubio responderet, quæri, quid *Spinoza* senserit, non item, quid statuere debuerit. Sibi ergo habeat idem responsum. Nullus ex iis, qui absurdum *Transsubstantationis* dogma defendunt, hoc σιδηροξυλον explicare potest, nec minus tamen constanter defendunt. Sufficit igitur probasse, *Platonem* materiæ æternam subsistentiam probasse, licet, qua ratione eam probare, aut cum aliis assertis conciliare potuerit, explicare non possimus. Hæc cum jam in dissertat. mea dixissem, *D. Gundling.* Sect. 98. hanc meam responsionem *absurdam* vocat, & *nescire me leges verisimilitudinis.* Sed ego pro mea simplicitate hactenus credidi, summum gradum verisimilitudinis efficere *aperta testimonia*, in *quæstione* nimirum *facti.* Utrum autem testimonia adtulerim perspicua nec ne, aliorum, qui extra partes sunt, judicium esto. Neque enim, *addit D. G. omnes, quas nos cernimus oriri inde periculosas conclusiones ex emanationum doctrina, comprehendit Plato.* Sed probandum primo, *Platonem* emanationem ex Deo statuisse. Deinde majori jure eam responsionem meam facio. Ego non conjecturis, sed argumentis probo, *Platonem* materiæ æternitatem agnovisse, & hoc posito, ajo, frustra absurditatem hujus dogmatis urgeri, quandoquidem omnes consequentias inde orituras forsan non perspexit. *Plato* ordinem universi contemplans, summum mundi Rectorem esse concluserit, dum autem ad materiam se convertit, creatio ex nihilo illum turbabat. Asseruit igitur, materiam esse æternam, de modo, quo Deus in eam ageret, aut quod jus in eam haberet, interea solicitus non erat. Exornata est secundum eum a Deo materia, ergo hoc fieri etiam potuisse concluserit. At *Chaldæi, inquit, Ægyptii, Pythagoras, Heraclitus, Socrates aliique* ἀποῤῥοιας *statuerunt, hos secutus est Plato.* At ego hæc omnia mihi probari vellem. Scio, *Heraclitum, Pythagoram* aliosque asseruisse, *materiam in perpetuo fluxu esse.* Sed materiam illam in perpetuo fluxu existentem *ex Deo* tanquam *substantia corporea* emanasse, hoc inquam

inquam probari vellem. Scio, *P. Baylium* jam *ante Gundlingium* talia perhibuisse; sed suo tempore ostendam, non iis argumentis superstructam esse hanc assertionem, quæ veri amantem in adsensum pertrahere possit. Sed pone, hos omnes *Spinozæ* sententiæ addictos fuisse, tum quæstio gravissima supereresset, utrum *Plato* hac in parte ab iis receserit nec ne? & ita denuo ad perspicua loca *Platonis* omnis controversia devolveretur. Cum autem hactenus e *Platone* perspicue consensus ille cum *Spinoza* probari haud possit, jure adsero, eum in alia omnia iisse.

XXV. *Cl. Gundling. Sect. XI.* & *sequentibus ingeminat, veteres quidem æternitatem materiæ professos, sed simul tamen eandem materiam fluidam ex essentia divina emanasse, perhibuisse.* Nullo autem cum hoc probet testimonio, opus non est, ut multis huic objectioni inhæream. *Sect. XVIII.* & *XIX. eandem cantilenam repetit*, & *rogat*, ut explicem, quomodo ergo materia æterna ordinari potuerit a Deo? quam potestatem habeat Deus in materiam æternam? unde motus ille confusus materiæ? Sed supra satis respondi, ad has quæstiones interrogandum esse *Platonem* ipsum. Probandum saltem, posita illa materiæ æternitate, Deum tolli, aut unicam effici substantiam. *Sect. XX. denuo ad Ægyptios, Chaldæos &c. provocat* ἀποῤῥοίας *defendentes.* Novi, *Chaldæos* de *intellectualibus Sectionibus* & ἀποῤῥοίαις loqui, siquidem standum est fragmentis illis, quæ restant. Sed earum nomine intellexisse *proprie dictum* aliquem *fluxum*, *partiumque divulsionem*, probandum esset. Materiam interim certo sensu ἀγενναλον & γενναλον dici posse, supra jam monui. Provocat ad *Stilling fleeti Orig. Sacr.* Lib. III. p. 846. in quo *Illustris* ille Præsul ostendit, *Thaletis* ὑδωρ & *Platonis materiam confuse motam idem esse.* Concedo hoc, sed probetur, Thaletem dixisse, materiam illam, quam ὑδωρ vocat, *e sinu Dei per fluxionem emanasse.* Non quæritur enim, utrum *Platonis* materia æterna in perpetuo fuerit fluxu? sed utrum ex divina Essentia Numinis effluxerit? Vellem, ut Cl. *Gundling. antecedentia etiam Stilling fleeti* perpendisset. Pag. enim 843. ex *Laërtio docet*, *Ægyptios mundo originem dedisse.* Pag. 845. testimonio *Plutarchi docet*, *Pythagoram duo principia* omnium rerum ποιητικον ἀιτιον (ὁπερ ἐστι νους) & παθητικον καὶ ὑλικον, *agnovisse.* Sect. XXI. quærit, quomodo Dii illi, quorum mentionem facit *Plato in Timæo*, *orti sint?* Dixi in *dissert. mea*, deos illos esse Solem, Lunam, imo etiam Dæmones. Vocantur Θεοι γενητοι. Quomodo *Platonis* Deus vastissima illa corpora exornare potuerit, dicam, quam-

quamprimum Cl. Vir mihi explicabit nexum, qui intercedit inter substantiam spiritualem & corpoream. Hoc scio, *Platonem* adseruisse, Deos illos a mente nobilissima fuisse factos, & imperio ejus obnoxios. Sect. XXII. rursum quærit, quid sit *generari?* Dicam. *Plato*, ut ex *Timæo Locro* audivimus, materiam tanquam *matrem*, τὸν νεν instar *Parentis alicujus consideravit.* Quamprimum igitur Deus, tanquam *nobilissima mens*, aut νες *ipse materiam* hactenus confusam *in ordinem redigit*, dicitur *Platoni mundus generari.* Quod si, missis hisce, urgere vellem vocem γενναν, facillime probarem, potius ea denotari *creationem*, quam rei jam existentis productionem. Sect. XXIII. probare vult, animam mundi esse ἀποσπασμαῖον quoddam *essentiæ divinæ.* Provocat *ad locum Platonis, qui extat p. 710. vers. Ficini; Eum autem attulisse, refutasse est.* Sonat autem ita. *Ille vero tam generatione, quam virtute priorem antiquioremque animam corpore constituit, utpote quæ obedienti corpori esset imperatura. Ex his videlicet, atque hoc pacto. Ex ea substantia, quæ individua & semper eadem similisque est, & ex ea, quæ circa corpora dividua fit, tertiæ substantiæ speciem commiscuit mediam, quæ rursus esset naturæ ipsius ejusdem, & naturæ ipsius alterius particeps, eamque per hæc mediam constituit inter individuam substantiam & eam, quæ circa corpus dividitur. Ea cum tria sumpsisset, in unam speciem omnia temperavit. Quid inde concludat Gundlingius*, audi. *Tali igitur modo infusa est anima mundo toti, quæ Spiritus est divinitatis ipseque Deus.* Sed quis non videt, nullum hujus *consequentiæ vestigium* in hoc loco esse? nimirum anima mundi ex re corporea & spirituali contemperata fuit a Deo, Ergo prodiit, vel emanavit e sinu Dei, ut pars a toto. Quis dubitet? Ut nihil jam dicam, in sequentibus *Platonem* aperte satis significare, hanc *animam tanquam Creaturam* (*) prorsus a Deo *diversam*, ejusque obnoxiam Imperio considerandam. Pag. 711. vers. Ficini ita loquitur. *Postquam igitur secundum Creatoris illius mentem tota animæ constitutio absoluta fuit, mox omne corporeum intra ipsam effinxit, mediumque mediæ accommodans, apto modulamine copulavit; & paucis interjectis: & corpus quidem cœli spectabile factum est, anima vero oculorum effugit obtutum, rationis & modulaminis compos ab auctore suo omnium, quæ semper sunt & ad intelligentiam pertinent optimo*, ipsa *quoque optima omnium, quæ genita sunt, effecta.* Nemini sane, nisi aliunde jam præconceptis opinionibus imbuto, in mentem veniet, hanc animam divinæ essentiæ partem esse, ab illa divulsam. (**)

(*) Sensu Platonico.

(**) Perspicue de hac materia loquitur Doctissimus Porphyrius περὶ ἀποχῆς pag. m. 80.

XXVI. Ut autem *Cl. Gundling.* per partes probet, tria illa principia *Platonis* Θεον, νȣν ſeu λογον, & animam mundi inter ſe conjuncta, & arctiſſime materiæ alligata eſſe, Sect. XXIV. probare primo contendit, τον νȣν, ſeu λογον *Platonis* progeniem eſſe Dei, ſeu effluxiſſe & emanaſſe a primo: *A ſummo Deo & ἀνȣσιῳ* inquit, *ſupraeſſentiali mens venit, ſicuti a mente illa anima mundi egreſſa eſt.* Et paucis interjectis ita argumentatur. *Aut mens illa & Opifex ſummus erit Deus, aut non. Si prius, ſat erit probaſſe, animam mundi eſſe decerptum iſtius, ſin ſubſtantia nova, cauſa ſane ejus erit, unum illud ἀνȣσιον, quod nominari ac percipi nequit. Si hoc, quomodo igitur orta eſt mens? utrum ex nihilo, an ex ſummo illo Divinitatis ſinu?* Provocat ad Philebum *Platonis* pag. 90. verſ. Ficini, *in quo Socrates:* τῃ δε γε ἐμῃ Ζητησει πεπορικως ἀποκρισιν, ὁτι ἐςι γενȣςης των παντων αἰτιȣ λεχθεντος των τετταρων, ὡν ἠν ἡμιν ἐν τȣτο i. e. *meæ vero petitioni reſponſum porrigit, quod mens eſt progenies quædam ejus cauſæ, quæ cauſa dicitur omnium, quæque eſt ex quatuor iſtis, quæ relata ſunt, unum quiddam. Ubi autem progenies,* ita concludit *D. G. ibi generatio, & generatio ſine effluentia concipi nequit, quia creatio ex nihilo vaneſcit. Reſp.* 1. *de* λογῳ ſeu ſecundo principio diverſimode ratiocinantur *Plato* & diſcipuli. *Aliquando* τον νȣν tanquam aliquid per *ſe ſubſiſtens, æternum,* conſiderant, æque ac την ὑλην ſeu materiam; *aliquando* illam mentem, *originem ſuam* a Deo habere, gradibusque perfectionis tantum a primo Ente diſtinctam eſſe perhibent. *Aliquando Deo ſoli* Imperium in omnia adſcribunt; Mox tamen λογον illum tanquam Parentem omnium, quæ κατα λογον facta ſunt, inducunt, adeo ut tuto ex hiſce ratiocinari non liceat. 2. Ponamus autem cum D. G. τον νȣν eſſe progeniem mentis divinæ, nondum inde ſequitur, ergo locum habet proprie dicta *effluxio* (**), *emanatio, partium*

m. 80. ὁ μεν πρωτος θεος ἀσωματος τε ὢν και ἀκινητος και ἀμεριςος, και ȣδε ἐν τινι ὤν, ȣτε ἐνδεδεμενος ἐις ἑαυτον, χρηζει ȣδενος των ἐξωθεν, ὡσπερ εἰρηται. ȣ μην ȣδ' ἡ τȣ κοσμȣ ψυχη. ἐχȣσα μεν το τριχη διαςατον και αὐτοκινητον ἐκ φυσεως, προαιρεισθαι δε πεφυκυα τȣ καλως και ἐυτακτως κινεισθαι και κινειν το σωμα τȣ κοσμȣ κατα τȣς ἀριςȣς λογȣς. δεδεκται δε το σωμα ἐις ἑαυτην και περιειληφε, καιπερ ἀσωματος ȣσα και παντος παθȣς ἀμετοχος. i. e. Deus ſupremus incorporeus cum ſit, & immobilis & indiviſibilis, nec in aliquo exiſtens, nec in ſe ipſum aſtrictus, nulla re, quæ extra illum eſt indiget, ut diximus: ſed nec anima mundi: triplicem quidem habens diviſibilitatem, & poteſtatem a natura ſeſe movendi, ita tamen ab eadem facta, ut eligat bene & ordinate moveri, & mundi prolem ſecundum rationes præſtantiſſimas concitare. Sibi autem corpus adſcivit, & circumdedit, licet incorporea ſit, & nullius paſſionis particeps.

(**) Quæ ſcilicet partium evolutionem & cum alio communicationem, vi vocis proprie ſum-

partium a partibus separatio, de quo tamen quam maxime quæstio est. Vocem γενναν de rebus divinis usurpat *Plato*, & sine dubio locutus est de rebus, quarum perspicuas notiones minime habebat; hoc certum, quod licet nonnunquam adserat, difficile esse naturam Dei invenire, eum ἀνεσιον, & supra omnes, uti in Scholis loquuntur, categorias evectum, *semper tamen intelligentis* & perfectissimæ naturæ Deum esse tueatur. In Timæo pag. 528. ait: ὅτως δη πας ὀντως ἀει λογισμος Θεου — λογισθεις, *hæc omnis vere existens ratiocinatio Dei — ratiocinata. In Epinomide* vero pag. 702. λογον adpellat, ubi de mundo, ὁν ἐταξε λογος ὁ παντων Θειοτατος ὁρατον, ut de aliis locis, quæ supra adtuli, nihil dicam: at hoc posito quæritur, quomodo generatio quædam in divinis locum habere possit sine effluxione, & intellectualia ab intellectualibus oriri. 3. Igitur attendamus ad ipsam mentem nostram, cum omnes nostræ ratiocinationes de Deo repetitæ sint ex iis, quæ in mente nostra deprehendimus. Cognoscimus autem naturam mentis nostræ potius ex intimo quodam sensu, quam perspicua notione animo obversante. Idearum circa mentem perpetuus quidam fluxus, seu itus & reditus est; utrum illæ a mente oriantur nec ne, & quomodo insint menti, prorsus ignoramus. Videntur quidem omnes ideæ ope voluntatis nostræ, vel certe non sine ea, progenerari: sed quomodo intercedente voluntate illæ accedant, denuo nescimus. Quod si jam ad Deum convertamus oculos mentis nostræ, tanti Numinis Majestate animus absorbetur. Quomodo mens illa nobilissima cogitet, imaginetur, ratiocinetur; quomodo omnium rerum præsentium, præteritarum, futurarum, contingentium, necessariarum, præsentissimas semper habeat notiones, ignoramus. Nescimus, quomodo posita voluntate Dei, omnia & orta sint & conserventur. Verbo, naturam Dei introspicere mortalium non est. Quem in finem, inquiet *D. Gundling*. hæc adferuntur? Dicam. Ex his sequitur, nos prorsus nescire, quomodo a Deo aliquid oriri possit: sequitur, temerarium esse, definire, a Deo, & ex Deo, nihil oriri posse, quam per emanationem

sumtæ indicat. Talem enim emanationem, quæ materialitatem in Deo supponit, admisisse & statuisse Platonem, supponit semper V. C. non probat, nisi per circulum. Quod si vero emanatio sensu latiore sumta, indicet tantum essentiæ communicationem, naturæ rei convenientem, & ita nihil amplius dicat, quam æternum Patrem ex se, modo spirituali produxisse Mentem, tunc admitti quidem ista vox potest, cadunt vero objectiones D. Gundlingii, quia nec inde ulla in Deo materialitas, ut ita dicam, evincitur, nec essentiæ communicatio hypostasin propriam αὐτὴν καθ' αὑτὴν, quæ Platonis locutio est, excludit: Certe ex mente Platonis excludere non potest.

proprie dictam & fluxum. Mallem ego hac in parte meam confiteri ignorantiam. *Sed Plato*, ait, *tanquam Philosophus hæc explicare voluit.* At ego dico: primo, nos ignorare, quæ ad sententiam ejus rite intelligendam facere possent, cum & ipse & discipuli varie rem explicent. *Secundo* non *Plato* tantum, sed & nos, qui meliora edocti sumus, nihil hac in re certi possumus definire, ob rei ipsius obscuritatem. *Theologi Christiani* olim & nunc locuti sunt *de æterna quadam generatione filii*, nemo tamen modum se explicare posse contendit. Dicet, hoc *mysterium esse*. Non nego; sed nulla tamen proprie dicta emanatio, nullus fluxus locum habet, sed intellectualis quædam, & ineffabilis, secundum eos generatio est. Non ignoramus, quid sit alias generare, seu quid hoc vocabulo denotetur; sed cum de divinis sermo est, phrases illæ rite rei, quam ignoramus, aptari non possunt; *Plato* quidem hæc non tanquam mysteria cælitus revelata proposuit, hactenus tamen res eodem recidit. Si enim vere putavit, λογον a Deo ortum, non magis rem illam explicare potuit, quam nos generationem æternam filii Dei. Debuisset, verum est, hæc tanquam Philosophus perspicue explicare aut tacere: sed quis ignorat, non minus *Philosophos* aliquando, quam alios *loqui de rebus, quas minime intelligunt.* (*) *Tertio:* Quicquid tandem sit de λογῳ & ejus origine, nulla ratione probari potest, proprie dictam emanationem locum habere. Deus enim ex mente *Platonis* nunquam tanquam Ens aliquod extensum & fluidum describitur. Neque etiam vox γενναν ultra modum hic urgeri potest. *Theologi Veteres* cum de *ineffabili mysterio Trinitatis* locuti sunt, voce ἀπορροιας frequenter usi sunt, diligenter tamen cavendum esse injunxerunt, ne lectores sibi persuadeant, *emanationem proprie sic dictam* locum habere. Juvat hoc testimoniis quibusdam probasse, quæ magno numero apud *Petavium*, *Huetium*, *Bullum*, inveniuntur. Athanas. Lib. de Decretis pag. 409. inquit: *Aliter se habet hominum generatio, aliter filius a Patre oritur. Etenim progenies hominum partes sunt quodammodo gignentium. Quoniam natura ipsa corporum non est simplex, sed fluida & ex partibus composita: effluuntque cum generant homines: & vicissim, cum aluntur, cibi in eos & potus influunt, quam ob causam multorum per tempora filiorum Patres fiunt homines.* Ὁ δε Θεος, *inquit*, ἀμερης

(*) Accedit, quod Plato ingenio quam judicio excellentior, ideas rerum claras & distinctas non tantum sibi ipsi non formaverit, sed & occultandi tam difficilem doctrinam studio obscurius subinde rem expresserit, sibi ipsi quidem haud raro non constans; unde ex hac re argumentum sumi non potest.

ἀμερης ὠν ἀμεριςως ἐςι, καὶ ἀπαθης τȣ Ἡηȣ πατηρ. ȣ̓τε γαρ ἀπο᾽ρ῾ροη τȣ σωματος ἐςιν, ȣ̓τ᾽ ἐπι᾽ρ῾ροη τις εἰς ἀυτον γινεται. Eodem loco pag. 410. *Theognostus* filii generationem explicaturus ait: ἀλλα ἀπο᾽ρ῾ροια της τȣ πατρος ȣ̓σιας, ȣ̓ μερισμον ὑπομεινασης της τȣ πατρος ȣ̓σιας. i. e. *Sed effluxio est substantiæ Patris, non ut divisionem passa sit Patris substantia. Eusebius in Epistola de Synodo Nicæna apud Socrat. Eccles. Hist. Lib. 1. cap. 8. Cum hæc ab illis dictata esset formula* (nempe formula, quæ hodie Symbolum Nicænum dicitur),) *id quod ab illis dictum erat, ex Substantia Patris & Consubstantialis, non absque examine prætermisimus. Hinc igitur variæ quæstiones ortæ sunt, & responsiones: & quænam esset eorum verborum sententia, accurate expendebatur.* Και δη καὶ το ἐκ της ȣ̓σιας ὡμολογητο προς ἀυτων, δηλωτικον εἰναι τȣ ἐκ μεν τȣ πατρος εἰναι, ȣ̓ μην ὡς μερος ὑπαρχειν τȣ πατρος. Ταυτα δε καὶ ἡμιν ἐδοκει καλως ἐχειν συγκατατιθεσθαι τῃ διανοιᾳ. i. e. *& has quidem voces, ex substantia, fassi sunt hoc significare, filium quidem esse ex Patre, sed non tanquam partem ipsius Patris. Hunc sensum ut nos quoque amplecteremur, æquum omnino videbatur.* Supra in eadem Epistola dixerat *Eusebius*, ipsum *Constantinum Episcopis quibusdam de vocabulo Homousiu quærentibus* satisfecisse his verbis: ὁτι μη κατα τα των σωματων παθη λεγει το ὁμοȣσιον, ȣ̓τε ȣ̓ν κατα διαιρεσιν, ȣ̓τε κατα τινα ἀποτομην ἐκ τȣ πατρος ἀποςηναι. μητε γαρ δυνασθαι την ἀϋλον καὶ νοεραν καὶ ἀσωματον φυσιν σωματικον τι παθος ὑφιςασθαι. Θειοις δε καὶ ἀπο᾽ρ῾ρητοις ῥημασι προσηκει τα τοιαυτα νοειν. i. e *Consubstantiale a se dici, non juxta corporum affectiones: neque per divisionem, aut per Sectionem quandam filium ex Patre subsistere. Fieri enim non posse, ut materiæ expers natura, intellectualis atque incorporea; corpoream ullam affectionem admittat: Sed divinis arcanisque rationibus id esse intelligendum.* Hinc *doctissimus Bullus* defens. Fid. Nic. pag. 197. postquam *Origenem* contra *Illustrem Huetium* defendisset, quid similitudine *Solis & radiorum*, qua frequenter utebantur veteres, denotare voluerint, ita explicat: *Verbo dicam, Origenes aiiique Catholici Patres, simile illud Solis & radii, lucis & splendoris usurpantes, hæc tantum significare voluerunt, neque aliud quicquam ipsis in mentem venit. 1. Patrem esse* πηγην θεοτητος *fontem divinitatis, quemadmodum Sol fons est splendoris ex ipso emissi. 2. Filium esse ejusdem naturæ ac substantiæ, cujus est Pater: utpote de ipsa Patris essentia genitum, ut lumen ex lumine manat. 3. Filium neutiquam a Patre suo divisum ac separatum existere, quemadmodum nec radius a Sole, nec splendor a luce disjungitur. 4 Denique filium sine alteratione & diminutione divinæ essentiæ ex Patre nasci. Equidem*

dem hos animi nostri conceptus de adoranda generatione filii Dei, mirum in modum adjuvat similitudo ista, unde & Patribus Nicænis in ipsa confessione sua adhibita fuit. Placuit eadem comparatio *Reverendissimo in Christo Patri, Tillotsonio, viro ut aliis Dotibus & Virtutibus præcellentissimo, sic acuto præprimis & perspicaci.* Is enim in *Sermone* 45. de *divinitate Jesu Christi* Tom. 6. Ed. Gall. pag. 29. & seq. ita loquitur de Servatore nostro: *il étoit Dieu, en ce qu'il participoit à la Nature & à la Felicité divine, conjointement avec le Pere, & en ce qu'il procedoit du Pere comme la Lumiere procede du Soleil. Je me sers de cette comparaison après les anciens Peres de la primitive Eglise, & peut-être est cela plus propre à expliquer le mystere: Car il ne faut pas se mettre dans l'esprit de trouver parmi des Etres finis aucune ressemblance exacte avec ce qui est infini & par consequent incomprehensible. La chose est impossible, parce que tout ce qui est infini, est par cela même au-dessus de la portee d'une intelligence finie, & quiconque voudra l'entreprendre, s'appercevra bientôt qu'il se perd dans cet abyme.* (*) Ex adductis locis patet, veteres voce ἀπορροίας *lucis, radii* &c. usos, dum de æterna filii progeneratione locuti sunt: interim tamen *omnem emanationem proprie dictam* longissime removisse, quia cum Intellectuali & præstantissima Dei natura ejusmodi emanatio consistere minime possit. Quod si igitur *Plato* vel maxime τον λογον *Dei progeniem* esse dixisset, nondum tamen probatum esset, *fluxionem* aliquam, aut *partium separationem* hic locum habere, nisi aliunde clarissimis testimoniis probaretur, Deum *Platonis* Ens aliquod fluidum esse, & ex partibus compositum. Cæterum locus, ad quem provocat *Gundlingius*, potius probat, mentem nostram progeniem esse Dei, quam τον λογον. Extat is pag. 161. Ed. Græc. Basil. ubi postquam sub Persona *Socratis* diu disputavit *Plato*, quod corpus nostrum ex universi corpore sit decerptum, eadem asserit de anima, & ex *Protarcho* quærit: Το παρ' ἡμιν σωμα ἀρ' ἐ ψυχην φησομεν ἐχειν. Cui Protarch. Δηλον ὁτι φησομεν. Tum *Socrates*: πόθεν, ὠ φιλε πρωταρχε, λαβον, ειπερ μη τυγε τε παντος σωμα ἐμψυχον ὀν ἐτυγχανε ταυτα γε ἐχον τατω, καὶ ἐπ καλλιονα; Cui mox ille: Δηλον ὡς ἐδαμοθεν ἀλλοθεν, ὠ Σωκρατες. i. e. *Nonne affirmabimus, nostrum corpus habere animum? perspicuum sane est. Unde vero, mi Protarche, aliunde susceperit, nisi illud universi corpus animatum sit? quippe quod hæc eadem ipsa habeat, quæ corpus nostrum, & præstantiora etiam? manifestum, quod nequaquam aliunde.* Hinc paucis interjectis pergit Socrates:

(*) Paria passim Theologi & Commentatores ad Ebr. 1, 3. inculcant.

es: *Quamobrem*, inquit, *rationem illam ulterius persequentes licebit asserere, ea quæ sæpenumero diximus, infinitum prorsus in hoc universo consistere, sufficientemque terminum causamque illis haud ignobilem semper adesse ornantem disponentemque horas & menses & annos, mentem & sapientiam merito nuncupatam.* Pro. *Merito.* Soc. *Sapientia vero ac mens absque anima nunquam sunt.* Pr. *Nunquam certe.* Socr. *Ergo in Jovis ipsius natura regiam animam regiamque mentem inesse propter vim causæ fateberis, & in aliis item alia pulchra, ut illorum cuique dici placet.* Pr. *Maxime.* Socr. *Præcedentem*, Protarche, *sermonem nequaquam temere inductum putes: his enim, qui olim mentem omni mundo præsidere ostenderunt, adminicula præbet.* Pro. *Præbet sane.* Soc. *Meæ vero petitioni responsum porrigit, quod mens est progenies quædam ejus causæ, quæ causa dicitur omnium, quæque est ex quatuor his, quæ sunt relata, unum quiddam. Habes jam nostram expositionem.* Ex hoc loco patet, *Socratem* ex antecedentibus concludere, quod, quemadmodum mundus est animatus, sic etiam corpora nostra mentem sapientiamque a Deo accepisse. Quod si tamen de λογω sermo esset, idem tamen locus doceret, originem ejus *nonnisi intellectuali ratione* intelligendam, cum Dei naturæ regiam animam, regiamque mentem inesse perhibeat.

XXVII. Jam progreditur *D. Gundling.* ad animam mundi, probaturus, eam itidem ex 2. principio emanasse. *Num vero mundi anima*, inquit *Sect. XXVI. e mente divina sit coorta, tanto minus dubitari potest, quanto certius constat, eam participare mentem: quæ participatio sine emanatione profecto concipi non potest.* Provocat ad locum Timæi. *Nam cum de illo*, inquit, *Demiurgo, qui est νας verba fecisset, ostendit is quoque, quemadmodum mundi anima sit ab ipso, tanquam συναιτιον, Genita.* Ψυχην δε εις το μεσον αυτε θεις, δια παντος δε ετεινε καὶ ετι εξω το σωμα αυτη περιεκαλυψε, καὶ κυκλω δη κυκλον στρεφομενον ερανον ενα μονον ερημον κατεστηκε. i. e. *animum autem ut in medio ejus collocavit, ita per totum tetendit. Deinde eum circumdedit corpore, & vestivit extrinsecus, cœloque solivago & volubili & in orbem concitato complexus est.* Ita D. G. Si concederem, animam mundi, a mente originem habere, quod Juniorum Platonicorum adsertum est, nihil tamen hoc faceret ad thesin Cl. Viri adstruendam. Probare vult, animam mundi effluvium aliquod esse divinæ naturæ, *proprie ita dictum.* At *mera suppositio* est, Deum *Platonis* constare ex materia fluida: *mera suppositio* est, λογον principium aliquod esse ex partibus compositum. Si igitur

anima

anima mundi orta est ex 2. principio, nonnisi ea ratione oriri potuit, quæ conveniens est naturæ hujus principii. At *Platonici omnes* consentiunt, τον λογον intellectuale principium esse. (*) 2. Locus ille ex Timæo adductus nihil probat, Si *antecedentia & conseq.* adduxisset *Cl. Vir*, omnes perspexissent, nec de 2. principio sermonem esse, neque etiam dici, animam illam mundi ex mente vel Deo emanasse. Locus extat pag. 478. proxime præcedunt hæc verba: ὁτος δη πας ὁντος ἀει λογισμος Θεϱ περι τον ποτε ἐσομενον Θεον λογισθεις, λειον καὶ ὁμαλον, πανταχη τε ἐκ μεσϱ ἰσον καὶ ὁλον καὶ τελεον ἐκ τελεων σωματων, σωμα ἐποιησε. i. e. *cum hæc igitur Deus ille, qui semper est, de aliquando futuro Deo cogitaret, lenem eum effecit, æqualemque, & a medio ad summum usque parem, corpusque ex corporibus totis & perfectis totum atque perfectum.* Post hæc verba immediate sequuntur, quæ citavit D. G. sequuntur autem hæc. *Itaque omnibus his de causis Opifex ejus beatum Deum effecit: Sed animam haud ita, ut modo dicere cœpimus, tum denique cum corpus ei effecisset, procreavit.* Ex hoc loco clarissime patet, Deum, primam illam mentem, fabricasse mundum; illum & animam quidem mundi ab eodem mundo insertam esse, sed minime ex essentia divulsam fuisse. Altum etiam hac de re silet T. Locrus, qui sane hic minime negligendus est. 3. Si cum Platonicis tria principia statuamus, quorum secundum a primo, tertium a secundo, ortum sit, quæque inter se gradibus perfectionis distincta sint, tum ne hoc quidem juvat *D. Virum. Primum* enim a *Platone* & sequacibus semper describitur tanquam perfectissimum, eminentissimum, & quod supra omnem intelligendi vim positum est. *Secundum* semper tanquam νοατον παραδειγμα. *Tertium* ex dividuo & individuo compositum, tanquam causa omnia fœcundans. Nullibi autem *Plato*, trium illorum principiorum originem *perspicue explicuit.* Interim cum aliunde notum sit, Deum & λογον in systemate *Platonis* semper principia quædam νοερα denotare, animum ab omnibus rebus, quæ in sensus cadunt, revocare debemus,

(*) Nemesius περι φυσεως ἀνθρωπϱ cap 2. pag. 81. clare docet animam mundi non esse corpus. Ita enim ex versione: Plato & unam & multas esse animas affirmat. Unam esse hujus universi animam, esse etiam alias rerum singularium, ut universum, universi anima separatim animatum sit: itemque separatim res singulæ, sua quæque sint anima prædita dicit enim universæ naturæ animam porrectam a centro orbis terræ, usque ad cœli summitatem: non equidem ut locum ista notet porrectio, sed extensionis quendam modum quem mens & ratio assequatur atque hanc esse animam, quæ in orbem rerum universitatem contorqueat, mundique corpus contineat, atque constringat. Egere enim corpora vi aliqua, a qua contineantur, idque præstare animam, quæ speciem efficit, supra ostensum est.

mus, neque quicquam ei imputare, quam quod vel *diserte* professus est, aut per *evidentissimam consequentiam* ex principiis ejus sequuntur. Sed animam illam, inquit, Θεον γεννησομενον *vocavit*. Sit ita. Et mundum non semel ita adpellavit in Timæo, constat tamen, materiam a Deo secretam fuisse, nec e sinu ejus expulsam. Θεος dicitur illa anima, quia non solum ex re corporea, sed & spirituali composita est. *Sed expandit se illa anima*, inquit. Ita est. Sed supra jam observavimus, hanc animam ex dividuo & individuo nescio quomodo contemperatam esse: quæritur igitur, utrum ipsa quatenus intelligibilis est, proprie loquendo dici possit fluere, se se expandere. Ex natura ejus, quatenus νοερον τι, hoc minime sequitur. (*) Si a mente originem habet, nec sic expansioni locus. Quatenus corpore induta est, hoc efficere potest. Vero enim quam maxime simile, animam illam mundi vehiculo quodam corporeo vestitam, uti omnes possit mundi pervadere partes. (**) Quod si *Timæum Locrum* legamus, non prorsus evanida hujus rei vestigia adparent: cum enim pag. 656. de anima humana loquitur, ait: τως μεν γαρ ἀνθρωπινας ψυχας το μεν λογικον ἐχει καὶ νοερον, το δ'ἀλογον καὶ ἀφρον. Τῳ δε λογικῳ το μεν κρεσσον, ἐκ τας ταυτω φυσιος. Το δε χερειον ἐκ τας τω ἑτερῳ. i. e. *nam humanæ animæ altera pars rationis est particeps & intelligens: altera rationis expers atque*

(*) Porphyrius, Platonicæ Philosophiæ peritissimus, sentent. XXIV. ita de hac materia loquitur, ex versione Holstenii: omne genitum ab alio generationis causam habet, siquidem nihil sine causa producitur. Quæcunque autem rerum genitarum per compositionem essentiam suam obtinent, utique eam ipsam ob causam sunt corruptibilia. Quæcunque vero simplicia & incomposita, in simplici subsistentia essentiam suam habent, cum sint indissolubilia, sunt etiam incorruptibilia. Genita vero dicuntur, non quod composita sint, sed quia ab aliqua causa dependent. Corpora igitur bifariam sunt genita; cum quatenus a causa producente dependent; tum quatenus composita. Sed anima & intellectus genita solummodo, quatenus a causa dependent; non autem ut composita: quocirca corpora quidem genita & solubilia & corruptibilia. Sed hæc ingenita quidem, tanquam incomposita, & proinde etiam indissolubilia ac incorruptibilia: genita autem, ut dependentia a causa.

(**) Premebant non Platonem tantum, sed & eos, a quibus hoc dogma accepit, omnino difficultates, qua ratione το νοερον per omnes partes materiæ se diffundere, easque permeare possit. Cui tollendæ Plato animæ mundi naturam non ex individuo tantum, id est, intellectuali, sed dividuo quoque, id est materiæ, aliquid dedit, quod Plutarchus de κοσμογονια Platonis manifeste fundamentum ponit. Zeno vero, qui & hac ratione difficultates augeri, non minui cernebat, ad principium mere materiale confugit, Deumque fecit non tantum cum anima mundi prorsus eundem, sed re ipsa quoque materialem, ignem scilicet purissimum & æthereum: quo quidem istas difficultates evitavit, sed in majores errores & ἀσεβηματα in natura Dei describenda delapsus est.

que insipiens. Ejus vero quæ rationis est particeps, melior potiorque pars de ejusdem natura est: deterior vero, alterius. Pag. autem 548. simili modo de animæ mundi origine loquitur. Ex quo patet, animam mundi, quatenus tenui quodam vehiculo induta est, aptam esse ad celerrimas operationes in corporibus efficiendas, unde tamen minime infertur, ipsam *quatenus νοερον τι est*, fluxui etiam & divisioni obnoxiam esse. *Sed*, (ita porro pergit) *ita Deus tamen sese expandit.* Nego, si Dei nomine primum aut secundum principium intelligas. Utrumque enim nec ex partibus constat, nec cum anima mundi necessario copulatum. Concedo, si tertium intelligatur. Nec nobis obstat, vocabulum Θεος, nam & Diis, Dæmonibus, astris, terræ, mundo hoc tribuitur, unde tamen nemo jure concludat, eandem potestatem & vim illa habere, quam habet Deus summus. At secundum tamen principium a primo, tertium a secundo ortum est. Jam dixi in *Platone* & *Locro* perspicua testimonia vix reperiri. Sed pone tamen hoc ita esse. *Probandum*, ego inquam, tria illa principia nonnisi *mentis quadam præcisione distincta*, aut *tanquam partes solidas a se distincta*: Probandum, plane contradictorium & impossibile esse, aliam in divinis gradationem dari, quam quæ per effluxum & partium separationem fit. Ipsemet Cl. Vir. pag. 217. ait, *ex re incorporea nihil effluit, vel si aliquid gigneretur, & permanaret, istud itidem simile.* At nullo ullibi testimonio probavit, Deum ex mente *Platonis* principium fluxum esse, Ergo si principia illa tria a se orta sunt, per fluxionem id factum non est: emanationes ergo hoc sensu nullam impietatem involvunt. Eadem tamen pag. 217. *verba mea turpiter detorquet.* Pag. 887. seq. Dissertat. meæ dixi: *Non quamlibet conjunctionem Dei cum mundo Spinozismum involvere. Mea opinione* (ita verba mea sonant,) *vel præstantissima modernorum Philosophorum Systemata, purum putum Spinozismum involvere dicenda essent, si NB. liberrima Dei conjunctio cum materia id probaret. In Systemate Christianorum conjunctio quædam Dei cum mundo locum habet, sed minime necessaria, libera vero quammaxime. Conjunctionem autem ibidem in eo consistere dixi, quod Deus secundum quasdam leges, in materiæ natura haud fundatas, mundum gubernet, imo continua quadam, nec interrupta conservatione, eum ita sustineat, ut in antiquum Chaos, aut Nihilum potius, relabi non possit.* Ille vero ait, me dixisse, quod etsi Deus cum materia conjunctus foret, nondum tamen sequi Atheismum. Sect. XXX. pergit consequentias ex principiis nondum probatis nectere. *Ea vero differentia*, inquit, *ut una res sit prima, altera*

tera secunda & sic porro, an contenti esse possint homines acuti & harum rerum periti, equidem vehementer dubito. Sed fac contentos, erit tamen pars Divinitatis sat magna communicata cum anima mundi, quæ se in omnes oras cœli, tum terræ expandit, atque ubique invenitur vario habitu conspicua. Resp. primo, non quæritur, utrum viris acutis satisfaciat *Platonis* illa cogitatio de tribus principiis eorumque gradatione; præstitisset sine dubio, si de iis, quæ non intellexit, silentium tenuisset; Sed quandoquidem *Plato*, uti cæteros sapientia superare videatur, de tribus hisce principiis locutus est; quæritur tantum, quomodo illa explicanda. 2. Confitemur igitur, animam illam mundi a Deo originem habere, licet nec *Plato*, nec *T. Locrus* distincte modum tradant originis illius. Communicatio illa divinitatis, ut supra diximus, nobis ignota est. Cl. Vir fluxum, emanationem, supponit, sed non probat. Probandum nempe, animam illam mundi proprie loquendo partem esse divinitatis, (*) adeo ut necessario sequatur, Deum ipsum cum omnibus plantis, animalibus, conjunctum esse. Hoc autem vel *ex secundi principii natura* repetendum, *vel demonstrandum*, in rebus *intellectualibus*, nullam emanationem (liceat hoc vocabulo uti) locum habere posse, præter eam, quæ per partium fit separationem. *Posterius* hoc probari non potest; *neque prius*; omnibus enim testimoniis veterum repugnat, τον λογον esse principium fluxum, expansum. 3. Si igitur anima illa mundi omnes cœli terræque partes pervagatur, nondum sequitur, Deum aut secundum principium idem facere, aut Deum ipsum cum rebus confusum esse. Imo nequidem probari potest, animam illam mundi unam fieri cum corporibus, quæ fœcundat, substantiam. Illa enim operatio in corpora nondum efficit commixtionem cum iis. Deus singulis momentis omnia conservat, nec ideo tamen ulla ratione cum creaturis commiscetur. Adversantur etiam Platonici ipsi. *Plotinus Ennead II. Lib. 2. cap. 1 pag. 108.* ἡ γαρ φυσις, το ὑπο ψυχης ἁπασης πεχθεν, ἐπι πανταχε ἐσα ἡ ψυχη ὁλη, καὶ ἐ διει λημενη, ἡ τε παντος κατα μερος, διδωσι καὶ τω ἑρανῳ, ὡς δυναται πανταχε εἰναι. i. e. *Id namque ipsum natura est, quod ab anima universi est ordinatum; Præterea mundi anima ubique existens, non divisa per partes, sed ubique tota, dat & cœlo, ut & ipsum, quoad potest, sit ubique. Vide eundem Ennead II. Lib. IX.* cap 7. pag. 105. *Ennead. III.* Lib. I. c. 10. p. 230. Clarissima sunt ejus verba Ennead. IV. Lib. IV. c. XI. p. 405.

(*) Et ita quidem, ut pars sit totius, & non nisi in toto subsistat. Nam hoc infert una substantia Spinozæ.

ἐ γαρ δη, ὁπ ποικιλα καὶ διαφορα τα γινομενα, δει συνεπομενον ταις τα γινομενα μεταβολαις, καὶ το ποιον ἡγεισθαι. ὁσω γαρ ποικιλα τα γινομενα τυγχανει το ποιειν ὡσαυτως μενον. i. e. *non enim ex eo, quod varia sunt & diversa, quæ fiunt, putandum est, etiam Effectorem cum ipsis eorum, quæ fiunt, mutationibus habere communionem. Quatenus enim varia sunt quæ fiunt, eatenus effector ipse eodem tenore consistit. Neque igitur vel argumentis vel testimoniis probari potest, animam mundi omnia corpora pervadentem in unam cum corporibus coalescere substantiam, nedum ut hoc Deo, nobilissima mente, dici possit.* (*)

XXVIII. Eadem quidem de fluxu & Emanatione principiorum illorum repetit, Sect 30. & sequentibus. Sed cum locus nullus adducatur, non juvat idem semper repetere. Sect. XXXIV. non sine indignatione docet, se postulare, ut qui alium ab Atheismo absolvere vult, probet, accusatum *causam Externam* admisisse, quæ a rebus productis diversa sit. Probavi autem, ni fallor, id ipsum, & in dissertat. mea, & in his ipsis vindiciis. Licet enim Deus *Platonis* materiam non *creaverit*, sed *exornaverit* tantum, potest tamen dici *Causa efficiens mundi*, æque ac faber, qui fingit ex materia instrumentum. Sed acrius instat *Illustris Vir.* Sect. 35. quærit ex me, quomodo Deus ille *Platonis* cuncta formare potuerit. *Permittam tibi*, inquit, *paulisper, materiam Platonis extitisse ab æterno: Dabo, illam non fuisse animatam sed immotam, sed aptam pati tantum; modo edisseras, qua ratione igitur sit formata, animata? An Deus illam adtigit? quibus instrumentis est usus? quibus dolabris? Ex nihilo nunc aliquid prodiisse, vel materiæ adjectum fuisse, adfirmare non potes. Ergo nolens, volens, itemque vivus vidensque fatearis necesse est, vitam esse materiæ infusam, quam Plato tuus vocat animum mundi, ob quem ipsum mundum appellavit denique Deum.* Si ad hæc responderem, ignorare me, quomodo Deus ex mente *Platonis* materiam exornaverit, num haberet, quod taxaret? num inde sequeretur, me causa cadere? Non putaverim. Ut autem hoc probem, eadem utar interrogandi libertate, quam sibi vindicat *Cl. Vir.* Quæro ex illo, quomodo Deus mundum creaverit, & conservet? Supponit Cl. Vir, & recte quidem, mundum ex nihilo creatum esse. Quæro igitur, utrum Deus, postquam universam materiæ molem produxit, curam ejus abjecerit, & nudus tantum spectator sit, vel an mundum adhuc jugiter conservet, & gubernet. Prius non adseret, sed

(*) Conferantur ad hanc Sectionem Eruditæ annotationes Cl. Clerici ad Hebræos cap. 1. v. 3.

sed posterius. Quod si igitur Deus, nobilissima mens, mundum conservat, velim mihi explicet rationem, qua id fieri possit. Ostendat mihi nexum inter voluntatem nobilissimæ mentis, & cursum æquabilem Planetarum, plantarum, animaliumque productionem, & explicabo statim, quomodo Deus *Platonis* materiam exornaverit. Non *sufficit dicere*, Deum *jus habere in materiam*; quæritur enim, *qua ratione* hoc *suum jus exequatur*. Persuasissimus sum, *Illustrem Virum* modum hunc explicare non posse. Credit tamen sine dubio mecum, Deum huic mundo prospicere, eum gubernare, & quidem rectissime. Quod si enim illæ demum propositiones essent admittendæ, quæ τὸ διότι, uti in Scholis loquuntur, nobis explicarent, paucissima credenda essent. Amplius dico, ne ipsam quidem Creationem e nihilo admittere teneremur, si *Cl. Viri* philosophandi ratio valet. Agnoscit mecum, Deum esse perfectissimam mentem, & eum solum ab æterno per se extitisse, voluisse autem, ut existat mundus, pulcherrimarum rerum series; rogo igitur *Illustrem Virum*, ut mihi explicet modum hujus Creationis, explicet, qua ratione factum sit, ut, posita voluntate Dei, innumerabilis corporum multitudo exorta fuerit. *Forte dicet, Deum esse mentem infinitam.* Sed præterquam quod infiniti perspicuam notionem non habeamus; *aliud est infinitum extensione*, aliud *perfectione*. De *priori* hic non est quæstio, sed de posteriore. Perfectione Deus est infinitus, quia omnia possibilia efficere potest. Sed ego postulo, ut mihi explicetur, quomodo illa possibilia, illa corpora v. gr. per mentem infinitam producta sint, quæ sit connexio inter voluntatem & rerum existentiam. *Diffido* hac in parte *summæ Cl. Gundlingii perspicaciæ.* Quod si tamen hæc non obstant, quo minus mecum Creationem ex nihilo & Conservationem omnium rerum credat, quid causæ est, cur credere nolit, Deum *Platonis* materiam exornasse, præsertim post tot præclarissima adducta loca. Asseruit *Plato*, Deum materiam in ordinem digessisse, ergo credidit, hoc fieri potuisse, licet interrogatus, quomodo id fieri potuerit, non minus ignorantiam suam debuisset fateri, quam nos de Creationis modo interrogati. Quid igitur de consequentia D. *Gundlingii* sentiendum sit, vel me tacente omnes vident.

XXIX. *Cl. Gundling.* Sect. 63. & sequentibus probare contendit, non tantum animum mundi, sed & mundum ipsum, astra, terram, Θεὸς vocari, & quidem eo sensu, quo *Spinoza* intellexit, nimirum Dei naturam per omnes mundi partes diffusam esse. Concessi in Dis-

sertat. mea, mundum, astra, terram, Θεὰς dici, sed eo sensu, quo vult *Spinoza*, negavi; in Timæo enim *Plato* clarissime semper Θεὰς γενητὰς *a summo omnium rerum moderatore distinguit, quem* τῶν πάντων Δημιεργὸν, πατέρα, vocat; unde patet, *nonnisi diluto* quammaxime sensu vocabulum Θεῶν sumendum esse. Neque adeo opus fuit provocare ad locum *Ciceronis* de N. D. in quo *Vellejus Platonem* inconstantiæ accusat, quod modo Θεὰς terram, astra, mundum, esse dixerit; modo rerum omnium gubernatorem; *probandum enim, Deos illos, terram, astra &c. unum cum Deo optimo rerum omnium Moderatore efficere, in unam substantiam compingi; non hoc, vocari tantum Deos, de quo nulla est quæstio.* Provocat autem ad *Librum X. Platonis de legibus*, in quo *Plato* adserit, animam solem agitantem Deum appellandam, imo Deorum omnia esse plena. Sed hæc omnia facile concedo. *Plato* non animam solum, solem agitantem, sed & cæteras intellectuales substantias, syderibus certis præfixas, Θεὰς adpellat, atque adeo innumeras agnoscit *substantias inter se diversissimas*; causam adpellationis autem hujus nullam aliam invenimus, quam quod illæ substantiæ omnium excellentissimæ sint; ita enim omne in suo genere excellens adpellari, integro capite docuit *Doctissimus Clericus in arte Critica.* Hinc Cicero *Platonem Philosophorum Deum* adpellat. Ideo autem Θεὰς dici illas animas stellis præfixas, quod partes sint ab Essentia divina divulsæ & discerptæ, nullo perspicuo probare poterit testimonio, Vel ipse locus *Platonis*, ad quem *Cl. Vir* provocat, aliud insinuat. Ita enim integer ex versione Ficini pag. m. 88. sonat? Ath. *Quid si Solem, Lunam, cæteraque Sydera anima ducit cuncta, nonne singula quoque?* CLIN. *quidni?* Athen. *de uno igitur verba faciamus, quæ astris omnibus possunt accommodari.* CLIN. *de quo?* Athen. *Solis quidem corpus omnes homines vident, animam nemo, nec etiam alterius animalium corporis, nec vivi, nec mortui. Idque genus cum nullo corporis sensu percipiatur, sola mente comprehenditur. Quare & nos de ipso hoc sola intelligentia capiamus.* CLIN. *quidnam?* Athen. *cum solem anima moveat, si trium modorum aliquo ab ea fieri hoc asserimus, fortasse non aberrabimus.* CLIN. *quos dicis modos?* Athen. *quod vel intus in hoc rotundo corpore inest, & quo libet ipsum transfert, quemadmodum nos anima nostra quo libet ducit. Vel ipsa foris quidem est, & corpus aliquod ignis vel aëris nacta, ut quidam ajunt, per vim corpus corpore pellit. Vel tertio, quamvis ipsa nuda corpore sit, quia tamen alias vires, supra modum mirabiles, habet, facile ducit.* CLIN. *certe uno*

isto-

istorum modorum ab anima agitari cuncta necesse est. Athen. *præstat autem, ut sive curru quodam intrinsecus teneat corpus illud ejus anima, lumenque ita cunctis effundat, sive foris sit, seu quomodocunque quis excogitet, Deum esse ipsam omnes arbitremur. An aliter?* CLIN. *Ita certe, nisi quis extrema dementia teneatur.* Athen. *de universis præterea stellis, & luna, & annis, mensibus, cunctisque temporibus, quid aliud quam hoc ipsum dicemus? Quoniam anima & animæ omnibus virtutibus præditæ illorum omnium causæ demonstratæ sunt, Deos eas esse affirmabimus: sive in corporibus sint, & tanquam animalia quædam cœlum totum exornent: sive quomodocunque aliter agere id dicantur.* CLIN. *omnino.* Athen. *ita ergo istis concessis, poteritne aliquis negare, plena Deorum omnia esse.* CLIN. *nullus adeo mente captus est, hospes.* Ex hoc Platonis loco patet, 1. *animas illas, stellis præfixas, prorsus inter se diversas esse.* 2. *easdem* Θεὰς *dici, & pro Diis cultu quodam ex mente Platonis prosequendas.* 3. *Platonem ipsum, qua ratione cum cœlestibus conjunctæ sint, definire noluisse.* Ubi manet autem *consectarium* illud, quod inde elicere vult D. G. nimirum, animas ipsas ex *divina essentia* emanantes unum cum mundo efficere, & propterea Θεὰς *dici?* Provocat *ad Cic. Acad Lib.* 1. cap. 8. in quo *Cicero* ex mente *Platonis* animum mundi Deum vocat: *Huetium* eodem etiam sensu locum *Ciceronis* intellexisse; & inde ita ratiocinatur: *De cætero optionem tibi relinquo, ipsum supremum Deum Platonis animum mundi esse credas, sicque eum mundo includas; an animum secundo genitum post Demiurgum, aut ex mente divina ac Monade ortum credas? Si primum, actum est de te; sin secundum, non vinces certe. Ille enim Ortus emanationem stabiliet secundam, cum fieri nequeat, ut ortus in Systemate Platonis aliter, quam per emanationem explicetur: Quia omnia, quæ de animo mundi prædicantur* ποιοτητα, *seu qualitatem innuunt divinam & sempiternam. Quocunque te vertas, circumscriptus eris captusque.*

Ita Illustris vir triumphum ante victoriam canit. Quod ut pateat, sequentia observo. 1. Verum est, *Ciceronem* dixisse, animum mundi Deum esse, unde tamen minime inferri potest, animum mundi supremum illud Numen esse, quod *Plato* tantopere laudibus extulit, nisi simul & cœlum & terram, & astra supremum Numen dicas *Platoni* fuisse, quod absonum. 2. Animum mundi supremum Deum *Platonis* non esse, supra jam clarissimis locis *Platonis* & *Timæi Locri* probavi. 3. Omnis igitur controversia redit ad *quæstionem de origine animæ mundi*, utrum nempe *ex Deo sit nec ne*, & hoc posito, utrum id factum

per

per fluxum proprie ita dictum. Diximus supra, *Platonem* & *Locrum* perspicue nihil de origine hujus animæ mundi adserere, Platonicos cæteros illam a λογῳ ortam tueri. Habebimus igitur præter Numen præstantissimum, *Patrem omnium rerum*, τον νȣν, & την τȣ κοσμȣ ψυχην. 4. Quod si anima illa mundi vel a Deo summo vel a mente orta sit, *probandum Gundlingio, id aliter fieri non potuisse, quam per proprie ita dictam partium Secretionem*, quod ipsum universæ Philosophiæ Platonicæ principiis contrarium est, quæ perhibet, oriri ἀπο τȣ ἑνος τας ἰδεας ἠτοι τα νοητα ἐιδη, τῃ νοησει μονῃ γνωςας, quod præter alios multos eleganter docuit *Cl. Bruckerus in hist. philosoph. de Ideis, & elegantissima dissertat. de convenientia Numerorum Pythagoræ cum ideis Platonis Sect. XI. Tomo VII. Amœnitatum Cl. Schelhornii* inserta (*). Non juvat dicta igitur repetere. Dixi jam supra, ipsos Christianos in æterna filii generatione explicanda desudantes, voce ἀπορ῾ρ῾οιας usos, omnem tamen fluxionem proprie dictam aspernatos esse. Evolvi autem nuper *Cl. Fabricii Bibl. Græcæ Vol.* 8. *& observavi Eunomium* olim simili argumento usum ad æternam Filii generationem subvertendam. Ita enim ratiocinatur ille pag. 272. Ἐι γαρ τις κοινοποιειν προς ἑτερον ἠ μεταδιδοναι τινι της ȣ̓σιας ταυτης ἐθελησειεν, ἠτοι κατα διαςασιν καὶ μερισμον, ἠ κατα συγκρισιν τȣτο κατασκευασειεν ἀν. Ὁποτερον δ᾽ ἀν λεγηται τȣτων, πολλαις ἀτοπιαις, βλασφημιαις δε μαλλον ὁ λογος ἐνεχθησεται. Ἐι τε γαρ διαιροιτο καὶ μεριζοιτο, ȣ̓κ᾽ ἐτ᾽ ἀγεννητος ἐιη, ὁ μη προτερον ἠν τȣτο ἐκ της διαιρεσεως γιγνομενος, ἀλλα μην ȣ̓τ᾽ ἀφθαρτος τȣ μερισμȣ το της ἀφθαρσιας ἀξιωμα λυμαινομενȣ. i. e. *Si quis enim Essentiam hanc communem reddere cum aliqua re alia, vel de hac essentia alicui aliquid impertire voluerit, necessario hoc facere attentabit, vel secundum similitudinem & comparationem. Utrum autem ex his asseratur, multas profecto secum futilitates vel potius blasphemias trahet & inferet ipsa assertio. Etenim sive dividatur, aut in partes secetur, non amplius illa esse potest ingenita, cum videlicet ipsa illud, quod antea non erat, ex tali divisione fiat: imo hoc pacto corruptionis expers illa esse nequit, siquidem partitio ista totam Incorruptibilitatis Majestatem labefactat.* Ad hæc *Eunomii* verba ita commentatur *Cl. Fabricius: Hoc palmarium Eunomii argumentum ac prope unicum, fieri non posse, ut ex ingenita divina Essentia similis ipsi Filius generetur. Unde quicquid de generatione Filii in sacris Literis dicitur, ille de Creatione accipit. Sed non majoris illa argu-*

(*) Præcipue, quæ §. X. p. 216. seqq. & in Otio Vindelico §. XIV. Mel. II. pag. 180. seqq. prolixe dicta sunt.

argumentatio mihi videtur esse ponderis, quam si neges, ab increata divina Essentia aliquid potuisse creari ac produci. Causam autem adsertionis transfert in superbiam Eunomii, qui ab Aëtio Magistro edoctus non dubitavit proferre stulta hæc verba, τοσοῦτον αὐτὸν ἐπίσταμαι καὶ οἶδα, ὡς μὴ εἰδέναι ἐμαυτὸν, ὡς θεὸν μᾶλλον ἐπίσταμαι. i. e. *Tam perspicue Deum, qualis sit, novi, ac tantam illius notitiam sum consecutus, ut ne me ipsum quidem melius quam illum noverim. Commentarium hunc Cl. Fabricii* vel ideo adduxi, uti pateat, *Cl. Viro* haud *impossibilem* videri *generationem* aliquam *æternam in divinis*, absque omni partium divisione. Unde simul etiam liquidum est, si vel maxime certum esset, animum mundi a Deo ortum, nondum sequi, Deum ipsum ex partibus constare, aut cum anima mundi unicam efficere substantiam. §. Quod si concederem, animam mundi a Deo ortam, & arctissime cum Deo connexam, nondum *tamen captus essem, ut quidem Illustris Antagonista putat. Converterem enim memet ad duplex principium coëxistens, & materiam a Deo origine non dependentem, sed inhabitatam tantum, ut corpus ab animo, domus ab Hospite inhabitatur, atque ita evaderem.* Sed cum priora sufficiant, metus nullus est. *Illud vero* (ita pergit acutissimus Professor) *admodum foret Scholasticum, ac simul ridiculum, negare effluxum, ubi agnoscitur & numerantur fontes Deorum, lumen ac Splendor mentis divinæ, secundæque abundantia, profunditas & fœcunditas & perfectio in res omnes derivata.* Mihi vero plane videtur *Viro Docto indignum*, sine cessatione adserere, *Platonem, Platonem* inquam, credidisse, *Deum ex partibus constare*, essentiam divinam in varias partes scissam esse, *neque tamen perspicuis hoc probare veterum locis.* Oraculorum Chaldaicorum Auctores, Platonicosque juniores de ἀπορῤοίαις, & similibus, frequenter locutos scio; Sed cum in *Platone*, atque *T. Locro*, talia non inveniam, diffido inanibus ratiociniis, quæ illi in medium proferebant. Eruditissimi Viri dudum agnoverunt, *Jamblichum, Proclum, Plotinum, cæterosque Scholæ Platonicæ Professores*, non quid *Plato* senserit, sed quid eum sensisse putaverint, dixisse. (*) *Cl.*

(*) Christianorum scilicet objectionibus ad angustias compulsi & ad incitas redacti, viamque non invenientes, qua ratione Platonicam philosophiam stabilirent & defenderent, ea, quæ deformia & ἀσύστατα deprehendebant, longe alia ratione explicabant, immo divino Trinitatis mysterio capti, & tamen revelationi, quæque eam exhibebat, Christianæ religioni honorem deferre recusantes, ipsi ratiocinatiunculas ejusmodi & vacuos sine sensu sonos effinxerunt, ut voces saltem Nihili, ut ita dicam, haberent, quas præstantissimis Christianorum doctrinis opponerent; quod istorum temporum literariam historiam percurrenti erit longe clarissimum. Et tamen eos per Deum & intellectualia materiale quid intellexisse, nemo asseret, qui vel duas Oraculorum lineas legerit.

Fabricius, Vir harum rerum peritissimus, *Bibl. Græcæ Tom.* 8. pag 516. ita loquitur occasione Commentarii *Procli* in Theologiam *Platonis*: *Hoc solenne*, inquit, *recentioribus a Plotino usque Platonicis, ut mille aliena dogmata Philosophi illius doctrinæ sive adtexant, sive substituant, & tamen pro genuino universa venditent Platonismo, quasi Plato, si non ita sensit, certe debuerit ita sentire, ut ipsi comminiscuntur.* Idem sentit *Eruditissimus Cudworth* apud eundem *Fabricium* pag. 524. quibus calculum suum præter alios addit *Vir summus Joh. Clericus in notis ad Oracula Chaldaica pag. 1198.* Ed. Olearii. & *Bibl. Select. Tom.* 3. *pag.* 89. *Ipsemet Cl. Gundling. in Hist. Philosoph. Moralis* pag. 20. Oracula Chaldaica recentioribus adscribit Platonicis, & se ista non intelligere scribit; *Ipsemet*, *Procli* adsertionem de Creatione ex nihilo *Platoni* credita *commentum esse putat*, cur ergo omnia, quæ a recentioribus credita sunt Platonicis, *Platoni ipsi adscribere vult?* pleraque de ἀποῤῥήτοις & *intellectualibus Sectionibus*, *fonte fontium*, *paterno abysso*, inventa & commenta recentiorum illorum Platonicorum sunt, quæ admittere tum demum possumus, quando cum perspicuis *Platonis* decretis conspirant; quamprimum vero ab iis recedunt, & pro lubitu *Platonem* interpretantur, causa adest nulla cur pertinaciter eorum dictis inhæreamus, aut adseramus, *Platonem* non aliter interpretandum esse. (*) Hinc satis jam patet, quid de locis *Procli* & *Plotini* Sect. 40. & 41. allatis dicendum sit. Multis illi loquuntur de *fluxionibus divinis* & *fonte idearum*, unde omnia oriuntur intellectualia, nullibi tamen hi ipsi perspicue denotant hæc omnia per *fluxum proprie dictum* explicanda. Saltem quicunque oracula Chaldaica attente legit, perspicit, tam obscuris vocibus pleraque expressa, uti firmissime persuasus sim, ne *ipsos quidem Auctores* horum Oraculorum, quid dixerint, sciviss. Sic loca ipsa quæ citat Cl. Vir, *obscuriora sunt*, quam ut *emanationem proprie dictam & effluxum denotent.* Proclus Theolog. Plat. Lib. VI. cap. 2. in-

(*) Loquatur de hoc argumento ipse Plato. In Phædone pag. 78. ita mentem suam pandit: αὐτη ἡσια, ἡς λογον διδομεν, τι ἐστι, και ἐρωτωντες και ἀποκρινομενοι, ποτερον ὡσαυτως ἀει ἐχει κατα ταυτα ἡ ἀλλοτε ἀλλως. αὐτο το ἰσον αὐτο το καλον, αὐτο ἑκαστον. ὁ ἐστι το ον, μηποτε μεταβολην και ἡντινουν ἐνδεχεται. ἡ ἀει αὐτῶν ἑκαστον, ὁ ἐστι μονοειδες ὀν, αὐτο καθ' αὐτο. ὡσαυτως κατα ταυτα ἐχει, και ἐδεποτε ἐδαμως ἀλλοιωσιν ἐδεμιαν ἐνδεχεται, ὡσαυτως, ἐφη, ἀναγκη, ὁ κεβης, και κατα τα αὐτα ἐχειν. i. e. Ipsa illa essentia, quam interrogationum responsionumque vi definivimus, quod revera existat, utrum æqualiter semper eodem modo habet, an alias aliter? ipsum nimirum æquale, ipsum pulchrum, ipsum singulum (id est, id quod revera existit) nunquamne ullam mutationem suscipit? eodem, inquit Cebes, modo & similiter habere necessum est.

2. inquit: μια σειρα και ταξις αδιαλυτος ανωθεν καθηκει δια την της πρωτης αιτιας ανυπερβλητον αγαθοτητα και το ενιαιον κρατος αυτης. i. e. *unica catena & ordo indissolubilis superne descendit, propter eximiam primæ causæ bonitatem, & singularem ejus potentiam.* Ad quæ verba *Cl. Clericus: Existumabant*, inquit, *ab occultissima unitate intelligibili, hoc est a summo Deo, per varios gradus proprietatum manasse naturas omnes, adeo ut minus præstantes præstantioribus subjacerent.* Ex *hisce* autem verbis nondum patet, quod putat *Gundlingius*, omnia nimirum *necessario ex divina essentia* tanquam fonte *emanasse*; sed hoc tantum, a Deo & intellectualibus substantiis omnia orta; modum autem non explicat. Et quomodo tandem emanatio illa necessaria omnium rerum ex Deo locum habebit, si Deus ex mente Procli *materiam* ipsam creavit? quomodo Deus cum mundo connexus erit, si secundæ menti gubernationem universi tradidit Deus summus? Ita enim ipse *Proclus in Theolog. Lib. V. cap. 23. Socrates* υποτιθεται νεν τα παντα διακοσμειν, ωσπερ οι προ αυτε σοφοι, και τον τε ηλιον, και την σεληνην, και πασαν την περιφοραν διακυβερναν: i. e. *Socrates statuit, a mente omnia disponi, ut sapientes, qui ante eum fuerunt, & solem, & lunam, & universam circumactionem ab eadem regi.* Hinc idem *Vir summus, Clericus nempe*, ad verba illa Sect. II. *Seipsum rapuit Pater*, ita loquitur: *Hoc est interprete Plethone*: Εαυτον των αλλων παντων εξαιρετον εποιησεν, *se ab omnibus subduxit & segregem fecit, quod Essentia suprema illius Unitatis sit plane* αμετεκτος, *imparticipabilis, ut toto libro II. Theologiæ suæ multis probat Proclus, qui post Parmenidem eam vocat* εν, *quod neque est in se ipso, neque in alio*, ητε εν αυτω εξιν, ητε εν αλλω. *Hanc* (ita addit Doctissimus Vir) *esse Platonicorum mentem certo norunt, qui eam expenderunt, licet omnes eorum ratiocinationes non adsequamur; quod ne ipsi quidem, ut fit, præ nimia subtilitate satis scirent, quid sibi vellent.* Provocat præterea *Gundlingius ad Plotini Ennead. V Lib. VIII. cap. XII.* in quo doceatur, in prima causa omnes fuisse ab æterno, atque inde προελθειν. Sed nihil hic extat, quod ad scopum *Gundlingii* ulla ratione faciat, quod inspicienti patebit. Idem dico de loco Ennead. IV. Lib. III. cap. 9. ad quem provocat, probaturus, mundum ab effectore suo non esse separatum. *Ne* γε quidem ibi de hac re extat. Quæritur ibi, quot modis insinuetur anima corpori, & qualis sit anima mundi, & quomodo faciat mundum & dimensionem ejus, & quomodo sit ubique. Si verba ipsa, quibus nititur, adduxisset, tum statim adparuisset, quam vim habeat argumentatio inde petita. Sect. 41. provocat denuo ad duo loca *Plotini*,

persuasurus Lectori, se adsertiones suas firmissimis superstruere testimoniis, probe gnarus, plerosque loca illa non inspicere. Prior extat *Ennead. II.* Lib. I. cap. 2. atque ex eo probare vult, mundum conservari ex mente *Platonis per continuum fluxum.* Quod si hoc vel maxime concederem, nihil tamen lucraretur *D. Vir:* probandum enim esset, *conservationem mundi ex mente Platonis in eo consistere, quod omnia continuo ex necessitate divinæ naturæ fluant.* At nec *prioris*, nec *posterioris* hoc in loco mentionem facit *Plotinus.* In duobus prioribus capitibus hujus libri quærit, utrum cœlum sit sempiternum, tam in qualibet singulari ejus substantia, quam in specie; & statim quidem initio capitis, mundum perpetuum fore ait, *δια την τε Θεε βελησιν; non per perpetuam quandam ex Deo fluxionem.* Initio autem capitis secundi dubitanter tantum de modo perpetuæ conservationis cœli rerumque sublunarium loquitur, dicens: *Si opinionem hanc admiserimus, dixerimusque, cœlum quidem & cœlestia omnia secundum singularem cujusque substantiam sempiternam habere perseverantiam: quæ vero sub luna sunt, id ipsum duntaxat secundum speciem possidere, demonstrandum erit, quomodo possit, quod habet corpus, eandem semper sub singulari proprietate servare naturam, cum ipsius corporis natura continue perfluat. Vetus enim hæc sententia est, cum aliorum, qui de natura disputaverunt, tum Platonis ipsius, non solum circa alia, verum etiam circa cœlestia corpora fluxum esse perpetuum. (*) Ex quo patet, fluxum quidem corporum concedi, nullo verbo autem vel Dei, vel aliarum naturarum intelligentium mentionem fieri.* Alter locus *Plotini* extat *eodem Libro cap. IV. p.* 99. Adhucdum in ea quæstione solvenda occupatus est *Plotinus*, quomodo cœlum perpetuo manere possit: idem, explicationem redditurus ita incipit: *Si quis enim adjunxerit potissimam causam, scilicet animam una cum corporibus adeo puris omninoque melioribus: quandoquidem & in cæteris animalibus natura pro membris principalibus eligit meliora: is certe solidam de immortalitate cœli sententiam in medium adduxisse videbitur. Recte enim & Aristoteles ait, flammam esse fervorem quendam & ignem velut,*

(*) Id quod Plotinus ex mente Platonis recte urget, qui, cum Heracliteæ Doctrinæ, quæ corporeum omnium naturam fluidam asserebat, adhæsisset, nec istam vel scientiæ vel rerum durationi locum dare metueret, æternas & per se duraturas substantias materiæ oppositas invenit, monente ARIST. Met. lib XIII. cap. 4. quæ tantum abest, ut fluxui materiali sint obnoxiæ, ut potius naturam eis adscribat e diametro contrariam; quod clare probat, in intellectualibus Platonem nihil admisisse, quod cum fluxu proprie dicto, qualem putat V. C. ullam habet communionem.

velut, ob satietatem injuriosum atque luxurians. Ignis autem cœlestis æqualis est, atque quietus, naturæque astrorum accommodatus. Quod vero maximum est, cum anima optimis proxima, mirabili potentia prædita sit, quanam via quicquam eorum, quæ in ea semel posita sunt, hanc ipsam versus interitum subterfugere poterit? Hisce in medium prolatis sequuntur verba, ad quæ D. G. provocat. *Si quis*, inquit, *animam ex Deo manantem non judicaverit omni vinculo fortiorem, is quoque profecto causam omnia continentem ignorare videtur. Absurdum certe est, opinari, animam, quæ ad tempus cœlum continere potest, non etiam id semper efficere.* Ex his *Plotini* verbis adparet, nihil aliud eum velle, quam vinculum, quo cœlum alias fluidum contineatur, animam illam mundi esse. Quid autem *fluxus cæli* facit *ad probandum, omnia ex Dei natura perpetuo fluere, atque adeo Deum & corpora ex diversis partibus constare?* Interim tamen Cl. Gundling. Sect. 42. ait: *Platonis & Platoni conjunctio mundum Deo in unum Numen substantiamque coactum, adjicit;* & Sect. 43. *Est enim DEUS Platonis mundus, & mundus Deus.* Hæ assertiones, ut nullis testimoniis superstructæ sunt, & pugnant cum omnibus, qui Systema Platonicum explanarunt; ita ex *meris sophismatibus* constant. Nimirum ratiocinatio de conjunctione animæ mundi & mundo ipso, aut prorsus vana est, aut huc redit: *Si anima mundi Deus est, Deus habitat in materia immanenter. Atqui verum Prius. E. & Post.* Sed male sic infert *Acutissimus Vir;* inhabitatio enim, (ut Scholæ terminis utamur) animæ mundi, nondum innuit *informationem*, ad quam requiritur, ut *inhabitatum* & *inhabitans* sint *formæ unius, & inhabitans inhabitato det formam, essentiam & naturam, uniusque adeo sint essentiæ:* sin minus, assistit tantum, ut mens nostra habitat in corpore, illud tamen non informat. Vis aperta testimonia, quibus meam sententiam probem, & ratiocinium *D. Gundlingii* subvertam? En verba ipsius *Plotini, cui tantum tribuit Antagonista. Ennead. III. Lib. 2. cap. 9. pag. m. 262.* ita loquitur: ȣ̓ γαρ δη ȣ̓τω την προνοιαν ἐιναι δει, ὡςε μηδεν ἡμας εἰναι. Παντα δε ȣ̓σης προνοιας, καὶ μονης ἀυτης, ȣ̓ δ'αν εἰη. Τινος γαρ ἀν ἐτι εἰη; ἀλλα μονον ἀν εἰη το Θειον. Τȣτο δε καὶ νυν ἐςι, καὶ προς ἀλλο δε ἐληλυθεν, ȣ̓χ ἱνα ἀνελη το ἀλλο. ἀλλ' ἐπιοντι οἱον ἀνθρωπῳ ἠν ἐπ' ἀυτω τηρȣσα τον ἀνθρωπον ὀντα. i. e. *Non oportet autem ita Providentiam esse, ut nos omnino nihil simus, alioquin si Providentia ipsa sit omnia, ipsaque sola, non erit amplius Providentia. Cujus enim ulterius Providentia foret? Profecto sola Divinitas esset. Nunc vero Divinitas quidem est, seque confert ad aliud, non tamen ut ipsum aliud auferat: sed accedens*

dens exempli gratia ad hominem, servat in eo, quod est esse hominem. Vis ratiociner ex ipsis principiis Philosophiæ Platonicæ? Tum ad *duo æterna & independentia principia, ad distinctionem celeberrimam* των νοητων και αισθητων, *ad originem animæ mundi, prout a Platone & T. Locro describitur, recurram.* Dein verba illa *Gundlingii*: Deus *Platonis* est mundus, & mundus Deus, *involvunt fallaciam compositionis.* Dici potest *Platonis* Deus, mundus συνεκδοχικως propter partem præstantiorem, animam nimirum mundi, non vero propter eandem sententiam: Deinde est *Deus Platonis*, mundus constans animo, (ut ita dicam) & corpore, sed non materia: *quemadmodum homo animo & corpore* constans, est *creatura rationalis, denominatione a potiore desumta*, non vero corpus, absonumque esset, ideo asserere, statui corpus rationale, quod homo dicatur rationalis, cum mens & corpus essentialiter differant. Nemo dixerit membra corporis mentem esse, membra corporis & membra mentis unum esse, quia mens operatur in toto corpore. Judicent igitur æqui rerum arbitri, quo jure solidis rationibus & argumentis destitutus, *Elegantissimi Vir Ingenii Sect. 43.* exclamaverit: *Qui clariorem probationem petiturus est, illi ego bonam mentem apprecari non desistam, oculosque vividiores.* Cætera, quæ ad Sectionem usque 47. dicuntur, *meræ sunt repetitiones nullis argumentis aut testimoniis superstructæ*; supra autem satis superque, ni fallor, refutatæ. Unicum tantum addendum de materia, quam contendit Sect. 54. seq. *non-Ens esse*, simul tamen ex *Dei natura decerptum.* Dixi supra, quo sensu materia non inter τα ὀντα referatur. Observemus tantum, hanc *ipsam hypothesin Gundlingii subvertere* illam de *origine materiæ ex Deo sententiam.* Si enim materia ex Deo, ut ideæ, mens, anima mundi & alia νοερα, erit etiam ὀν, quia participat ἀπο τε ὀντος, ut illa ὀντα revera sunt. Quod cum non sit ex mente *Gundlingii*, materia quoque a Deo esse non potest. Ideo vero nondum sequitur, materiam non esse, quia ἀκ ὀν; sed tantum, esse *nihil stabile*, quæ nec ipse negaverit *Gundlingius*, consideratis iis, quæ pag. 77. *affert*, & pluribus adserit *Jamblichus in Nicomachum.* (*) Alterum concernit locum *Platonis* in Philebo p. m. 88. vers. Fic. *Contendit Gundlingius*, *Platonem* in citato loco *dilucide* fateri, animam *humanam & corpora omnia esse universi partes, & unius illius substantiæ decerpta.* Verbo, unicam dari, quemadmodum in systemate *Spinozæ*, ex mente *Platonis* substantiam. Verba ita sonant ex versione Ficini. Soc. *Et efficientis natura nomine duntaxat*

(*) Et PORPHYRIUS in sententiis.

xat a Causa differt, efficiensque & causa unum merito vocabuntur. Pr. *Merito.* Soc. *Quin etiam factum ac genitum solo nomine discrepabunt.* Pr. *Certe.* Soc. *Præcedit quidem atque ducit natura semper quod Efficiens est: quod vero factum est ab eo, genitumque, ipsum sequitur.* Adferamus solum antecedentia & proxime sequentia, ut pateat vis illationis *Gundlingii. In antecedentibus* locutus est *Plato* de *infinito, termino*, & quod ex hisce duobus constat. Dein *Socratem* ita inducit *loquentem: Cæterum*, inquit, *quid præter hæc tria quartum genus sit, discutiendum restat. Communis autem ista disceptatio est. Vide enim, an non necessarium tibi videtur, quodcunque gignitur, per aliquam causam gigni.* Pro. *Mibi plane. quomodo enim absque ea fieret?* Tum sequuntur verba citata, quibus adductis ita Socrates pergit: *non ergo idem, sed aliud est causa, & quod ad generationem causæ servit.* Pro. *Quid prohibet?* Soc. *An non genita ipsa, & ex quibus gignuntur omnia tria nobis genera præbuerunt.* Pro. *Maxime.* Soc. *Omnium autem istorum Opificem quartum ponimus, causamque vocamus, utpote aliud quiddam, quam NB. illa ad sufficientiam demonstratum.* Tantum abest, ut hic locus *causæ Gundlingii inserviat*, ut potius prorsus eandem destruat quam evidentissime. Tria enim illa, *terminus* nempe, *infinitum*, ac quod ex illis *componitur*, *inter facta & genita* numerantur; Opifex autem illis *tanquam Causa*, *tanquam Efficiens* præficitur, & ab ipsis *genitis factisque distinguitur.* Quomodo igitur Deus & materia cunctaque alia una tantum erunt substantia, quod contendit *Gundlingius?* Et tamen pag. 268. exclamat: *Audi Zimmermanne, genitum differt ab Efficiente & causa nomine, sicut differunt efficiens & causa.* Num audiendus est *Gundlingius*, qui provocat ad *Platonem* alia plane, quam vult, dicentem? *Plato* ait, *efficiens a facto genitoque distingui. Gundlingius nomine tantum. Utri* ergo *fides adhibenda sit videat Lector.* Imo si vel maxime ex hoc loco probari posset, causam efficientem & effectum in genere emanationis non differre essentia, nondum tamen sequeretur, id quod intendit Gundlingius. Quod si enim ponamus, mentes nostras a Deo emanasse, sequetur, eas esse ejusdem cum Deo essentiæ; Si corpora omnia orta ex materia, nostra item corpora erunt ejusdem cum materia essentiæ. Verum id ostendendum, *diversas istas partes*, *Deum* nempe & materiam, *unum* esse: dici possunt essentiæ ratione *unum* Deus, genitum, NB. in *spiritualibus. Unum materia*, genitum, forma NB. in *materialibus*, & tamen *duæ* manent *diversissimæ substantiæ.*

XXX. Sectione 66. aggreditur *Cl. G.* materiam de *mundi æternitate.*

nitate. In dissertatione mea clarissima *Platonis & T. Locri adduxi* loca, quibus probatur, *Platonem* credidisse, tempus non esse æternum, sed simul cum mundo tempus exortum. Hæc autem longe aliter & *contra clarissimorum testimoniorum lucem* interpretatur *D. Gundling.* p. 284. Postquam enim, quæ circa hanc materiam observanda sint, injunxit, sententiam suam ita proponit: *Certum habeo, materiam Platonem dixisse æternam cum Timæo Locro, eamque extitisse interveniente* λογῳ; *quod Ab. Gravius non male exponit, ab hoc* λογῳ *seu mente illam esse prolatam, non creatam ex nihilo; sed* δεδειγμενην, *nec prorsus exornatam, sed informem,* ἀκοσμητον; *siquidem in ipsa productione gradus ponantur in signo rationis, per quos major ei perfectionis & ornatus incrementum accessisset* κατ' ἐπινοιαν. Sed hæc *aperte* cum testimoniis *Veterum* pugnant. *Materia* quidem dicitur ἀϊδιος, imo etiam ἀκοσμητος, sed antequam Deus ad intelligibile illud παραδειγμα eam formaret, & hactenus quidem, si materiam respectu originis suæ consideres, mundus, quatenus ex æterna materia constat, est æternus. Sed cum clarissime *Plato, T. Locrus* aliique magno numero testentur, materiam illam ἀκοσμητον a Deo fuisse exornatam, & in diversas species formasque mutatam, Deo per bonitatem suam ad hoc commoto, liquidum est, *purum putum inventum esse Cl. Gundlingii* asserentis, materiam illam æternam non exornatam, sed ἀκοσμητον ab æterno fuisse prolatam, & in signo, ut ait, rationis tantum exornatam in tempore. Quid enim clarius evidentiusque est verbis *T. Locri*, quem hac etiam in parte *Plato* sequitur, quæ leguntur pag. 552. ed. Galæi: χρονῳ δε τα μερεα παιδε τις περιοδως λεγονται, ἀς ἐκοσμησεν ὁ Θεος συν κοσμῳ. ἐ γαρ ἠν προ κοσμω ἀσρα. διοπερ ἐδ' ἐνιαυτος ἐδ' ὡραν περιοδος, αἰς μετρεεται, ὁ γεννατος κοσμος ἐτος, ἐικων δε ἐσι τω ἀγεννατω χρονω, ὀν ἀιωνα ποτιγορευομες. ὡς γαρ πος' ἀϊδιον παραδειγμα τον ἰδανικον κοσμον ὁδε ὡρανος ἐγενναθη, ἐτως ὡς προς παραδειγμα τον ἀιωνα ὁδε χρονος συν κοσμω NB. ἐδαμιεργηθη. i. e. *Sunt vero hæ temporis partes, quas circuitus vocant. Deus autem tempus cum ipso mundo ordinavit. Non enim erant astra ante tempus, neque proinde annus, neque anni tempestates, certis circuitibus distinctæ: Est autem tempus ingeniti temporis imago, quod æternitatem vocamus. Quemadmodum enim hæc universitas ad intelligibilis mundi exemplar creata est, ita & hoc tempus ad æternitatem, veluti ad Exemplar quoddam, cum mundo ab Opifice fuit constitutum. Aperte* in hoc loco Deus dicitur mundum κοσμησας, *aperte mundus cum tempore* initium habuisse; *aperte* tempus dicitur τε ἀγεννατε χρονε imago. *Hæc* qua ratione possint *eludi*, & in

alium

alium sensum torqueri, *fateor me nescire.* Sed cur, inquit, materia illa æterna non item ab æterno exornata fuit? Non ita voluisse Deus dicitur ex mente *Platonis. Bonus tamen est*, regerit, *ab æterno.* Imo vero. Sed nulla adest *necessitas*, quæ *Deum impellat semper suam demonstrandi bonitatem.* Omnes Christiani Deum bonum esse clamitant, simul tamen cuncti fatentur, Deum mundum in tempore condidisse. *Sed si Deus noluit* (ita pergit) *primum mundum condere, postea vero voluit, videtur Deus esse mutabilis.* Deus etiam ex Christianorum sententia noluit mundum citius condere, quam condidit, neque tamen mutabilis est, licet ab æterno divina mente hoc agitaverit. Deus ab æterno constituit me creare: sed non ab æterno voluit consilii sui Decretum exequi; neque enim, quæ vult, ab æterno fieri vult, alias mundus cum omnibus Creaturis æternus esset. His non obstantibus, putat tamen *D. G. verisimilius esse, mundum esse æternum ex mente Platonis, quam in tempore genitum.* Sed quomodo hæc cum verbis *Platonis* & *T. Locri* conciliari possunt? Audi. *Sicuti Mosis*, inquit, *distincta rerum creatarum intervalla non impediunt, quo minus omnia simul condi potuisse existimentur: ita animum induxerim, non repugnare similiter, quin, materia ab æterno apparente, omnia simul ornata putaverit & facta Philosophus Atheniensis: etsi sigillatim recensuit genita, earumque ordinem delineavit.* Sed hoc *nihil aliud est, quam conjecturas conjecturis tegere, ne perpluant.* Cur enim hic a simplicitate literæ recedamus? *Sufficit*, quod *Moses* æque ac *Plato* & *T. Locrus* adserant, *in tempore* conditum esse mundum, sive jam per intervalla hoc factum sit, sive in momento. Sed graviores rationes promittit *Antagonista meus* pag. 287. *Plato*, inquit, *nunquam ad quæstionem de mundi æternitate responsit rotunde; sed reposuit duntaxat, cumprimis in Timæo, mundum esse genitum. Quæ responsio non satisfacit sollicito lectori. Semper enim* ζητημα *recurrit: an* κατα χρονον? *Itemque an genesis æterna ejus sententiis ratis repugnet.* Quid ergo tandem sibi volunt verba antea e *T. Locro* citata? an non *rotunde* adserit *Timæus*, una cum mundo demum tempus exortum, tempus εικονα tantum esse χρονε αἰωνιε? num hæc interprete indigent aut *Oedipo* quodam? sed audiatur ipse *Plato* in Timæo *rotunde* ita loquens p. 480. Ὃς δε κινηθεν τε αὐτο, και ζων ἐννενοησε των ἀϊδιων θεων γεγονος ἀγαλμα, ὁ γεννησας πατηρ ἠγαθη τε και ἐυφρανθεις ἐτι δη μαλλον ὁμοιον προς το παραδειγμα ἐπενενοησεν ἀπεργασασθαι. Καθαπερ ὐν αὐτο τυγχανει ζωον ἀϊδιον, και τοδε παν ὅτως εἰς δυ-

ναμιν ἐπεχειρησε τοιυτον ἀποτελειν. ἡ μεν ὐν ζωα φυσις ἐτυγχανεν ὐσα ἀιωνιος, και τυτο μεν δη τω γεννητω παντελως προσαπτειν, ὐκ ἠν δυνατον εικω δ' ἐπινοειν κινητην τινα ἀιωνος ποιησαι, και διακοσμων ἁμα ὐρανον, ποιει μενοντος ἀιωνος ἐν ἑνι, καθ' ἀριθμον ἰσσαν ἀιωνιον εἰκονα, τυτον ὀν δη χρονον ὠνομακαμεν. ἡμερας γαρ και νυκτας και μηνας και ἐνιαυτυς, NB. ὐκ ὀντας πριν ὐρανον γενεσθαι, και το τε ἁμα ἐκεινω ξυνισαμενεω την γενεσιν ἀυτων μηχαναται, ταυτα δε παντα μερος χρονυ. Και το τ' ἠν το τ' ἐσαι. χρονυ γεγονοτος ἐιδη Φεροντες λανθανομεν ἐπι την ἀιδιον ὐσιαν ὐκ ὀρθως. Λεγομεν γαρ δη ὡς ἠν, ἐστι τε και ἐσαι. Τη δε το ἐστι μονον, κατα τον ἀληθη λογον προσηκει. Το δε ην, το τ' ἐσαι περι την ἐν χρονω γενεσιν ἰσσαν πρεπει λεγεσθαι. Κινησεις γαρ ἐσον. Το δε ἀει κατα ταυτα, ἐχων ἀκινητως, ὐτε πρεσβυτερον, ὐτε νεωτερον προσηκει γιγνεσθαι ποτε. ὐδε γεγονεναι νυν, ὐδ' εἰς αὐθις ἐσεσθαι, το παραπαν δε ὐδεν ὁσα γενεσις τοις ἐν αἰσθησει Φερομενοις προσηψεν. ἀλλα χρονυ ταυτα ἀιωνα τε μιμεμενυ, και κατ' ἀριθμον κυκλεμενον γεγονεν ἐιδη — χρονος δ' ὐν μετ' ὐρανυ γεγονεν, ἱνα ἁμα γεννηθεντες ἁμα και λυθωσιν, ἀν ποτε λυσις τις ἀυτων γενηται. Και κατα το παραδειγμα της ἀιωνιυ Φυσεως, ἱν' ὡς ὁμοιοτατος ὠ κατα δυναμιν ἡ. Το μεν γαρ δη παραδειγμα παντα ἀιωνα ἐσιν ὀν. Ὁ δ' ὰυ δια τελυς τον ἁπαντα χρονον γεγονως τε και ὠν και ἐσομενος ἐστι μονος, δη ὐν λογυ και διανοιας Θευ τοιαυτης προς χρονυ γενεσιν, ἱνα γεννηθη χρονος, ἡλιος και σεληνη, και πεντε ἄλλα ἀστρα, ἐπικλην ἐχοντα πλανηται εἰς διορισμον και Φυλακην ἀριθμων χρονυ γεγονε.

i. e. *Cum igitur hoc a se factum sempiternorum Deorum pulchrum simulacrum moveri & vivere Pater ille, qui genuit, animadverteret, delectatus est opere, & hac ductus letitia opus suo multo etiam magis primo illi Exemplari simile reddere tentavit. Itaque quemadmodum illud sempiternum animal est, ita universum hoc pro viribus tale facere studuit. Illius quidem animalis æterna natura est, quod genito operi congruere omnino non potest. Idcirco imaginem ævi mobilem effingere decrevit, ac dum cœlum exornaret, fecit æternitatis in unitate manentis æternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus. Dies porro, & noctes, & menses, & annos, qui ante NB. cœlum non erant, tunc nascente mundo*

mundo nasci jussit; quæ omnia temporis partes sunt. Atqui erat, & erit, quæ nati temporis species sunt, non recte æternæ substantiæ assignamus. Dicimus enim de illa, est, erat, & erit. Sed illi revera solum esse competit. Fuisse vero & fore deinceps ad generationem tempore procedentem referre debemus. Motus enim quidam duo illa sunt. Æterna autem substantia cum eadem semper & immobilis perseveret, neque senior se ipsa fit unquam neque junior, neque fuit hactenus neque erit in posterum, neque recipit eorum quidquam, quibus res corporeæ mobilesque ex ipsa generationis conditione subjiciuntur. Nempe hæc omnia temporis imitantis ævum, seque numero revolventis, species sunt. — Tempus vero una cum cœlo factum est, ut una orta, una etiam dissolvantur, si qua his dissolutio unquam contigerit. Et ad Exemplar æternæ naturæ ideo factum est, ut mundus hic illi præstantiori, quoad potest, simillimus sit. Ille enim mundus hujus Exemplar omne per ævum est. Hic vero perpetuo per omne tempus fuit, fitque solus, & erit. Hac ratione consilioque DEI, tempus creare volentis, sol & luna, & aliæ quinque stellæ, quæ vocantur erraticæ, factæ sunt, quo temporis numerus distinguatur atque observetur. Locum illum prolixum ideo adduxi, uti *omnibus pateret*, quam nullo fundamento *D. G.* conjectura nitatur. Verbum ad illum addere nolo, cum nemo non videat, *adversa fronte* pugnare sententiam *Gundlingii* cum adsertis *Platonis*. Sed quæritur, inquit, an genesis æterna ejus sententiis ratis repugnet? nam materiam is certe genitam, eamque simul ἀΐδιον appellat. Ita est, materia dicitur ἀΐδιος, genita non item, nisi intelligas mundum ornatum, quæ non repugnant. Genesin æternam sententiis *Platonis* repugnare, omnia docent, quæ supra de origine mundi & liberrima Dei voluntate materiam in ordinem redigendi diximus; imo locus ille jamjam citatus haud obscure insinuat, quid *Plato* & de origine mundi & temporis ortu senserit. *Nec negligendum*, (ita pergit) *Platonem cœlum ac totum mundum pro Deo habuisse. Deus vero est æternus, habetque essentiam & existentiam æternam; similiter mundus igitur.* Provocat ad *Platonis Epinomidem*, in quo cœlum Θεος adpellatur, p. m. 636. Sed infirma est quammaxime illa ratiocinatio: Cœlum Deus vocatur, ergo cœlum est Ens perfectissimum. Novimus enim, & terram Dei nomine adpellatam, licet nemo forte sit, qui credat, terram esse Ens perfectissimum. Vocat Θεον cœlum, quia animæ singulis astris attributæ sunt. Hinc idem *Plato* eodem in dialogo p. 922. vers. Ficini: *Cogitemus igitur*, inquit *quomodo fieri possit, ut tanta magnitudo ab aliqua natura possit tanto tempore circumferri. Ego igitur adsero,*

adsero, Deum causam esse, nec aliter fieri posse. Animatum enim non aliter, quam propter Deum fieri posset, ut nos declaravimus. Quoniam ergo id Deus facere potest, facile ipsi fuit primum omni corpori magnitudinique vitam tribuere: deinde, qua ratione optime fieri cogitavit, hac ducere. Demum de his omnibus veram hanc sententiam ferri volumus: impossibile esse, terram, cœlum, stellasque omnes, & quæ ex his constant moles, nisi anima singulis aut adsit aut insit, adeo exquisita ratione annis, mensibus, diebusque circumvolvi, nobisque omnibus bona omnia facere. Hominem vero decet, quo vilior est, eo minus de ipsis nugari, sed conari potius certi aliquid dicere. Ita *Plato.* Ex quo patet ratio, cur cœlum inter Θεως referatur, simulque *Deum distingui a cœlo stellisque. Imo ipse articulus* ostendit, de Ente perfectissimo *Platoni* sermonem non esse, τινα δη, inquit, καὶ σεμνυνων ποτε λεγω θεον, ὦ Μεγιλλε τε καὶ Κλεινια, ᾧδον ἕρμενον, *quem vero Deum laudibus, o Megille & Clinia, effero? cœlum ferme.*

XXXI. Misere se torquet *D. Gundling.* Sect. 68. & 69. ut consequatur, quod intendit. Ita enim loquitur Sect. 68. *Id verum: Plato nihil pulchrius existimavit mundo: & Deus semper vult pulcherrimum, quod intelligit. Velle Dei nunquam non est actus: quin potentia in Deo est actus; itaque inde potius consequitur, pulcherrimum intelligibile esse quoque appetibile. Voluntas Dei non est vaga, sed definita: igitur nisi creasset illico mundum, definita voluntas non fuisset, sed incerta.* Ita *Gundlingius.* Nescio, utrum *D. Vir* suo hic, an *Platonis* nomine loquatur. Certe non ita sentit *Plato*, sed *Spinoza.* Propos. 34. *Spinoza* rotunde ait: *Dei potentia est ipsa ipsius essentia:* Propos. XXXV. *quicquid concipimus in Dei potestate esse, id necessario est.* Propos. XXXII. *voluntas non potest vocari causa libera; sed tantum necessaria.* Et hinc emergunt *duo Corollaria*, quorum *primum* est, *Deum non operari ex libertate voluntatis. 2. Voluntatem & intellectum ad Dei naturam ita sese habere, ut motus & quies, & absolute, ut omnia naturalia, quæ a Deo ad existendum & operandum certo modo determinari debent.* Propos. XXXIII. *Res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quam productæ sunt.* In Scholio Propos. XVII. pag. 17. & seq. *absurdam sententiam vocat eorum opinionem, qui putant, DEUM per potentiam suam multa facere posse, quæ tamen non fiant.* Unde facile patet, quid de propositionibus illis sentiendum sit. Sane si potentia Dei est actus, sequitur, omnia, quæ existunt, necessario existere, nihil amplius fieri posse, Deumque non causam liberam, sed necessariam esse. Voluntas

Dei

Dei non est vaga, sed nec necessario agens. *Eodem argumento Gundlingii probarem, Deum ab æterno mundum & omnes Creaturas produxisse.* Deus nimirum ab æterno intellexit, quæ creare voluit, vult ergo ab æterno, quod intelligit esse pulchrum. Mundum hunc pulcherrimum esse vidit; ergo ab æterno creavit; insuper: Deus potest mundum producere, ergo ab æterno creavit, quia potentia est ab æterno eadem cum actu. Porro, voluntas DEI creandi mundum, non est vaga, ergo ab æterno creavit mundum, quia alias voluntas non esset definita, sed vaga. Non opus est, ut quam falsa sint hæc ratiocinia ostendam. *Si Deus Platonis*, ita pergit, *voluit facere mundum voluntate interna, cujus mundi παραδειγμα erat in mente Dei: voluit certe producere ab æterno, & nunquam potuit non velle, quemadmodum ab æterno est, nec potuit non esse. Si aliquando non voluisset, sed cœpisset velle; consequeretur, ut* 1.) *vel non fuisset aliquando, quod est contrarium sempiternitati & necessitati, qua Deus existit;* 2.) *vel ejus discreparet voluntas ab essentia, quod evertit Numinis divini simplicitatem: vel denique* 3.) *Mutationis non esset expers, quod repugnat perfectioni.* Respondeo, 1. a voluntate Dei, quatenus pro attributo Dei essentiali sumitur, ad executionem æternam ejusdem voluntatis, nulla est consequentia. Deus ab æterno voluit, seu constituit me creare: sed nec ideo ab æterno formatus sum. 2. Quid juvat, tempus aliquod distinguere, quo noluit, tempus item, quo voluit mundum condere? voluit, seu constituit ab æterno, suo tempore condere mundum. Voluntas Dei & res, quas vult facere, uti sunt natura sua distinctæ; sic nulla est prorsus inter voluntatem & res, quas vult, necessaria connexio. Voluntas attributum Dei æternum est, & eo respectu etiam hoc vel illud ab æterno velle dicitur; sed res, quas vult efficere, non ideo tamen æternæ sunt, quandoquidem voluntas est facultas libera, quæ, prouti infinita sapientia jubet, agit. 3. Sine dubio si *Plato* Deum mox volentem mox nolentem induxisset, vel non fuisse eum aliquando, vel mutabilem esse, sequeretur. Sed cum hæc suppositio in *cerebro Gundlingii*, non *item Platonis*, nata sit, non opus est, ut de absurdis, quæ inde sequuntur, quicquam dicamus. *D. G. Systema absurdum primo fingit, deinde magna vi subvertit, quod facillimum est.* Non sum ego ex iis, qui consequentias cuiquam imponere velim, quas ipsemet detestatur. *Indignum enim hoc est Viro honesto & sapientiæ studioso.* Nescio interim, quomodo *Cl. Vir* in sententiam prolapsus sit, quæ *periculosissimis consectariis obnoxia est.* *Potentia* in Deo semper est *actus.* *Velle Dei* nunquam non

non est *actus*. *Voluntas* eadem est cum *essentia*. Ex quibus propositionibus necessario sequitur, *Deum nihil amplius creare posse*, *omnia*, *quæ sunt*, *necessario esse*, & quidem *æterna*, *voluntatem* in Deo non *liberam* esse, sed *necessariam*. Quæ quam absurda sint, nemo non videt. Non tamen, (ut denuo repetam) eum hæc credere puto, sed *nimio me refellendi ardore* abreptum crediderim, cum hæc scripserat. Si ego hæc dixissem, sine dubio vapulassem. Sed præstat ἀληθευειν ἐν ἀγαπῃ. Postquam illa consectaria, quæ ex sententia *Platonis*, vel potius ipsius, manare dixisset, in medium attulit, supponit hæc omnia *Platonem* tanquam ἄτοπα perspexisse, atque adeo causam non esse, quominus mundum æternum finxerit. De consectariis illis jam diximus; nimirum, illa nituntur hypothesi *emendicata* & a Gundlingio *efficta*. Sine dubio mundus esset ab æterno, si ab æterno eum voluisset condere Optimus Maximus. Impediens nullum fuit. Materia est res ad utrumque parata. Non prohibuit internum quid. Voluntas enim Dei libera est, non est defectus virtutis, nisi dicas, Deum imbecillum esse, quod nos non creaverit ab æterno, quod ἄτοπον. Voluntas Dei non ideo est temporaria. Non enim in arena capit consilia. Voluntas respectu essentiæ suæ æterna est, sed libera executio voluntatis in tempore demum locum habere potest. Neque ex nolente factus est volens. Voluit exornare rudem & indigestam molem, sed definito suo tempore. *Qui voluntatem* (ita pergit Cl. Gundlingius pag. 291.) *& essentiam divinam diversam autumat*, *simplicitatem Dei subruit*, *eumque compositum efficit*. Nescio, quid cogitaverit *subtilissimus Vir*, dum hæc scripsit. *Voluntas* enim Dei, licet ad Essentiam Dei pertineat, *facultas tamen est liberrima*; *Essentia* vero *divina* est *necessaria*; ergo quod Deus vult, non necessario vult, sed libere quammaxime. *Spinoza* adserit, voluntatem non esse causam liberam, sed necessariam, uti supra jam ipsa ejus testantur verba. Necessaria sine dubio est voluntas, quatenus ad naturam Eutis perfectissimi necessario pertinet; sed quatenus consideratur respectu rerum, quas vult, minime necessaria est, sed liberrima. At hic quæstio est de mundi Creatione. Quod si igitur voluntas Dei æque necessaria esset, ac ipsa Essentia Dei, sequeretur, mundum ab æterno necessario extitisse, nulla esse contingentia, nulla possibilia, Deum Ens esse non libere, sed necessario agens. *Hæc*, inquam, ex *sententia Gundlingii sequerentur*. Cum autem illa absurda non admittat, patet, quid de fundamento, cui inædificata est adsertio *Cl. Viri*, sentiendum sit. Scio, illos, qui dicunt, Deum libere ab æterno mundum

pūm condere voluisse, in *Spinozæ* castra non transire. Sed *aliud est*, *dicere*, *Deum ab æterno libere voluisse mundum condere*, *aliud potentiam Dei esse ipsum actum*; *velle Dei nunquam non esse actum*; *voluntatem Dei esse ipsam essentiam*. *Prius* nullam involvit contradictionem; *posterius* autem mundi necessariam existentiam aliaque absurda inferret. Utrum *Pythagoras*, *Parmenides* mundi æternitatem professi sint, hic inquirere nolo. Quæritur quid senserit *Plato*. Perspicuis locis probavi, eum mundi æternitatem negasse, hoc sufficit. Non semel, dum hæc scripsi, mihi in mentem venit illud Poëtæ: *Quo se nunc proripit ille?*

XXXII. Sed redit tandem D. G. ad *T. Locrum*, probaturus, eum sententiam de æternitate mundi adstruere. Sect. enim 73. ita loquitur: *Sed age*, *ad T. Locrum redeamus*, *de tempore differentem*, *qui istud* εἰκονα καὶ παραδειγμα *æternitatis nominat*. *Si quid video*, *Locrus ait*, *tempus ratione nostri ad exemplum æternitatis esse conferendum*. *Ut enim æternitas est infinita existentia*, *& tota simul vita*, *hoc est*, *ipse Deus*: *ita tempus similiter est infinitum a vita Dei profluens*, *qui Deus*, *dicente Boëthio*, *infinitum temporis iter arripuit*, *ut continuaret eundo vitam*, *quæ nunquam finietur*: *eoque mundus animatus hac vita*, *initium non habet*, *nec finem*. *Adeo verum est*, *invenire quemque*, *quod quærit*. Locum non adduxit, ne inspici queat. Adduximus eum Sect. XXX. hujus dissertat. qui cum dicendis conferendus. Nimirum dies & nox *temporis partes* dicuntur, quas Deus ἐκοσμησεν συν κοσμω. Quemadmodum mundus dicitur γενητος, ita & χρονος, quod infra textum non solum Editor observat, sed & ipsa rei natura docet; cum enim *tempus* simul cum *mundo ortum sit*, *mundus* autem γενητος, sequitur, *idem de tempore* dicendum. Probat præterea idem *comparatio*, quam instituit Locrus. Mundus hic γενητος, factus esse dicitur ad παραδειγμα aliquod ἀϊδιον, εἰκονα ἀιωνος. Sequitur itaque, παραδειγμα *illud esse æternum*, *mundum vero factum*; *æternitatem distingui a* χρονω, *ut* παραδειγμα *illud æternum distinctum est a mundo*, *ad illud facto*. *Æternitas* igitur secundum Locrum competit illis solis, quæ *necessario* existunt, *tempus* autem *rebus non necessariis*, sed factis, & ab alio dependentibus. Atqui mundus secundum *Platonem* & *T. Locrum* incepit: astra, ad quorum cursum tempus metimur, cum mundo facta, ergo tempus etiam cum mundo exortum; mundus igitur initium habet, ergo etiam tempus: quod initium habet, neque infinitum, neque æternum dici potest; at habet mundus & tempus secundum T. Locrum initium, ergo & mundus & tempus finita sunt. *Vita Dei & conti-*

continuata ejusdem nec unquam interrupta existentia, nonnisi mentis abstractione inter se differunt; mundus vero una *cum tempore*, ut sine contradictione tanquam *non existens* concipi potest; ita postquam semel existere cœpit, *finitus est*, *æque ac tempus* fluxum est ac manebit. Quid ergo sibi volunt illa *D. Gundlingii* verba, mundum vita Dei animatum? aut hac propositione intelligitur, Deum ab æterno se cum mundo conjunxisse, adeo ut, posita æterna Dei vita, ponatur simul æterna mundi duratio; aut Deum jugiter & æternum actuosum voluisse mundum condere simul cum tempore. *Prior sensus* aperte contrariatur Locri verbis; is enim tempus demum cum mundo & stellis ortum esse perhibet. *Si posterius*, mundus in tempore conditus est, & tempus cum mundo exortum. Tempus itaque non a vita Dei seu continuata existentia fluit; *Sed ut mundus a liberrima voluntate Dei* originem habet secundum Timæum, *ita similiter tempus non a vita Dei, sed voluntate ejus originem suam habet.* At instat Cl. Vir dicendo: *Inquis: mundus est genitus, genitum est posterius; mundus igitur, tanquam genitus, erit posterior gignente. Ego: qui posterius dicit, ponit prius. In Deo non est prius, quia in ipso non est posterius, nec præteritum, sed tantum EST, ac præsens: quare consequitur, ut, DEI contemplatione, mundus non sit posterior, quia Deus alioquin fingeretur prior & posterior. Mira* hæc est *subtilitas*! nimirum mundus conditus est secundum Locrum, ἐδαμιεργηθη, ergo mundus est æque æternus ac ipse Deus. In Deo non est prius & posterius, nec præteritum, sed præsens; Ergo in mundo a Deo condito non prius etiam est & posterius. Si in mundo prius esset ac posterius, sequeretur, Deum, qui mundum contemplatus est, se ipso priorem esse & posteriorem. Quis autem non videt *ratiociniorum istorum vim & incredibilem efficaciam?* nimirum hæc omnia nituntur *suppositione de necessaria omnium rerum emanatione a Deo*, quæ adsertis Timæi evidentissime contraria est. *Quocirca mundum* (ita pergit D. G.) *nihilominus existimare Plato potuit genitum a Deo æternum, quia est actus & vita infinita, sic, ut vita mundi concipiatur tanquam linea continuata, tanquam radius lucis perpetuo coruscantis. Cum vero lux ista divina non unum emiserit radium, sed plures; hinc nunc demum, ratione nostræ contemplationis, oritur tempus, quod dimetimur ad aliud mente, gradusque confingimus, dum metimur.* Si hæc *Veteres explicandi ratio* valet, nihil non in posterum *probabo.* Vellem etiam, ut metaphoricis locutionibus abstinuisset V. D. Omnia huc redeunt; mundum a Deo ab æterno emanasse, & hujus emanationis intervalla nos tempus

pus vocare. Sed falsum esse prius, abunde jam supra ostendimus; *meræ ergo sunt hariolationes*, quæ de tempore ex mente *Timæi* & *Platonis* dicuntur. Qui loca solum inspicit supra citata, quam *hæc omnia contorta* sint, videbit. *Supponit* identidem res omnes a Dei natura emanasse, *nec tamen probat*. Non disputamus autem hic de abstractis quibusdam veritatibus, sed sententia *Platonis*, quæ veterum testimoniis proponenda & explicanda. *Locrus* mundum γενναϖον dixit, & tempus simul cum mundo initium habuisse. Quid igitur verbis opus est? cur testes nulli adsunt, quos magno numero se adducturum minatur? tædet eadem semper repetere. *Locri* & *Platonis* verba *clariora sunt*, quam ut a *Gundlingio* in alium sensum trahi possint. Hæret semper *Cl. Vir* in voce γενναν, gignere, & inde argumentatur. Sed cur displicent verba κοσμειν, δημιεργειν, ποιησαι, quæ T. *Locrus* adhibet, cum de mundi origine loquitur? num Δημιεργος idem fit cum opere, simulac ei elaborando animum adjicit? quæ Sect. 76. *in me effudit dicteria, lubens silentio transeo, laudes, quas ibidem sibi tribuit, ei non invideo.*

XXXIII. In transitu, *non argumenti alicujus* loco, sed *illustrationis causa*, occasione animæ mundi, dixi, Viros quosdam Eruditos, naturam *quandam Plasticam* dari, probare contendisse, eam causam esse multorum effectuum, quos in plantis, animalibus & homine ipso observemus. Ille ait, hanc naturam plasticam ex mente doctorum illorum Virorum *creatam esse*. *Hoc minime ignoravi*; sed *eo tantum fine* ejus mentionem feci, ut ostenderem, minime ex eo, quod natura animæ mundi divina dicatur, atque per omnes mundi partes diffusa, sequi, aut eam Deum ipsum esse, aut cum mundo prorsus conjunctam. *Tribus insuper verbis dixi, Virgilium Æneid 6. eleganter animam illam mundi describere.* Occasione hujus citationis prolixa adfert loca ex *Bibliotheca Critica R. Simonis*, qui contrarium sentit. Imo Sect. 80. *vehementer lætatur, me in illa incidisse retia*, putans me circumventum, elabendi rimam nullam videre; animam enim illam mundi a *Virgilio* descriptam esse ipsum Deum omnibus partibus materiæ infusum, & mille in partes scissum. Jam ante *R. Simonium* idem senserat *P. Baylius continuat. des pensées sur les Cometes* pag. 119. seq. Imo *Illustris Leibnizius, Vir philosophiæ Veteris longe peritior R. Simone*, in eandem etiam concessit sententiam. Sed his non obstantibus, puto, in tantas angustias me conjectum non esse. Rationes, quas habeo, sequentes sunt. *Primo* fatebuntur omnes, qui *dissertat. meam* legerunt, me in

tranſitu tantum mentionem loci Virgiliani feciſſe. Quodſi igitur vel maxime locus ille mihi contrarius eſſet, nihil aliud ſequeretur, quam me *fruſtra ad Virgilium* provocaſſe. Sæpiſſime fieri ſolet, ut ad ſententiam noſtram confirmandam provocemus ad eos, qui verbis, non ſenſu, nobiſcum conſpirant. *Theologi* ſæpiſſime citant loca, quæ adverſa ſunt propoſitionibus, quas tueri volunt. Num autem inde ſequitur, *ergo omnia*, etiam *firmiſſima*, quæ adduxerant, aut *loca*, aut *argumenta*, vana ſunt? non putaverim. Quodſi igitur vel maxime fruſtra *ad Virgilium* provocaſſem, argumenta mea ſupra allata *pondus ſuum* non amitterent. *Secundo*, non puto tamen, perſpicuis locis probari poſſe, *excellentiſſimum Poëtam Spinozæ* ſententiæ addictum fuiſſe. Nihil dicam jam de locis, in quibus *præclariſſime* de Deo ſentit; ſed provocabo tantum ad quædam loca, quæ probare videntur, potius eum *Epicuri* in caſtra transgreſſum eſſe. In *Ecloga 6*, *ebrium Silenum* inducit ſecundum principia *Epicuri* de rerum omnium origine ita canentem:

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque, animæque, marisve fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis: ut his exordia primis
Omnia, & ipſe tener mundi concreverit orbis.

Libro vero 2. *Georg.* culturam Philoſophiæ celebraturus ait: v. 475.

Me vero primum dulces ante omnia Muſæ,
Quarum ſacra fero ingenti percuſſus amore,
Accipiant: cœlique vias & ſydera monſtrent.

Hinc *verſu* 490.

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omneis & inexorabile Fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari.

Conferamus cum his verba *Virgilii*, ad quæ provocat *R. Simon*: extant illa partim *Georg.* Lib. 4. v. 220. *partim Æneid.* VI. v. 724. In illo de apibus ita loquitur: (*)

Eſſe

(*) Si, qui hos antecedit, verſiculus conſulatur, ubi Poëta ita,
His quidam ſignis, atque hæc exempla ſecuti &c.

pate-

Esse apibus partem divinæ mentis & haustus
Ætherios, dixere: Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.
Scilicet huc reddi deinde, ac resoluta referri
Omnia: nec morti esse locum; sed viva volare
Sideris in numerum, atque alto succedere cœlo.

In hoc *Anchisen* ita inducit loquentem:

Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore Pontus.
Igneus est illis vigor, & cœlestis origo &c.

Priora loca cum *Epicuri Philosophia* conveniunt, *posteriora* cum *Platonicorum*, *si Gundlingium* audias, & *Spinozæ*. At *Spinozæ* sententia de unica substantia, ex qua omnia inevitabili necessitate orta sint, e diametro pugnat cum *Systemate Epicuri*, omnia fortuito atomorum concursui attribuentis. Quemadmodum autem ignoramus, utrum *Virgilius* Eclog. sexta in honorem Q. *Vari* (quocum sub Silone philosopho Sectæ Epicuri operam dederat) hæc recitet; an vero animi sui sensa proferat: Ita pariter ignoramus, quorum sententias sequatur in posterioribus locis. *Tertio*: Pone autem, *Virgilium* posterioribus hisce in

patebit, Virgilium minime de sua, sed de aliorum loqui sententia. Posito itaque, ipsum Epicuri addictum fuisse Sectæ, quid impedit, quo minus per τὸ *quidam* Stoicos intellexisse putetur? Ita enim clare non tantum omnia, sed totius etiam textus ratio cohæret: quæ in sequentibus clarissime innuit, Stoicos intelligi, ubi additur:

Scilicet huc reddi deinde, ac resoluta referri
Omnia: nec morti esse locum, sed viva volare
Sideris in numerum, atque alto succedere cœlo.

Germanissima hæc Stoicorum decreta sunt, nihil mori, cuncta reduci in primam materiam, & animam mundi seminales rationes comprehendentem, locumque ista capere circa sidera. Res in Stoicorum Scholis notissima, quam planam fecere LIPSIUS & GATAKERUS, quos vide. Nihil itaque Virgilius ad Platonem,

locis *Platonem secutum*, & per mentem illam omnia pererrantem *animam mundi* intellexisse, tum nondum sequitur, animam mundi & Deum unicam efficere substantiam. Provocarem igitur ad ea, quæ satis superque de hoc argumento supra dixi. Probandum igitur incumberet *Gundlingio*, *partes R. Simonii tuenti*, Deum ipsum cum Materia confusum & commixtum esse. *Quarto:* In gratiam tamen *Gundlingii* supponemus, *Dei* nomine *Virgilium ipsum Numen* præstantissimum intelligere. Probandum postea esset, verba, quibus utitur Poëta, *nonnisi sensu Spinozæ sumi* debere. At hoc probatu quammaxime difficile esset; Quodsi enim sententiam Auctoris alicujus explicare volumus, præsertim in rebus maximi momenti, tum, antequam consectaria inde deducamus, aut *verba* debent ita *perspicua esse, ut aliter intelligi non possint*, aut *aliunde nobis constare de mente Auctoris illius.* At neutrum hic locum habet. Ergo secundum omnem sensus latitudinem verba ejus sumi non debent. Exemplo rem illustremus. Ponamus, nos aliunde nescire, quem Deum nobis *S. Scriptura* colendum offerat, nosque incidere inter legendum in verba, quæ duriora prima specie videntur, v. gr. *nos in Deo esse, vivere & moveri, Spiritum Dei omnia pervadere, nos templum esse Dei, divinæ naturæ participes factos, ex Deo natos &c.* facile possemus in eam sententiam delabi, quam *Spinoza* & *Tolandus* inde eruerunt. Quamprimum autem aliunde constat, Numen aliquod sapientissimum, liberrimum, sanctissimum, a mundo & materia prorsus diversum, colendum nobis offerri, videmus, verba ista non esse ad vivum resecanda, sed aliter interpretanda. Cum autem nesciamus, quid *Virgilius* de natura Dei senserit, saltem cum nullibi animi sui cogitata hac in parte expresserit, certo non scimus, quam potestatem singulis vocabulis & phrasibus tribuere debeamus. Sic quomodo Spiritus ille *intus alere, & totos per artus diffusus esse dicatur*; qua ratione *mens illa toto corpore se miscere, & per omnes terras ire* dici possit, definire non possumus. Sano possent hæc sensu intelligi: nemo enim non novit, *phrases Poëtarum* minime semper *urgeri* posse: *ignoramus* præterea, utrum Virgilius *suam*, an *aliorum* Philosophorum exprimat *mentem.* Ponamus autem, aliunde nobis perspectam esse mentem *Virgilii* circa hoc negotium, & Dei nomine intellexisse Numen præstantissimum, ab omni Materiæ labe longissime remotum, tum omnes clamarent, verba ipsius *secundum totam significationis amplitudinem* sumenda haud esse, sed *convenienter ipsius decretis explicanda.* Ponamus, eum putasse, Deum esse *nobilissimam mentem*, sed subtilissi-

tiliſſimo quodam vehiculo indutam, cujus ope omnia pervaderet, non tamen ita, quaſi ipſe in partes ſciſſus, ſed quod ope *rapidiſſimi illius vehiculi* omnia pervaderet, moveret &c. tum ſine dubio & hoc ſenſu non nimis urgenda eſſent. Quis autem, cum hæc omnia neſciamus, non videt, tutius longe eſſe, a *periculoſis conſectariis abſtinere*, quam præſtantiſſimo Viro abſurdam ſententiam tribuere ? Accedit, quod graviſſimi Theologi, cum de *Immenſitate* & *Ubiquitate* Dei locuti ſunt, phraſes adhibuerint, quæ, ſi *omnem vim verborum urgere vellemus*, *duriores ſunt*. Legatur cap. VII. & VIII. *Dogmat. Theolog. Petavii Lib. III.* in quo *Patrum* non minus, quam *Ethnicorum* de *Immenſitate* & *Ubiquitate Dei* cogitata profert; heic multa obſervantur loca, quæ *prima fronte aſperiora* ſunt; *mitigata* autem, *innoxia* videbuntur, ſi ad *Scopum* eorum, qui hæc dixerunt, & *ſententiarum*, quas profitebantur, nexum attendamus. (*) *Præſtantiſſimus Theologus*, *ὁ νυν ἐν ἁγιοις*, *H. A. Roëll*, *probaturus*, *Deum mentem eſſe præſtantiſſimam*, provocat ad conſenſum Gentilium; & inter alia etiam locum Virgilii: Spiritus intus alit &c. profert, pag. 64. diſſertat. de *Religione rationali*. Nemo tamen crediderit, eum *Spinozæ* ſententiæ addictum fuiſſe. *Quinto: Multum tribuo R. Simonio*, *Viro linguarum Orientalium & artis Criticæ peritiſſimo*; difficulter tamen eum probaturum, ſi viveret, credo, quod contendit; nimirum, Veteres Sapientiæ Antiſtites in *univerſum omnes*, cum de Spiritibus locuti ſunt, nonniſi materiam aliquam ſubtilem intellexiſſe. Hoc verum, quod Spiritus ejusmodi ſubſtantiis aſſimilaverint, quod item corpore ſubtili & pellucido, tanquam vehiculo quodam, inſtructos crediderint; (**) quemadmodum plerique Eccleſiæ Patres idem aſſeruerunt: Sed quod omnem ſubſtantiæ intelligentis naturam ſubtiliſſimarum partium compoſitione abſolvi putaverint; hoc in univerſum perſpicuis teſtimoniis probari poſſe, diffido. Sic per *νεν Anaxagoræ* nonniſi ignem intelligi, quod *Simonius* contendit, probandum eſt quammaxime. *Verbo*; licet *D. Gundlingius magna pompa* contra me adducat *teſtimonium Simonii*; patet tamen ex locorum adductorum inſpectione, *Simonium* quidem *dicere*, *minime*

(*) Conſer cum noſtris, *Cudworthum* Tom. I. pag. 593. & notas Cl. *Moshemii*.

(**) Neque tamen omnes, quibus plena manu adductis hoc præcipue accedit, Veteres plerosque materiæ mentem e diametro tum ratione naturæ, tum ratione dependentiæ oppoſuiſſe, uti tota philoſophorum hiſtoria clamat, nec negabit, niſi cui perfricta frons eſt. Unde non potuit illis mens eſſe materialis, quod recentiorum tantum inter Græcos commentum fuiſſe videtur, & forte Zeno Citticus primus fuit, qui ita philoſophatus fuit, inter eos, qui præter materiam aliud principium ſive revera, ſive verbotenus admiſerunt.

autem *probare*, nisi excipias locum *Servii*, cujus tamen Scholiastæ auctoritas tanta non est, ut dicamus, & *Platonem* & *Virgilium* ad sensum *Spinozæ* esse torquendum. Verum est, *Servium* ad versum 219. Eclog. IV. *Virgilii* dixisse, & apes habere partem divinitatis. Sed quæritur adhuc, quo sensu hoc intelligendum sit. Θειον *hoc idem esse, quod præstantissimum, multis locis probat Cerda* ad hunc locum. *Didymus* opificium apis Θειον *vocat:* idem videtur adserere Plutarchus, cum ait: ἀλλα την μελισσαν ἡμεις σοφην καλεμεν. Ex Commentario ejusdem *Servii* ad Lib. VI. *Æneid.* patet, eum potius *suam sententiam* adferre, quam *unde hæc petiverit Virgilius, exponere.* Ad versum enim 724. principium cœlum ac terras &c. ita loquitur: *Interrogatus Anchises, quare animæ velint reverti ad corpora, quasi aliud dicit, tamen illuc recurrit, quod Græce* ὁ παν *dicitur, id est, quod omne est. Quatuor sunt Elementa, terra, aqua, aër, æther: & Deus. Præter hæc nihil est aliud: & hoc mundum non possumus dicere. Nam mundus non est totum. Ergo Deus est quidem Spiritus divinus, qui per quatuor infusus Elementa, gignit universa. Igitur si de Elementis & Deo nascuntur omnia, unam originem habent, & par est natura omnium. Sed videamus, quid in nobis est a Deo: & quid a quatuor Elementis. Quantum datur intelligi, ab elementis habemus corpus, a Deo animam: quod ideo probatur, quia, quod est in corpore, terra, humor, anhelitus, color (quæ omnia videntur, sicut etiam Elementa) animus invisibilis est, sicut etiam Deus, unde originem ducit. Illa præterea irrationabilia sunt, sicut corpus. Contra Deus habet consilium, sicut etiam animus. Deinde elementa mutari videmus, quorum perire mutari est; ergo nec animus perit, qui inde originem non ducit. Nam pars semper sequitur genus. Huc igitur tetendit primam intentionem suam, ut animos immortales diceret. Hactenus Servius.* Ex quo patet, ipsum minime *sensum Virgilii collatione locorum e Philosophorum decretis* petitorum *explicare*, sed *simpliciter* in sensum inquirere, qui sensus etiam ita comparatus est, ut *Spinozæ* sententiæ prorsus conformis non sit. *Sexto:* quodsi *tandem Gundlingio concedam, Virgilium* loqui ex mente *Platonis* de anima mundi, nihil tamen lucrabitur. Non enim Rectorem Universi, sed animam mundi, nescio, quomodo ortam & temperatam, mundi partibus infusam esse, asserit *Plato.* Probandum igitur. Deum ipsum ex mente *Virgilii & Platonis in unam substantiam confusum esse.* Sed *testimonium sane R. Simonis hoc non conficit.* Unde patet, quid de *Illustris Viri* verbis, quæ Sect. 81. initio fudit, sentiendum sit. Adducto enim testimonio *R. Simonii*, ita loquitur: *Quo te nunc*

nunc vertas, fere nescio, nisi in R. Simonium excandescens, eum vilipendere incipias, quod soles facere, quando Scriptores Juniores aliter, quam tibi sedet, Platonis doctrinas intelligunt, itemque exponunt. Non irascor *Celeberrimo Critico, non perspicacissimo Gundlingio* propter dissensum illum *in re levissima*, nedum ut tantis viris dicam scribam. Facere enim hoc solent *Doctores Umbratici.* Imo æquissimo animo fero, quæ *Incomparabilis Gundlingius* in hac ipsa Sectione contra me effudit *pleno horreo dicteria.* Quod ut pateat, ipsissima *Elegantissimi Viri* verba adponam. *Ita Te* (loquitur *Illustris Doctor Gundlingius*) *in gyrum volvit præsumtus error, ut nec videas, nec audias, sed sensibus quibusque repugnes, nihilque argumenti admittas; utut putes, te audire, atque aliquando cogitas, te cupere doceri; cum interea nec contrarias Demonstrationes assensu tuo digneris unquam, quia te intus agitat Spiritus Vertiginis, & mens tua magno se corpore miscet Doctorum, quos idem adflavit Sydus & contra veritatem obduravit; semper recolendo toties vanissime prolata, mentem nimirum divinam & animam mundi a materia separari.* Hactenus *Excellentissimus Gundlingius.* De re ipsa judicium esto penes eruditum Lectorem. (*)

XXXIV. *Cl. Gundling.* differt. Sect. 82. locum *Plutarchi*, quem frustra adductum dixeram, vindicare nititur. Nimirum ex illo voluit probare, Deum *Platonis*, Universum, materiam, mentem, animam, mundum, unius rei diversas tantum denominationes esse. Ostendi *dissertat. meæ* pag. 933. *Plutarchum* in citato loco aliorum Philosophorum referre sententias, & adduxi ipsa *Plutarchi* verba, in quibus eorum opiniones refellit. Quamvis hoc negare haud posset *Cl. Vir*, contendit tamen, *Plutarchum* sententiæ suæ favere; *In causa primaria*, inquit, *Cbæronensis ingenue fatetur, omnes res singulares constare ex intelligente & sensili: intelligens esse formam, sensile materiam. Forma vero sicuti naturæ cuique complementum dat; ita claret, divinam istud efficere substantiam, cujus particeps sit materia: mundi vero animam amplius aliquid continere præter intelligibile ac sensile, quod est in rebus universis.* Sed verba ipsa Plutarchi adferenda fuissent. *Plutarchus* recensuit *Celeberrimorum Philosophorum, Crantoris & Xenocratis* sententias de procreatione & natura animæ mundi; quibus adductis, ita ait: *Mihi, si probabilitas pro regula judicandi sit habenda, utrique videntur*

(*) Mire sibi plaudit *Gundlingius* ob testimonium R. *Simonis*, quod nonsolum heic, sed & contra Cl. *Trillerum* ursit, contendens Veteres de substantiis intellectualibus sciisse nihil, quam falsa autem sit hæc adsertio vel illa sola docent quæ *Cudworthus* Lib. I. cap. I. Sect. XIX. sq. attulit. quem vide.

tur a Platonis opinione aberrasse: Si non propria placita concinnare, sed consentientia Platonis sententiæ dicere sit propositum. Addit jam rationem pag. m. 490. ἡ μὲν ἐκ τῆς νοητικῆς καὶ τῆς ἀισθητικῆς ἐσιας λεγομενη μιξις, ἐ διασαφεῖαι πη ποτε ψυχης μαλλον. ἡ τῶν ἀλλων, ὁ, τι αν τις ἐιπῃ, γενεσις ἐςιν. ἀυλος τε γαρ ὁ κοσμος ἐλος, καὶ τῶν μερων ἑκαςον ἀυλε, συνεςηκεν ἐκ τε σωματικῆς ἐσιας καὶ νοητης. ὧν ἡ μεν ὑλην καὶ ὑποκειμενον, ἡ δε μορφην καὶ ἐιδος τῳ γενομενῳ παρεχε. Και τῆς μεν ὑλης το μεθοχη καὶ ἐικασια τε νοητε μορφωθεν ἐυθυς ἁπτον καὶ ὁρατον ἐςιν, ἡ ψυχη δε πασαν αἰσθησιν ἐκπεφευγεν. i. e. *quippe illa e mente comprehensibili & sensili natura mixtione, quam dicunt, non declaratur, qui animæ magis, quam aliarum quarumvis rerum sit procreatio. Nam cum ipse mundus, tum quælibet ejus pars, ex istis duabus constat naturis: quarum hæc materiam & subjectum, illa formam & speciem rei nascenti præbuit; & quicquid materiæ informatum est, participatione atque adsimilatione intelligibilis (sic enim liceat vocare eam, quæ sola mente percipitur) naturæ hoc statim consequitur, ut tangi viderique possit. Anima autem omnem sensum subterfugit.* Ex hoc loco Plutarchi patet, minime eum existimare, τα νοητα καὶ τα αἰσθητα in unam massam seu substantiam confundi, nedum Deum ipsum cum mundo misceri; sed hoc tantum vult *Plutarchus*, frustra Philosophos quosdam, naturam animæ mundi ejusque originem explicaturos, provocare ad commixtionem animæ & rei sensibilis. In omni enim definita corporum specie occurrere materiam & formam, quæ forma aliunde accesserit, re nimirum intelligente; animam autem mundi jam in confusa illa materiæ mole præexistisse; quæ postea latius exequitur. Pag. m. 635. expresse ait: *Qui vero materiam corpoream misceri cum individua volunt, errant. Primum in eo, quod nullo corporeæ materiæ nomine hoc utitur Plato: quam alias receptaculum, omnium rerum capacem & nutricem solet dicere, non circa corpora dividuam, sed ipsum corpus, quod in singularia dividatur. Deinde, quid intererit inter mundi & animæ procreationem, si utrumque ex materia & intelligibilibus est constitutum? Ipse quidem Plato, quasi abominans animæ ex corpore ortum, ait, intus in ea corporeum fuisse a Deo collocatum, forisque ab illa occultatum: cumque totam animam ratione absolvisset, deinde argumentum de materia proponit, qua ante, cum animam crearet, nihil opus habuerat, utpote sine materia natam.* Idem, ut notum est, pag. m. 630. *duplicem animam effingit*, ut causam inveniat turbulenti illius motus in materia prima. Adeo ut præter Deum habeamus duplicem animam una cum materia. Eas autem substantias in unum confusas,

nullibi

nullibi docet; adeo ut cætera, quæ in hac Sectione profert *Gundlingius*, *mera sint figmenta*, *nullo testimonio subnixa*. Sect. 83, denuo urget tria illa Principia *Platonis*, &, quocunque demum modo intelligam, putat, necessario inferri, Deum cum mundo unicam efficere substantiam. Non semel in superioribus de hac re dixi; dixi in *Platone* & *T. Locro* Deum describi tanquam Ens excellentissimum; νεν tanquam παραδειγμα æternum, & per se subsistens; animam mundi tanquam causam quandam ex divisibili & indivisibili temperatam, omnia tamen in mundo visibili pervadentem & fœcundantem, ejus autem originis vestigia certa in *Timæo* haud reperiri; recentiores autem Platonicos adserere, Ἐον νεν a Deo, animam mundi a secundo principio ortas esse, omnes autem propriam subsistentiam habere. Urget igitur D. G. & priorem & posteriorem sententiam. *Quod si igitur*, inquit, *proprietates unius Dei tantum hypostaticis nominibus sunt convestitæ*, *Deus unus erit in omnibus rebus*, *earumque ultimum complementum constituet*, *pervadetque omnia*, *velut materia Cartesii subtilissima*. Argumentum ergo *Gundlingii* huc redit: *Anima mundi & Deus unum idemque sunt: anima mundi omnia pervadit*, *atque cum mundo commiscetur: Ergo Deus etiam cum mundo commiscetur*. Nihil jam dicam de *majore propositione*. Supponam, illam veram esse. Omnis quæstio redibit ad *minorem*. Quæretur nimirum, utrum anima illa mundi, vel Deus cum mundo, unicam efficiat substantiam. Ad nauseam usque dixi, hanc propositionem non esse supponendam, sed probandam. Velim igitur præter dicta observari. Primo, apud *T. Locrum* & *Platonem* non solum describi materiæ in confusione jacentis statum, sed & *clarissime doceri*, astra, terram, solem &c. extitisse, vel antequam ulla mentio fit animæ mundi. Mentio etiam fit substantiarum intelligentium, quas anima mundi in corpora humana deduxit. Vide *T. Locrum* pag. 556. Erant igitur ante ministerium illud animæ mundi infinitæ jam substantiæ. Neque enim Sol, astra, terra &c. accidentia sunt. Quod si dicas, Deum hæc in ordinem digessisse, animam autem mundi unum cum Deo esse; tum velim mihi explicari verba T. Locri, quæ pagina jamjam citata ita sonant: *Jam vero post mundi constitutionem, mortalium animantium generationem molitus est Deus, ut ad imaginem illam perfectus plane esset atque absolutus. Humanam igitur animam ex iisdem rationibus atque potentiis temperatam atque divisam distribuebat, naturæ alteratrici hoc tributo Ministerio: quæ acceptis harum rerum mandatis ipsius Opificis quasi vicem obivit in mortalibus & diurnis animalibus effi-*

ciendis, quorum animas quasi per fluxum quendam instillabat. Hactenus T. Locrus. Si autem Deus idem est cum anima mundi, cur tam clare a se invicem distinguit Deum a Ministro illo Secundo? videamus autem distincte, utrum Deus cum mentibus, corporibus inanimatis, sese conjungens fiat unica tantum substantia. Quod mentes nostras attinet, dicuntur illæ circa astra fuisse vel antequam ab anima mundi in corpora deducebantur; erant igitur substantiæ: non enim potest accidens migrare de subjecto in subjectum. De *earum origine* ne verbo quidem meminit *Locrus.* Quomodo igitur fieri potest, ut mentes illæ, quamprimum Deus in illis operatur, subsistentiam suam propriam amittant? De hac re prorsus silet *Plato.* Corpora, antequam in ordinem redigerentur, Deusque ea elaboraret, erant sine dubio substantiæ. Rudis enim indigestaque moles non minus est substantia, quam pulcherrime fabrefactum corpus. Quemadmodum igitur prima Dei operatio in materiam non obstitit, quo minus ille a mundo secretus sit; ita pariter nec conservatio illius & gubernatio obstat, quo minus Deus & materia diversæ sint substantiæ. Quod corpora animata tandem spectat, certum est, ea vivere. Ita vivunt animalia, homines. Quæritur, utrum Deus immediate hoc efficiat, an vita illa a substantia intelligenti repetenda sit, an natura quædam plastica, corporibus inserta, hoc efficiat, an ex mechanicis hæc omnia legibus repetenda sint. Nullibi de his quæstionibus perspicue mentem suam aperuit *Plato.* Quando igitur vel maxime verum esset, Deum ire per omnes terras, tractusque maris, Deum vitam omnibus dare, nondum tamen pateret, quousque hoc extendendum sit. Deus ex nostro Systemate singulis momentis vitam meam conservat. Vox conservationis non est vocabulum sensu vacuum. Ipsius conservationis perseverantia, & constans effectus, nexum aliquem intercedere probat inter voluntatem Dei & vitæ meæ prorogationem. Deus ex sententia mea non est extensus, sed nobilissima mens, intelligendo, & volendo actuosa. Intellectus Dei res non producit, sed voluntas. Voluntate ergo Dei fit, ut vivam. Hæc voluntas non est nuda velleitas, sed voluntas cum potentia & effectu conjuncta. Quomodo autem probabitur, Deum, sive animam mundi, vitam omnibus largientem, unam cum hominibus & animalibus substantiam fieri? Quibus ex principiis hoc demonstrabitur? Num forsan adsunt testimonia meridiana luce clariora? Proferantur ergo; anima illa mundi vel Imperio Dei obnoxia, *Locro* tamen §. 48. dicitur δυσμικτος, difficulter suscipiens

piens mixtionem: & pag. seq. ἀν συνέλαξαλο ὁ Θεος, quam ipse Deus exornavit. Demonstrandum igitur est vel *testimoniis* vel *ex principiis Platonis*, Deum alia ratione se cum mundo conjungere non posse, quam per commixtionem & coalitionem in unam eandemque substantiam.

XXXV. Ostendimus hactenus, minorem propositionem non inferre id, quod contendit Illustris Vir. Sed nec major propositio probari potest. Quod si enim *Platonis* & Platonicorum Scripta diligenter evolvamus, clarissimum erit, non unum in divinis dari principium, sed tria diversa, gradibus perfectionis inter se distincta. Invenimus *Deum* των παντων Δημιεργον; τον νεν, seu æternum aliquod παραδειγμα rerum intellectualium; *animam mundi*, substantiam a primo & secundo diversam. Primum excellentius secundo, & secundum tertio; singula tamen *Platoni* Θεος. Quid autem ex hac sententia sequitur? *Tum*, inquit pag. 315. *Plato erit Tritheita.* Sit ergo *Tritheita Plato.* Ergo non est *Spinosista.* Qui enim tres per se subsistentes naturas agnoscit, non unicam dari substantiam fatetur. *Tu vero* (inquit,) *tandem fateri cogeris, tertium Deum esse conjunctum cum rebus omnibus, nisi simul & primus sit & secundus.* Imo vero fateor, animam mundi, tertiam illam substantiam, quam Θεον etiam adpellat *Plato*, omnia fœcundare, ire per omnes terras, tractusque maris, cœlumque profundum &c. num igitur probatum est, etiam Deum vel mentem idem præstare? Dedi enim, quod jubet D. G. pag. 316. cuique principio suam hypostasin. Deus, nobilissima mens, per se existit; νες per se existit; anima mundi omnia transiens per se existit. Deus ergo, seu mens prima, non est conjunctus cum materia; secundum principium non est conjunctum cum mundo; ergo restat tertia substantia anima mundi. *Optet* (ita pergit,) *sententiam quæ placet: det cuique principio suam hypostasin: adimat rursum, & ex tribus unum conficiat: omni a latere nil lucrabitur. Erit Deus in omnibus, & cum omnibus, sive mundi animum dicat, sive cum Spinoza Deum simpliciter nominet. Liberalitate Cl. Viri* usus sum. In priore argumentatione supposui, Deum & animam mundi unum idemque esse; neque tamen probatum esse vidi, Deum ideo cum mundo unicam fieri substantiam. Hoc in loco tria illa principia a se distincta esse posui. Probandum igitur est, primum & secundum principium etiam cum mundo conjungi, quando animam mundi materiæ aliqua ratione conjunctam concesserо. *Petitum*, inquit, *ut hæc singula probem distincte, inane est ac*

phantaſticum. Mihi vero illi deridendi videntur, qui non ſine ſupercilio *Dictatorum* inſtar quælibet effutiunt, & onus tamen probandi a ſe rejiciunt. Sine dubio vinceret *fortiſſimus Antagoniſta*, ſi tria illa principia *in unum conjungerem*, & poſtea *arctiſſime cum materia* copularem. Sed *teſtimoniis*, *teſtimoniis* inquam perſpicuis opus eſt ad utramque ſuppoſitionem probandam. In tranſitu heic mentionem faciam retorſionis, quam Sect. §4. a ſe amoliri conatur *D. Gundlingius.* Pag. 931. *diſſertat. meæ* inter alia contra ipſum hoc uſus ſum argumento: Si materia ex ſinu Dei expulſa fuit, & anima mundi ſubtiliſſima eſt materia, idemque cum primo & ſecundo principio, quod contendit *D. Vir*: tum falſiſſima eſt hypotheſis *Gundlingii*, quia argumentum plus probaret, quam probandum erat: probaret enim, in Syſtemate *Platonis* intellectuales ſubſtantias nullas dari, quod univerſæ philoſophiæ Platonicæ contrarium eſt. Hanc *argumentationem injuſtam eſſe*, ait, quoniam animam mundi materiæ Carteſii primæ *ſimilem* eſſe dixerit, non ipſam *materiam ſubtilem.* Et ut *immane* hoc *diſcrimen* capiam, ita ſeſe explicat *Humaniſſimus Vir* pag. 317. *Similitudo minime facit, ut comparatum cum re fiat illa ipſa res, ad quam componitur. Confertur naſus dilectæ Sponſæ a Solomone turri, quæ ſe extollit in monte Libanon: propterea vero naſus iſte, utut egregius, non eſt turris in Libanon. Puto me a te iri intellectum: nec naſum Sponſæ te commixturum eſſe cum turri.* Σοφως. *Elegantiſſimi Vir Ingenii* hæc dicere non potuiſſet, niſi in re tanti momenti ad *Sacras Literas provocaſſet.* Ad rem ipſam quod attinet, perinde eſt, utrum hoc argumentum admittat nec ne; neque enim illi innitor. Hoc tantum dicam, *me bis* in *diſſertat. mea* dixiſſe, *Cl. Virum* animam mundi materiæ ſubtiliſſimæ Carteſii *ſimilem* eſſe perhibere, *quod tacendum non fuit.* Interim fateor, me *nondum videre*, in quo peccaverim. Statuit, *a Deo & ex Deo omnia emanaſſe, effluxiſſe, materiam e ſinu Dei projectam, ubi emanatio ſit, ibi fluxum proprie dictum locum habere, adprobat ſententiam R. Simonii, adſerentis, veteres per intelligentias ſubſtantiam igneam intellexiſſe,* τἀγαθον *Platonis* (pag. 350.) *in igneam abire ſubſtantiam, mentes noſtras decerptas eſſe ex divinitate, & ex bis omnibus unicam fieri ſubſtantiam.* Neſcio igitur, ubi maneant ſubſtantiæ intelligentes. Et quod animam attinet, comparavit illam materiæ *ſubtiliſſimæ Carteſii*, vel *reſpectu corporis ſubtilis*, vel *reſpectu rapidiſſimæ agitationis*; quocunque ſenſu ſumat, *anima illa mundi corpus erit.* Si dicat, illam quaquaverſum rapidiſſime ruere, *mentem tamen eſſe a materia ſecretam*, tum fruſtra

toties

toties totiesque ad fluxum, ad separationem provocaret. Sed uti dixi; huic argumentationi non inhæreo, licet nihil, quod alicujus momenti sit, regerere possit *Doctissimus Vir*. Interim ut suspicionem a se amoliatur, Sect. 86. aperit, quid de animis & intelligentiis Platonicis sentiat; fatetur, eas esse divinæ naturæ consortes, decerpta animæ mundi, sive Dei; provocat ad quæstiones Platonicas *Plutarchi*, unde concludit, differentiam inter animam mundi, & inter Deum talem esse, qualis inter totum & partem. Proferamus autem locum *Plutarchi* integrum, uti de conclusione rite judicare possimus. Pag. 406. quæstionem illam proponit: Τι δη ποτε τον ἀνωτατω Θεον πατερα παντων καὶ ποιητην προσειπεν; —— ἡ διαφερει πατηρ τε ποιητȣ, καὶ γεννησεως γενεσις. ὡς γαρ το γεγεννημενον, καὶ γεγονεν, ȣ̓ μην ἀναπαλιν, ȣ̓τως ὁ γεννησας καὶ πεποιηκεν. ἐμψυχȣ γαρ γενεσις ἡ γενεσις ἐςι. Και ποιητȣ μεν, ὁιος ὁικοδομος, ἡ ὑφαντης, ἡ λυρας δημιȣργος, ἡ ἀνδριαντος, ἀπηλλακται το γενομενον ἐργον. ἡ δε ἀπο τȣ γεννησαντος ἀρχη καὶ δυναμις ἐγκεκραται τῳ τεκνωθεντι, καὶ συνεχει την φυσιν, ἀποσπασμα καὶ μοριον ȣ̓σαν τȣ τεκνωσαντος. ἐπει τοινυν ȣ̓ πεπλασμενοις ὁ κοσμος, ȣ̓δε συνηρμοσμενοις ποημασιν ἐοικεν, ἀλλ᾽ ἐςιν ἀυτῳ μοιρα πολλη ζωοτητος καὶ θειοτητος, ἡν ὁ Θεος ἐγκατεσπειρεν ἐφ᾽ ἑαυτȣ τη ὑλῃ καὶ κατεμιξεν, ἐικοτως ἁμα πατηρ τε τȣ κοσμȣ ζωȣ γεγονοτος, καὶ ποιητης ἐπονομαζεται. Τȣτων δε μαλιςα της Πλατωνος ἀποτομενων δοξης, ἐπιςησον εἰ κακει λεχθησεται πιθανως, ὁτι δυοιν ὀντων, ἐξ ὧν κοσμος συνεςηκε, σωματος καὶ ψυχης. Το μεν ȣ̓κ ἐγεννησε Θεος, ἀλλα της ὑλης παραςχομενης, ἐμορφωσε καὶ συνηρμοσε, περασιν ὁικειοις καὶ σχημασι δησας καὶ ὁρισας το ἀπειρον. ἡ δε ψυχη, νȣ μεταςχȣσα καὶ λογισμȣ καὶ ἁρμονιας, ȣ̓κ ἔργον ἐςι τȣ Θεȣ μονον, ἀλλα καὶ μερος. ȣ̓δ᾽ ὑπ᾽ ἀυτȣ, ἀλλ᾽ ἀπ᾽ ἀυτȣ καὶ ἐξ ἀυτȣ γεγονεν. i. e. *cur supremum Deum omnium Patrem & Opificem appellavit? —— aut interest aliquid inter Patrem ac Opificem, procreationem & ortum? Sicut enim quod procreatum est, id omnino etiam ortum est, non vicissim: ita qui genuit, is etiam fecit. Ortus enim animati, est procreatio. Tum Opus ab Opifice confectum, ut ædificatore, textore, lyræ fabro aut statuario, prorsus ab Authore suo abscedit. Vis autem & principium procreantis insita est progenies, ejusque continet naturam, portiuncula quædam a genitore avulsa. Quando itaque mundus non effictis aut compactis operibus similis est, sed magna ei inest pars vitæ atque divinitatis, quam a se Deus materiæ inseruit atque admiscuit: haud injuria juxta & Pater mundi, qui vivens extitit, & Opifex appellatur. Hæc cum maxime ad Platonis sententiam accedant, considera, an & hæc probabiliter dici possint. Cum mundus constet e duabus parti-*

partibus, corpore & anima; corpus quidem non genuit Deus, sed a materia exhibitam conformavit ac concinnavit, suis terminis ac figuris devinciens definiensque infinitum. Anima autem mentis, rationis, concentusque particeps, non opus modo, sed & pars Dei est, neque ab ipso facta, sed de ipso extitit. Ad hoc testimonium *Plutarchi* sequentia noto: Primum; explicationem vocis *Patris subtiliorem* videri quam *veriorem*. Innumera sunt *Græcorum & Latinorum* Poëtarum testimonia, in quibus Jovem omnium rerum *Parentem* dicunt, licet de generatione tali ne cogitaverint quidem. Imo si voci huic inhærendum esset, causam non viderem, cur ad corpora hæc generatio sese non extenderet. Secundo; quamvis multum tribuam Viro πυλυμαθεςατῳ, major tamen penes me est *auctoritas Platonis & T. Locri. Plato* in *Timæo & Locrus* ex professo originem rerum omnium describunt, hujus tamen emanationis animæ mundi ex Deo mentionem non faciunt. Nemo igitur mihi vitio vertere possit, si de explicatione Plutarchi, *Viri alias doctissimi & Platonicæ Philosophiæ peritissimi dubitarem.* Dicit *Plato* in Timæo, Deum animum in medio mundi collocasse, corpore circumdedisse, originem non pandit; imo verba adfert, quæ nullam ejusmodi suspicionem in nobis excitant: Τὴν δε δὴ ψυχὴν, inquit, ἐκ ὡς νυν ὑςεραν ἐπιχειρεμεν λεγειν, ὅτως ἐμηχανησατο καὶ Θεος νεωτεραν. i.e. *Sed animum haud ita, ut modo locuti sumus, molitus est posteriorem & juniorem.* Vox sane ἐμηχανησατο nullam *emanationem* denotat. Iterum: Ὁ δε Θεος καὶ γενεσει καὶ ἀρετῃ προτεραν καὶ πρεσβητεραν ψυχὴν σωματος ὡς δεσποτιν καὶ ἀρξυσαν ἀρξομενε συνεςησατο. i. e. *Deus autem & ortu & virtute antiquiorem genuit mundi animum, eumque ut Dominum & Imperantem obedienti præfecit corpori.* Provocat quidem *Cl. Vir* ad vocem γεννησας. Sed respondi jam dissertat. meæ pag. 947. voces γεννησας, ποιησας, τεκτηνεσθαι, μηχανεσας, δημιεργησας *frequenter & promiscue* quidem adhiberi a *Platone* in hoc negotio. Et ne videar solus pertinaciter huic meæ adsertioni inhærere, provoco ad *Ab. Gravium*, quem Sect. 28. *sententiæ suæ testem esse perhibet.* Is *Lib. III. Cap. XVIII.* pag. 569. ita de mundi anima loquitur: *Hæc vere mens omnia hactenus de animo dicta tuetur: Dei scilicet consilium fuisse, naturam perfectam formare, quam excellentissima virtute circumdaret exornaretque, ita ut quemadmodum & ipse divina sua virtute creasset naturam, ita & ipsa natura, velut Dea quædam, creatum illum ordinem atque potestati suæ relictum efficax gubernaret. Distinguens naturam, quam & improprie aliquando Deum vocat, a* Δημιεργῳ *sive Opifice Philosophus, ut in Philebo*

pag.

pag. 28. legere est non uno loco, nec separat naturam a Dei Imperio, aut æternam simpliciter constituit, sed naturæ vim mirabilem & constantem agnoscit, cujus nutu & imperio res singulares quotidie procreentur, ita ut inter omnes mutationes ipsa immobilis maneat. Nequaquam, inquam, eam naturam e rerum creatarum numero eximit; sed toties inculcat, eam esse a Deo factam & ejus esse ministram, nec non causam proprie, sed συναιτιον. *Neque veram ei Divinitatem, sed* ἐπισκευαζην *in Politico tribuit; quæ mens ejus e vocibus subinde* γενητα Θεα, γενητε, νεωτερα *& oppositis* τε ἀει, ἀυτοαει Θεα *&c. additis patescit, & ipse Timæus in Autographo Deum formæ & materiæ principium, naturæ auctorem vocat.* Ita *Gravius.* Tertio: Si *Plutarcho* concedam, eam esse sententiam *Platonis*, tum nihil aliud sequitur, quam hoc, intellectualem quandam substantiam a Deo & ex Deo ortam modo nobis hominibus imperscrutabili. Probandum, hanc animam dein cum mundo ita esse connexam & copulatam, ut unam eandemque cum mundo efficiat substantiam. In eadem Sectione *Plutarchus* haud obscure hoc ipsum negat. *Quivis nostrum*, inquit, *intus vitalem vim mortali ac dissolubili corpore continet. In mundo contra a principe parte, & semper eodem modo se habente, corporea perpetuo conservatur natura in medio sita. Et vero diversis modis sensile & sola mente perceptibile dicuntur individua esse, nullamque admittere partitionem. Illud ob exiguitatem, hoc ob simplicitatem ac sinceritatem, & quod omnis privationis expers est atque differentiæ. Quin & alioquin stolidum est corporeis rebus judicare de incorporeis velle.* Quarto: Verba illa Plutarchi *corpus non genuit Deus &c.* satis superque ostendunt, *Plutarchum adseruisse*, duo dari ex mente Platonis *æterna* & *per se subsistentia principia*; igitur non *una* tantum datur *substantia.*

XXXVI. *Cl. Vir* Sect. 88. & 89. *detorquet* sententiam meam, *ut habeat, quod exagitet & carpat. Cl. Viri* verba hæc sunt: *Quocunque te convertas, trinitas Platonis aut monstrum evadet, aut nominalis tantum Trinitas dicetur. Fac enim ideam a primo Ente diversam, tum omnes ideæ reliquæ ab idea & emanantes separatim existent, quod Aristoteles objecit Magistro, & absurditatem continet.* Respondi pag. 937. ita: *Supponamus, Platonem dixisse, ideas omnium rerum esse in Deo & quidem a Deo ipso, tanquam singulares quasdam substantias, distinctas. Num adeo monstrosa est hæc opinio? Quæritur itaque, utrum sententia de subsistentia* τε λογε *& idearum monstrosa & absurda sit.* Ille vero initio Sect. 88. ita ait: *Id vero penitus absurdum est, quod Apologeta* κατ' ἀνθρωπον *in me obvertit. Nam cum scripsissem, ambiguum videri, an Plato attributa*

ipsa

ipsa descripserit ὑποςατικως, *ac* λογος, ἰδεα, ψυχη, *designent tantum sapientiam, voluntatem ac potentiam divinam : quærit is, sit ne hæc opinio adeo monstrosa ? in quo, quam is* κρινομενον *ignoret, suo se indicio prodit.* Ita patet, quam *candide* mecum egerit *Vir Illustris.* Interim *dum carpit, docet.* In eadem enim Sectione *præclare monet*, attributa Dei esse ipsum Deum, potentiam Dei ipsum Deum ; sapientiam Dei ipsum Deum. Vix tamen hoc monuit, denuo *meam ignorantiam* circa ideas in apricum profert. Sect. 89. *E simili penu*, inquit, *venit, quod Apologeta de ideis foris dat. Mox etenim de ideis divinis nihil se intelligere, mox extra Dei intellectum eas positas facilius putat defendi, mox quomodo eadem res diversa ratione ita modificari possit, ut sit aliquando arbor, planta, anima, capi posse negat : ipse haud dubio inscius, quid loquatur scribatve.* Quamvis facile pati possim, ut alii me errasse dicant, *humanum* enim est *errare ; abjecti* tamen *animi* esse puto, ferre, ut quæ recte dicta sunt, *sine ratione in alienum sensum trahantur. Ei, qui pendet a rebus levissimis, (non mihi, non sapientiæ amanti) plausum immortalitatem, sibilum mortem videri necesse est.* Quæstio erat, utrum λογος attributum Dei sit, an vero substantia per se existens. *D. Vir* posterius negat ; inde enim sequi, ideas omnes per se existere, quod monstrosum & absurdum. Respondi, non adeo absurdam mihi videri hanc sententiam. Addidi pag. 937. dissertat meæ: *mea opinione ignoramus prorsus, quid sint ideæ, nedum uti, qua ratione in Deo esse possint, definire possimus. Necessario hæc mihi addenda videbantur, quandoquidem adeo absurda visa est singularium idearum subsistentia.* Dixi itaque in genere, mihi videri, nos ignorare, quid sint ideæ. Dixi insuper, illos, qui communem sententiam, nimirum omnes ideas in Deo esse *modificationes mentis divinæ*, defendunt, *forte, forte* inquam, iisdem difficultatibus involutos, ac illos, qui ideas extra mentem Dei existentes, Deo tamen ab ætero arctissime conjunctas tuentur. *Non igitur hanc sententiam probabiliorem priore esse dixi*, uti *contra mentem & aperta verba mea* hoc mihi *imputat.* Verum, est addidi : *perspicere me non posse, qua ratione divina & nobilissima mens ita modificari possit, ut arborem, piscem &c. referat.* Existimavi hactenus, omnes nostras de ideis Dei ratiocinationes niti analogia, quam instituimus cum ideis mentis nostræ. Duæ autem sunt præcipue (cæteras jam non moror) Philosophorum de idearum natura sententiæ. Quidam putant, ideas esse modificationes mentis nostræ : alii, ut *Lockius, Clericus*, eas a mente distingunt, dicuntque, eas esse immediatum contemplationis nostræ objectum;

ctum; interim nos, quid sint, nescire. Argumenta utriusque partis non referam. Transferamus hæc ad Deum. Aut ideæ Dei sunt perfectissimæ mentis modificationes; aut aliquid ab Essentia Dei remotum, sed quod Deus ab æterno jugiter contempletur. Si prius, vellem mihi modum ostendi, qua ratione mens nobilissima ita modificari (liceat sermone Scholasticorum uti) possit, ut plantam, animal quoddam, referat. *Non nego*, in Deo esse, seu Deum ideas omnium rerum, etiam corporearum, habere; *neque absurdam esse illorum*, qui hæc profitentur, *sententiam*; sed *hoc tantum*, *absurdiorem* esse illam *materiam*, quam ut *distincte explicari possit*. Si vero extra Deum sunt, & contemplationis divinæ objectum sunt, atque per se existunt, quid sint, & quomodo æternæ esse dici possint, nemo perspexerit. Quod si tamen *subtilissimus Vir* majorem lucem huic argumento adferre possit, quam hactenus *Arnaldus*, *Malebranche*, *Lockius* attulerunt, quammaxime sibi devinciet *Orbem Eruditum*. Si autem, quid sint ideæ, ignoramus, neque definire possumus, utrum in mente nostra sint, an extra mentem, existumo etiam de ideis Dei certi nihil adferri posse, atque adeo *majori argumentorum robore opus esse* ad probandum, *sententiam* illorum, quid ideas per se subsistentes tuentur, *monstrosam esse*. Hæc addenda erant, ut Lector sentiat, quo jure *D. G.* adferat, absurde doctrinam de ideis ad hoc argumentum tractam esse. Interim perseverat in opinione sua, nimirum του λογου *Platonis* nonnisi abstractione mentis a Deo & anima mundi distingui, atque adeo ipsum Deum cum omnibus substantiis mundi sese conjungere. De quo, ut verbum addamus, necesse non est. Verbo tantum meminisse juvat eorum, quæ de *Cudworthi* sententia dixeram. Statuit ille cum *Proclo duplicem animam mundi*, quarum *una* nihil commercii habeat cum rebus terrestribus, *altera* vero omnia pervadat corpora. Contendit *Cl. Gundlingius*, quod si vel maxime vera esset *Cudworthi* sententia, nihilominus tamen systema *Platonis* iisdem implicitum fore difficultatibus, quia anima illa superior etiam ex Dei essentia emanaverit. Ad hæc respondi p. 940. dissert. meæ sequentia. *Cudworthi opinionem tueri nolo*, *quamvis*, *si Veterum testimoniis probari posset existentia duplicis illius animæ*, *non adeo in angustias conjectum putem Cudworthum*, *uti quidem existimat Cl. Gundling.* Hæc mea verba Sect. XC. ita Interpretatur; *putat is*, *Cudworthum non adeo fore spernendum*, *si sua e Platonis voluminibus probasset. Quod idem est*, *ac si dicerem*, *Zimmermannum victoriam reportaturum*, *nisi in proba-*

tione defecerit. Mirum non est, *plerosque ab Eristicis Scriptis legendis abhorrere: paucissimi enim disputantium candide adversariorum sententias in medium proferunt. Gundlingius* dicit: *Cudworthum, etiamsi probasset* duplicis illius animæ existentiam, *Platonem tamen* ab Atheismo liberare non posse. Ego: si probare posset existentiam testimoniis veterum, in tantas angustias conjectum haud fore. Num autem *hoc idem* est ac dicere, *Cudworthum* victoriam reportaturum, nisi in probatione defecerit, cum vel allatis veterum testimoniis nil tamen lucrari *Cudworthum* supponat *D. G.* (*) *Socratem*, quem *D. Gundlingius* æque ac *Platonem* Sect. 91. *Atheismi* postulat, defendere nolo. Dudum enim *summi Viri* innocentiam hac in parte demonstrarunt *doctissimi Viri.* Exspectabo, quæ de *Theologia hujus Viri* in medium prolaturus sit *Gundlingius.* Dixi quædam huc facientia *in dissertat. de præstantia Religionis Christianæ collatæ cum Philosophia Socratis.*

XXXVII. *Cl. Vir* Sect. CXII. conqueritur, me hinc inde *evagari*, & committere *vitium ratiocinationis*, *quod Logici vocant ignorationem* τε ἐλεγχε. Videamus de utroque. Cl. Vir dixerat, τον λογον ex mente *Platonis* a Deo ipso non diversum. Respondi, *Eruditissimos Viros* ad hucdum dissentire, utrum λογος *Platonis* sit substantia per se existens atque æterna, an vero attributum tantum Dei. Concluси inde, non posse *Gundlingium* sententiam eorum, qui ideam a Deo ipso non separant, tanquam certam supponere, & in præsidium causæ suæ trahere. *Num hic evagatus sum? Nescire nos pergit,* (ita loquitur D. G.) *quæ sit cogitatio divina; eoque recentiorum quorundam opinionem refellit, qui ideas Dei ab ejus natura non putant distinctas: siquidem refellendi vocula congruat inaniter ratiocinanti. Nam eos putat hoc argumento in fugam dari, quod triangulus, de quo Deus cogitat, ad essentiam ejus pertinere minime possit.* Exemplum de Triangulo attulli pag. 955. non vero 936. & ibi de alia re sermo est. Ibi enim quæritur, quomodo anima mundi, aliquid Deo imperfectius, a Deo tamen oriri possit. Dixi, probandum esse, Deum in infinita sua natura nil complecti posse, quam quod ad Essentiam perfectissimam necessario pertineat. Addidi,

(*) De duplici anima mundi, quam post Juniores Platonicos finxit *Cudworthus*, vide erudite differentem Cl. *Moshemium* ad *Cudworth. Tom. I. pag. 680.* seq. negat ille Platonem duplicem ejusmodi animam admisisse, causasque ostendit, cur Platonici in hanc sententiam descenderint; interim nobiscum consentit, illam animam mundi non ejusdem cum Deo naturæ esse; sed illam a Deo progeneratam, Imperioque Dei subjectam esse.

didi hæc verba: *Communiter Philosophi omnium rerum ideas in Deo esse ajunt, eas esse æternas & immutabiles, sed tamen a Deo non distinctas, continebit igitur Deus in se aliquid, quod ad perfectissimam ejus essentiam aliquatenus non pertinet. Deus quidem perfectissime cogitat & agit. Sed si ideæ illæ sunt aliquid non nihil, cogitatio Dei, quatenus rem imperfectam refert, v. gr. triangulum, eo ipso necessario ad essentiam Dei non pertinebit.* Hæc autem *non attulli* ad sententiam illorum, qui ideas Dei ab ipso Deo non separant, *refellendam*, sed ut pateat, non adeo absurdam esse eorum sententiam, qui putant, aliquid in Deo esse posse, quod ad perfectissimam tamen naturam necessario non pertineat. Interim patet simul, inde a pag. 936. ad pag. 955. saltum feciſſe *Cl. Virum. Forte hoc est evagari?* Sed veniamus ad rem, & audiamus, qua ratione *D. G.* probaverit, me ignorantiam τὰ ἐλεγχα commisisse. *Ignorat*, inquit, *hodiernos Philosophos id solum velle, cogitationem Dei esse ipsum Deum, ceu supra scripsimus de potentia ejus. Istud vero, quod Dei potentia producitur, nemo unquam divinæ naturæ adglutinavit. Itaque exemplum trianguli vane adducitur. Quantum est, quod ignoramus!* Quæritur, utrum *nostro concipiendo modo* aliquid in Deo esse possit, quod ad perfectissimam essentiam Dei non pertineat. Dixi, modernorum judicio omnium rerum ideas in Deo esse. Videri autem, hanc vel illam singularem ideam, seu divinæ mentis modificationem, ad essentiam Dei non pertinere: quandoquidem perfectissima Essentia Dei sine hac vel illa idea concipi potest. Non igitur quæritur de cogitatione Dei in genere, quatenus Deum tanquam substantiam perfectissime cogitantem consideramus; sed de hac vel illa singulari modificatione mentis divinæ. Neque etiam quæritur, utrum hæc vel illa res singularis a Deo producta ad essentiam Dei pertineat, quod nemo sanus unquam credidit; sed utrum repræsentatio illa sive idea, v. gr. trianguli, ad essentiam divinam constituendam necessario requiratur. *Res objectæ*, inquit, *de quibus Deus cogitat eminenti modo, non pertinent ad ejus naturam & vim, sed cogitatio divina in genere est, veluti reliqua ejus attributa, ipse Deus. Sed nec hic quæstionis statum intelligere vult Gundlingius. Non enim quæritur de objectis extra Deum existentibus, sed de ideis seu repræsentationibus illis*, quæ res singulares referunt. Nemo non novit, Leonem non pertinere ad naturam Dei, licet ipsius Leonis ideam habeat Deus. Quæritur duntaxat, utrum idea Leonis æque necessario ad perfectissimam Dei naturam pertineat, ac pertinet infinitus intel-

tellectus, aliaque attributa, sine quibus Deus ne quidem concipi potest. Rem exemplo, ut non possim non intelligi, illustrabo. Cogito jam de *D. Gundlingio:* hæc cogitatio, quæ animæ meæ obversatur, dicitur idea. Idea hæc est modificatio quædam mentis meæ, (ex horum enim sententia hic loquimur.) Hæc autem cogitatio in specie ad naturam mentis meæ non pertinet. Licet enim *D. Gundlingium* existere nunquam cogitassem, nihilominus tamen habuisset mens mea facultatem intelligendi. Cogitatio autem in genere, sive attributum essentiale mentis nil distincti refert. Transferamus hæc ad Deum. Deus est nobilissima mens: inter attributa ejus est perfectissimus Intellectus: ejus intelligendi rationem ad analogiam mentis nostræ referimus: dicimus, Deum omnium rerum ideas habere: quumque aliunde sciamus, eas nec per sensus, nec per reflexionem ortas esse, dicimus, eas in Deo semper existere. Deus igitur habet, ut omnium rerum ideas, sic in specie etiam *Gundlingii*. Quæritur itaque, non utrum perfectissimus intellectus ad naturam Dei pertineat, neque an Deus rerum singularum, ita & *Gundlingii* ideam habeat; sed utrum singillatim idea *Gundlingii* ita necessario ad perfectissimam Dei essentiam pertineat, ut hoc negato Deus non sit Deus, seu perfectissima mens. Sed *majus* profert. *D. G. ignorantiæ meæ specimen p. 332. Sic imperite*, inquit, *idem de idearum æternitate rationes init, quam prorsus negat, nisi omnes ideæ in singulari ad Dei essentiam referantur. Nunquam enim bene perpendit, quid intelligant Philosophi nostri ævi, ideas rerum æternas & immutabiles pronuntiantes. Neque enim male docent, ideæ Leonis qui statuunt æternam; sed absurde inferrent; ergo Leo est æternus, ergo est essentiæ divinæ, aut Dei de Leone cogitantis portio. Gratias ago* quantum possum maximas *subtilissimo Viro, quod me edocuerit*, quid sibi velint Philosophi, quando dicunt, essentias rerum esse æternas: *gratias ago*, quod *Exemplum adduxerit*, quo res illa illustratur, ostendendo in specie ideam leonis & leonem ipsum quammaxime differre, neque sequi, æternum esse leonem, quia idea leonis æterna. Interim vellem, ut *D. Vir* locum ostendisset, in quo idearum divinarum æternitatem in dubium revocaverim. Tria de hac materia dixi. *Primum* est, difficile conceptu esse, quomodo hæc vel illa singularis idea, quæ in Deo esse dicitur ab æterno, *æque NB. necessario* ad Essentiam Dei pertineat, ac perfectissimus intellectus. *Secundum*, cum ideæ rerum corporearum in Deo sint, difficulter intelligi posse, quomodo mens divina ita modificari possit, ut arborem, piscem &c. referat. Quomodo mens nostra

rerum

rerum corporearum ideas habeat, nemo explicare poterit, multo minus igitur certi quicquam definire licet in rebus divinis. *Tertium* ita expressi p. 955. *Si ideæ illæ sunt immediatum contemplationis Dei objectum, in Deo quidem non existentes, Deo tamen tanquam mundus aliquis intelligibilis conjunctæ, haud facile concipere possumus, & quid sint, & quomodo æternæ esse possint, nec tamen ad essentiam Dei pertinere. Nox negavi igitur æternitatem idearum, ut earum immutabilitatem,* sed ratiocinatus sum partim *ex opinione eorum*, qui ideas *modificationes mentis nostræ* esse putant: partim eorum, qui *extra mentem eas esse dicunt*; concludendo, ex utraque sententia sequi, nos nescire, quomodo ideæ in Deo esse possint, imprimis rerum corporearum, & quomodo, tanquam divinæ mentis modificationes, res singulares referre, & tamen ad perfectissimam essentiam Dei necessario pertinere dici possint. Hæc non tanquam *propositiones mathematicæ evidentiæ proposui*; sed dubitanter tantum, eumque in finem, ut ostenderem, quammaxime debilem esse cognitionem nostram de ideis divinis, neque *Platonis* sententiam adeo monstrosam esse, uti quidem putavit *D. G.* Utrum autem *Platoni* ejusmodi ideas per se subsistentes dari crediderit, alia est quæstio, quæ perspicuis testimoniis probari debet. *Cl. Vir non tam stolidum* (ita enim loquitur p. 333.) *Platonem fuisse* putat, *ut crediderit ideas per se subsistentes; & licet J. Thomasius centum loca adferret, quibus hoc probaret, se sexcenta in contrarium allaturum.* Nimirum ita *sapiens fuit Plato, ut ideas res per se subsistentes* esse, credere non potuerit; sed tamen *ita desipere*, ut omnes *creaturas, plantas, arbores, feles, canes, lapides &c. divinæ essentiæ partes esse crediderit*, imo omnes hujus *mundi partes simul sumtas Deum*, unicam illam substantiam, absolvere; quæ *Spinozæ*, & *Platonis* etiam, si *Gundlingio* credimus, sententia fuit. Quodsi interim *sex* perspicua loca *sexcentorum loco D. Gundling.* allaturus est, quibus probetur, *Platonem* λογον, & ideas per se subsistentes substantias non credidisse, locaque in contrarium allata solverit, tum in posterum cum eo firmissime credam, τον λογον & ideas ab ipso Deo ex mente *Platonis* non differre.

XXXVIII. Sequitur jam *maximum ignorantiæ meæ indicium*, adeo ut tandem cum *uxore illa Terentiana* mihi exclamandum sit:

— — *Nunc hoc te obsecro,*
Ut meæ stultitiæ in justitia tua sit aliquid præsidii:

Pag. enim 334. ita ait *Vir summus: Emanationem is admittere detrectat, creationem non audet subjicere; igitur hæsitat, & tandem ad modum incomprehensibilem saltu insolito sese transfert. Quid si concedamus*, inquit, p. 954. *non minus Platonem, quam nos ignorare, qua ratione imperfectius quid, quale est anima mundi, ex Deo emanare possit. In quo se admodum deridendum propinat Apologeta.* Cum disputatio sit de origine trium illorum principiorum *Platonis*, concessi gradationem quandam locum habere in principiis illis tribus. Primum esse τον παντων Δημιεργον, secundum τον λογον, tertium *animam mundi. Platonici Juniores* plerumque asserunt, secundum a primo, tertium a secundo ortum esse. Dixi, in *Timæo Platonis* & *Locro*, ubi sedes præcipua hujus argumenti est, assertum hoc de trium principiorum emanatione nullibi perspicue definiri; concessurum me tantisper liberaliter hoc assertum, & visurum, utrum ea absurdorum portenta inde emersura sint, qualia necessario inde deduci posse putat *D. G. Fundamenti* loco posui, tria illa principia esse substantias intelligentes, a materia alienas, adeo, ut in illa emanatione omnis partium compositio & secretio separanda sit: hoc supposito dixi, etiamsi a mente divina anima mundi emanasset, nondum tamen inde sequi absurda illa consectaria: addidi dein illa verba jamjam adducta; quid si concedamus, non minus nos quam *Platonem* ignorare &c. Hoc vocat *Cl. Doctor Illepidum & risu dignum assertum.* Quare tandem? *Quia*, inquit, *loquitur de illis progressionibus, tanquam ipse omnia sciret, & creationi omnium rerum interfuisset; igitur ad ignorantiam Platonis confugere me non posse.* Hoc illud est, cur risum non teneant amici. Non jam dicam, *Cl. Gundlingium* perspicua loca e *Platone*, *Platone* inquam, non attulisse, quibus suam sententiam probaret; annon potuit Plato aliquid statuere & garrire, quod ipsemet tamen explicare non potuit? quot sunt, qui transsubstantiationem defendunt, neque tamen monstrosam propositionem explicant? Num confidentia, qua quidam, etiam Philosophi, sua decreta proferunt, signum est, eos recte ratiocinari? Si Systema *Spinozæ* defendit *Plato*, uti existimat *D. Vir*, num explicare poterit modum, secundum quem omnia certo numero, pondere, & mensura condita sunt? Debuisset sine dubio *Plato* modestius loqui, atque tacere de iis, quæ ignorabat; sed cum hoc factum non sit, & eum de rebus obscuris locutum esse, in aprico sit, nemo a me postulare potest, ut explicem, quod ipsemet ignoravit. Licet enim *Philosophus* & *Polybistor* etiam, si antiquis credimus, fuerit, hoc tamen non impedit, quo minus multa ignoraverit, de quibus

bus tamen, ut sapere videretur, loqui voluit. Verissimum enim est sæpe illud *Ingeniosissimi Moth. Vayerii dictum : Dans ce grand Hôpital des incurables, il n'y a point de plus foux, que ceux, qui veulent guerir les autres.* Sed pergit *Illustris Vir : Quin magis adhuc inficetum videtur, dum probationem exigit, Deum in infinita sua essentia nihil complecti posse, quam quod ad ejus essentiam necessario pertineat. Probandum enim foret, Deum non esse compositum. Quod si id serio postulet, næ in philosophia æque ac Theologia tenuissimos fecisse profectus videbitur. Unde sequentia : quis scit, utrum Deus ab æterno voluerit, ut simul in se, modo nobis homuncionibus imperveſtigabili, existant substantiæ quædam intelligentes, demum suo tempore ex Deo prodituræ non quidem uti partes Dei emanantes, quibus tamen emissis, Deus non minus perfectus esset, quam antea? majorem adhuc vanitatem, an inscitiam dicam, arguunt.* Velim *Lectorem* observare, me egisse de tribus intellectualibus principiis *Platonis*, præcipue vero de anima mundi. Ut quam *inficeta sit assertio mea*, quam non *instar Doctoris, sed dubitanter & conjiciendo tantum*, proposui, velim sequentia observari. Primum est; *hæc ad controversiæ nostræ summam haud pertinere;* quæritur, utrum ex sententia *Platonis* unica tantum detur substantia, quæ Deus sit. Ostendi, materiam esse per se subsistentem & æternam, neque ullo vinculo necessario cum Deo connexam. Secundum; dixi, juniores præcipue Platonicos adserere, tria illa principia a se invicem orta; perspicua tamen hujus rei testimonia in *Platone* & *Locro* non observari. Tertium; illam ipsam *emanationem* ex Deo ita *comparatam*, ut omnem *partium separationem*, quæ in corporibus tantum locum habet, *excludat. Quartum*; nos naturam rerum Spiritualium *obscurissime* tantum nosse, proprietates quasdam mentis nostræ nobis cognitas, cætera omnia ἀδηλα esse; debilem præprimis esse nostram cognitionem de *natura Dei*, quæ *infinita* & inenarrabilis est. Non possum sine dubio *testem invenire* ad hoc probandum *meliorem ipso Gundlingio.* Is autem *Gundlingianorum* parte 14. pug. 327. & seq. ita de hac re loquitur: *Homo finitus est, Deus infinitus: ratio arctis terminis circumscripta, Deus nulli termino inclusus. Et pugnant tamen illi, & omnem movent lapidem, & tuentur omni modo, Deum posse comprehendi. Quomodo? Fac videam. An ratione, an imaginatione? Quicquid intelligimus finitum est; quicquid imaginamur finitum est, divisibile in partes magnitudine præditum finita. Quo ruis Luci? an capis infinitam vim, infinitam potentiam, infinitum tempus? Sin minus, cur insultas mortuo Leoni, cur vellis barbam? Audi, in Deo concipimus æternum nihil.*

Putas

Putas te aliquid percipere, percipis nihil (quibus tamen verbis pag. seq. in notis substituere jubet hæc: *nos in Deo nihil concipere positive, aut quid sit Deus specialiter & perfecte atque integre.) Omnis Theologia naturalis, quam jactas, in demonstrationibus de Dei existentia subsistit. Cribro aquam hauriunt, qui ulterius se proripiunt, & in vias Scholasticorum perfectionis & negationis se recipiunt. Quid sentis, quæso, cum ais, Deum esse immortalem, falli nescium, corruptionis omnis expertem? num tibi propterea essentia ejus nota? Si scio, te non esse Bucephalum, non Hippocentaurum, non Chamæleontem, non Elephantem, non Cajum, non Titium, an exinde scio, te esse Paulum? Et si hoc cognosam, quid est tandem, quod te constituat Paulum? an hæcceitas, illeitas, isteitas? An forte Pauleitas? Nolo cruentis Realium & nominalium misceri pugnis.* Profiteor, NB. *me nihil de Dei essentia nosse; vocabula sunt, quibus ludimus, termini meri, quibus fruimur. Eadem superlativorum ratio est. Hi propterea adhibentur, quia per partes non cognoscimus, quod volumus cognoscere.* Hactenus *Gundlingius.* Quis autem unquam confidentius de hac re locutus est? Et tamen *ridiculum & inficetum* est, quando *ego dixi*, & quidem *conjectando tantum*, posse in inenarrabili natura Dei aliquid concipi, quod ad essentiam ipsius necessario non pertineat. *Quintum;* Deus potest, quicquid nullam repugnantiam involvit; seu quicquid nos tanquam possibile concipere possumus. *Sextum;* ut *æternitas* Dei, ita *infinitas ejus natura* nobis est parum cognita; absorbetur quasi mens contemplatione infinitæ & æternæ ejus naturæ. *Septimum;* quicquid existit præter Deum, non necessario existit, sed voluntate ejus omnipotentissima. *Octavum;* Deus potest ab æterno velle, ut existat aliquid præter se, natura sua imperfectius. *Nonum;* per mundum intelligo non solum omnia corpora simul sumta, sed & omne spatium. *Decimum;* Deus potest ab æterno velle, ut existant quædam intellectuales substantiæ, quæ cum nec locum, nec spatium requirant, & mundus demum in tempore conditus sit, sine confusione aut loci repletione sunt, ubicunque sunt. *Undecimum;* Deus ergo velle potest, ut ab æterno in infinita & inenarrabili substantia, modo nobis homuncionibus imperscrutabili, existant intellectuales quædam substantiæ voluntate sua productæ, & prorsus ab ipso diversæ. *Duodecimum;* potuit igitur & animam mundi in se continere, & demum suo tempore aliis vestitam proprietatibus mundo præficere. *Decimum tertium;* hæc anima mundi, uti clarissime ex *Timæo* & *Locro* patet, imperio Dei submittitur, & tanquam substantia a DEO distincta consideratur: potuit

tuit igitur etiam a Deo ab omni æternitate habere suam originem, neque tamen cum Deo Unum esse. Ostendendum ergo *Cl. Viro*, hanc æternam substantiarum intelligentium subsistentiam, *meram involvere contradictionem.* Hæc tamen non *eo animo* dico, ac si *mentem illam adfingam* Platoni, *aut* omnia hæc *animo illius* obversata, minime omnium quasi *credam*, *e modo res in Deo revera subsitisse.* Hoc *tantum volo*, cum Plato tria principia agnoverit, gradibus perfectionis inter se distincta, neque tamen *perspicue*, qua ratione hæc orta putet, definiverit, *subsistendum* hactenus esse, neque *absurdas consequentias* inde deducendas. Cum autem *Cl. Vir* ex concessis Platonicorum principiis ad *absurdum* argumentetur, existumans, hæc omnia per emanationem proprie dictam facta, adeoque naturam divinam in partes esse scissam, atque cum materia copulatam, neque modum aliquem concipi posse, quomodo divinum a divino oriri possit, dixi, nos debilem & quammaxime inadæquatam de Dei infinita natura habere cognitionem; *neminem apodictice demonstrare posse*, nil in Deo esse posse, quam quod ad perfectissimam naturam necessario pertineat; ex æterno illius Naturæ abysso quasdam intellectuales substantias oriri posse sine detrimento naturæ divinæ. Hæc omnia *dubitanter* tantum, ut *modestum decet*, proposui. Si quando enim *suspenso gradu* in ratiocinando procedendum est, tum maxime id fieri debet, cum de *natura Dei infinita & ejus attributis* sermo est. Videamus tamen, quomodo modestam illam meam conjecturam *absurditatis* convincat. Pag. 335. ait: *Aut Deus continet illas substantias tanquam a se distinctas, & aliunde vitam ac naturam suam indeptas, aut a se vita, ratione & motu animatas. Si prius, a Deo non omnia sunt producta, quod absurdum. Sin posterius, Deo similia sunt, atque ex eo, qui continet, & prodierunt, & sunt, & in eo consistunt, atque aliquando in lucem emittuntur.* Ita *subtilissimus Gundlingius.* De priore propositione sermo non est, sed de posteriore: probare igitur debuisset, posteriorem contradictionem involvere. Sed nil probat, nisi hoc, Deo ita similes fore illas substantias intellectuales. Similes sunt, quatenus sunt substantiæ intellectuales, sed non sunt ex essentia divina ortæ, sed, ut supposui, Dei voluntate productæ; *ex eo* igitur non *ortæ*, sed *per eum*, *voluntatem nimirum divinam*, quæ causa esset existentiæ eorum & essentiæ. Hoc postremum, inquit, quanquam absurdum sit, multo tolerabilius tamen videtur, quam primum, *oppido crassum commentum*: *Deum in se complecti substantias per se & a se existentes.* Hæc nunquam mihi *in mentem* venerunt, & *figmentum est*

Gundlingii. Aperte dixi, quæri, utrum Deus *voluerit, ut existant &c.* Ita cum *magna minatur Excellentissimus Vir, extricat tamen nihil.*

XXXIX. Pergamus ad Sect. 94. dissertat. meæ: pag. 955. ita locutus sum. *Nos Christiani credimus S. S. Trinitatem non nominalem, sed quæ aliquid distincti involvat; dicimus, filium esse a Patre ab æterno, & cum eo. Spiritum Sanctum procedere ab utroque, æque tamen æternum & perfectissimum esse; quis autem modum hujus distinctionis explicet?* Probare hoc exemplo volui, adeo naturam Dei nobis perspectam non esse, ut quamlibet distinctionem & emanationem in Deo impossibilem dicere liceat. Quid ad hæc *Excellentissimus Gundlingius? In quo quam sit simplex*, (& talis sum sensu latinissimo) *rursum apparet dilucide. Recte enim atque integre adfirmatur, Filium esse Deum, Spiritum S. esse Deum; ac sola hypostasis distinctionem efficit.* Ego vero non dixi, in quo distinctio illa sita sit; ignoro enim, ut verum fatear, quomodo *Pater, Filius & Spiritus S. inter se* distinguantur; distinctionem tamen aliquam intercedere, nos dubitare non sinunt *oracula divina*, quibus merito adsentimur, licet modum non explicent. Firmissime interim persuasus sum, *doctissimum Gundlingium nescire*, quam potestatem habeat hoc in loco vox ὑποστασις. Denotat enim aliquando substantiam. At tres substantias a se diversas non habemus. Si dicat, illam denotare subsistentiam, tum distincte explicare non potest, utrum hæc diversitas ὑποστασεως sit solius rationis, an realis inter substantiam & substantiam, substantiam & proprietates, proprietates & proprietates & modos. Verbo, dicimus in Deo esse tres *personas*, neque tamen distincte, quid sint personæ, definire possumus: aut si definimus, ad hoc mysterium explanandum nullo modo transferre possumus. Voce igitur ὑποστασεως nil aliud voluit, quam distinctionem aliquam in Deo locum habere. Idem ego asserui. Sola differentia in eo posita est, quod ego *ingenue fassus sum, distinctionem illam mihi prorsus ignotam esse. Ille vero, ut ignorantiam tegeret suam, adhibuit vocem* ὑποστασιν. *An tu vero*, inquit, *enuntiabis sine pudore, aves esse Deum, lupum, arborem aliaque animalia?* Ubinam gentium sumus? quæstio est de tribus principiis, (liceat ob rei impenetrabilem naturam hac voce uti,) quæritur, utrum distinctio quædam in Deo locum habeat, & ille me interrogat, utrum credam, aves &c. esse Deum. An ego omnes creaturas hypostasi tantum seu modo subsistendi inter se distinctas esse dixi? an ullibi adfirmavi, talem esse in rebus Creatis distinctionem, qualis in divinis locum habet? *Odi consequentiarum fabricatores*

&

& arceo. An sola hypostasi (ita me interrogat summus Vir) *Elephas, Paulus, Petrus & J. Zimmermannus differunt?* Respondeo: aliud est, *Excellentissime Doctor*, cum de substantiis creatis loquimur, aliud cum de Deo loquimur. Sine dubio *Wolfius, Gundlingius* & *Leibnizius differunt, tanquam tres substantiæ per se subsistentes, diversissimis proprietatibus distinctæ, non solum a se invicem, sed & a Deo.* Sed talis distinctio, realis quammaxime & substantialis, in divinis locum non habet; neque vox illa tua ὑποςασις distinctionis modum patefacit. Cum Platonici tres ὑποςασεις ἀρχικας esse dixerunt, tres substantias gradibus perfectionis distinctas intellexerunt; talis autem non est in Trinitate Christianorum. Sed *mysterium hoc est*, inquis. Imo vero, quis negat? sed hoc *mysterium non est*, si dicam, in inenarrabili natura Dei dari *aliquam distinctionem*, licet distinctionis illius *modum* ignorem. Loquuntur Christiani de *æterna quadam generatione* filii, & *processione Sp. S.* nemo tamen hactenus hoc explicuit, quia *mysterium* est. Hæc *generatio* tamen, hæc *processio*, nullam *contradictionem*, *nullam alterationem aut partium divisionem* in Deo efficit. Annon inde sequitur, etiam sensu Christianorum in infinita Dei natura dari *aliquam distinctionem*, & varietatem, ut ita dicam? Quando vero *D. Vir* ait: *Ego vero cum aliis me acutioribus maxime perspicue cognosco, divinum seu Deum non solum sustentaculum rerum sensilium non esse, sed & ab intelligentibus rebus omnibus consistere separatum & natura & ὑποςασει*: prorsus me habet consentientem. Quando enim haud impossibile esse adserui, ut in infinita Dei natura quædam substantiæ intelligentes subsistant, manifestissime supposui, *eas a Deo productas & ab eodem distinctissimas esse. Ac sicuti* (ita pergit D. G.) *vero immanis error est, Christum dicere creatum, non generatum; ita non minor est insipientia, omnia adfirmare generata, cum generatio contineat emanationem, emanatio inducat similitudinem rationem naturæ omnimodam.* Loquimur jam de mysterio S. S. Trinitatis; filius dicitur ab æterno generatus. Sed cum ita loquimur, difficulter, quam potestatem habeat vocabulum generare, explicare possumus. Nullum enim est in rebus humanis exemplum, quo hæc explicare possimus. Sufficit, quod omnem, quæ in rebus humanis circa generationem occurrit, imperfectionem removeamus. Alio vero sensu hoc vocabulum sumimus, cum de rebus humanis sermo est. Ad nauseam dixi, *Platonem*, quando mundum γεννατον dixit, non intelligere emanationem ex divina essentia, sed productionem, exornationem. Neque *ullo argumento probavit D. G.* mundum ex mente *Platonis*

tonis, vel materiam, e sinu Dei ejectam. Cum autem idem *Plato* de tribus principiis loquatur, & aliquam gradationem in iis locum habere adserat, licet quid sibi velit minime explicet, tantisper judicium cohibendum esse puto, usquedum naturam Dei, & sententiam Platonis *magnus aliquis Doctor* clarius, quam hactenus factum, explicuerit. Supra docui, primitivæ Ecclesiæ Patres in mysterio divinitatis Filii explicando diversis vocibus usos, quæ in sensum alienum trahi possent, nisi ipsimet præsidium quæsiviissent in infinita Dei natura. Quando *Illustris Leibnizius*, *æternum Germaniæ Ornamentum*, *in princip. Philosophiæ*, *Actis. Erudit. Lipsi. Tom. VII. Supplem. Sect. XI. insertis*, inter alia ita locutus est: *Deus solus est unitas primitiva, seu substantia simplex, originaria, cujus productiones sunt omnes monades creatæ & derivativæ, & nascuntur, ut ita loquar, per continuas divinitatis fulgurationes, per receptivitatem creaturæ limitatas*; *Viri Eruditi* phrasin illam, per continuas *divinitatis fulgurationes*, deteriorem in sensum non acceperunt. *Doctissimus Creilingius in Examine horum principiorum* ita de hac *Illustris Viri* propositione loquitur: *Elegantissime Autor cum antiquissimis Philosophis Deum unitatem primitivam & creaturas omnes derivativas appellat, simul autem in sequentibus modum productionis creaturarum, seu creationis, quantum ex lumine rationis indagari potest, ostendit, ajens: Creaturas oriri per continuas Divinitatis fulgurationes. Loquitur autem auctor noster de emanatione quadam generatim ita dicta, vel quasi, (ne putes aliorum Systematis Emanationis Patronorum somnia & omina hic recipi) quam per fulgurationem quandam imaginationi & per eam intellectui vult sistere clariorem. In nostro quippe orbe sol radiorum suorum perpetua emissione quandam quasi divinitatis actuosissimæ imaginem & Christianis & Gentilibus Philosophis præbuit, ipsæque S. Literæ Deum lucem adpellant.* Ita *Creilingius* interpretatur modestissime inusitatiorem *Illustris Viri* sermonem. Ita faciunt *Viri Candidi*, & *ignorantiæ nostræ* circa *divina memores*.

XL. Circa finem dissertationis meæ *Celeberrimi Wolfii*, *Viri sane doctissimi*, partes in me suscepi tuendas contra *Illustrem Gundlingium*. Respondi quin etiam ad singulas *quæstiones Gundlingianas*. Responsiones autem meæ *inficetæ* denuo videntur *Viro perspicacissimo*. Videamus paulisper quo jure, licet *Doctissimus Wolfius* auxilio meo minime indigeat. Repetam autem quæstiones *summi Viri*. Quid derivatur quæso? Respondi: *derivatur anima mundi, essentia quædam intelligibilis a mente, & mens illa a Deo, Rectore omnium rerum, divinum quid a Deo,*

sed

sed non ut pars a toto; modum autem ignoro, quia Dei natura non intime mihi perspecta est. Cur autem displiceat hæc responsio *Excellentissimo Viro?* Audi: *quando enim*, inquit, *primarium respondere molitur, nihilne emanare possit a Deo nisi divinum, ad silentium citatis passibus currit, & modum emanationis se ignorare trepide fatetur, ne in insidias quærentium incidat.* Quæstio est de tribus principiis *Platonis*, & quidem ex mente eorum, qui primum secundo, secundum tertio originem dedisse contendunt. Putavit autem *Illustris Vir*, interrogationes illas ita esse comparatas, ut *Doctissimus Wolfius* nihil prorsus reponere possit. Ego non ita sentio. Respondi igitur directe, animam mundi oriri a mente seu secundo principio, divinum quid a divino: modum me ignorare dixi, & adhuc dico. Quæ enim ignoro, lubentissime fateor. *Plato*, si ea fuit ejus sententia, explicare non potuit, ejus igitur non minus, quam *Cl. Wolfii* nomine respondi. Sequitur quæstio secunda *Ingeniosissimi Viri.* An dividitur Deus? *Respondi minime. Deus ex mente Platonis non corpus, non divisibile quid, & quod partes habeat; sed mens illa sive idea orta est a* Deo, *emanavit ex infinita* Dei *essentia, cujus infiniti cum ego capax non sim, creatura arctissimis limitibus circumscripta, modum determinare non possum, neque tamen illam impossibilem adserere.* Num forte hæc responsio placet *subtilissimo Viro?* Minime. *Eadem*, inquit, φλυαρια *deprehenditur, quando is ad quæstionem, utrum divinum, quod emanat, sit dividuum, an individuum? reponit, emanare aliquid ex divina essentia, sed modum latitare. De quo interea sententiam nondum est rogatus. Mirum est*, me ideo *vapulare*, quod *plus* regesserim, quam *æquissimus Vir* postulavit. Respondi, Deum non esse ex mente *Platonis* dividuum, & *hoc* ex me quærebat: addendum autem putavi, me modum ignorare, quia dixi λογον esse a Deo: cujus originis & derivationis modum ignoro. Necesse igitur putavi, ignorantiam meam fateri. Et hoc tam liberale additamentum adeo displicet *Moderatissimi Ingenii Viro, ut dicat pag 339. Ignoscet, spero, si hunc morem dicam morum, atque hunc respondendi modum valde arbitrer inficetum.* Imo vero ex animo ignosco. *Perspecta enim mihi dudum est Illustris Viri urbanitas & ingenii Elegantia. Ignosco igitur, ignosco.* Sed nondum satis est disputatum. Sect. 96. de novo me ad pugnam provocat. *Adesdum Zimmermanne, paucis te volo, ut quam miserum defensorem in te nactus sit Cl. Wolfius tute intelligas.* C'en est fait, mon heure est venuë. En adsum tamen *Vir Excellentissime!* *dedo aures in ditionem tuam!*

Tuus enim, quid optes,
Explorare labor, mihi jussa capessere fas est.

Putas quippe, (ita me homuncionem alloquitur *Amplissimus Vir*) *Deum permanere eundem, tametsi aliquid ab ipso emanet: quod ferri tantisper posset. Illico autem os illidis in scopulum* (adeo nil tutum ab insidiis) *præacutum, quando causam per emanationem venum exponis pro causa efficiente exornante externa: quin periculosius laberis, cum permanans a Deo, quod est mens, & simili ratione a mente procedens, quod est anima mundi, infusum rebus sensibilibus ac diversimodis temperatum credis, sine suspicione discriminis, quod impendet religioni. Ita enim divinum peccat &c.* Mihi sane *vel reluctanti* incidit illud Poëtæ: *Parturiunt montes. Meræ* enim sunt *repetitiones* supra jam ad nauseam allatæ & refutatæ. Tædet tandem repetitionum; breviter ergo dico: *Gundlingium* non *probasse ex Platone*, duo illa principia, mentem & animam mundi, a Deo orta; non *probasse*, animam mundi nonnisi abstractione mentis a primo principio distinctam; non *probasse*, animam mundi omnia pererrantem in unam cum mundo substantiam transmutari; non *probasse*, emanationem in intellectualibus sine partium divisione locum habere non posse. *Hæc omnia* cum nondum *probaverit Ingeniosissimus Vir*, mirum non est, si repetitiones illas parvi æstimo. Admitto tamen *Doctissimi Viri* conclusionem: *Quamobrem bene conjecit Zimmermannus, Cl. Wolfium responsurum forte accuratius.* Adhucdum enim in ea sum sententia, *Cl. Wolfium, Virum solide doctum*, majori argumentorum pondere *subtilissimi Viri* objectiones refutaturum, siquidem in arenam descendere vellet. Est enim *is*, (non ego) *ex numero illorum militum, quibus triplex circa pectus æs est. Cum talibus enim, non aliis, congredi optat fortissimus Antagonista, uti patet ex ultimis Dissertat. ejus verbis.* (*)

XLI. Et hæc sunt, quæ ad *Cl. Viri* dissertationem, contra me conscriptam, adnotare volui. Nullus dubito, quin multi judicaturi sint, examen hoc meum *prolixius* esse, *quam rei momentum postulat*; agi enim de re non *magni momenti*: parum interesse *cœtus sacri, Reipublicæ Litterariæ*, utrum *Plato Atheus fuerit nec ne.* Ego vero non diffiteor, potuisse me *horas* huic argumento *impensas* longe *melius collocare.*

(*) Conferantur cum iis quæ de Theologia *Platonis* hesc disputata sunt, *Celeberrimorum Virorum, Cudworthi, Moshemii, Brukeri* & aliorum eruditæ meditationes, præsertim quæ ad Trinitatem Platonicam examinandam faciunt. Nos in multis respectu hujus quæstionis breviores fuimus, data opera.

locare. Sed quandoquidem placuit *Cl. Gundlingio*, dissertationem meam *prolixo examini* subjicere, non potui multas ob causas, quas hic recensere nolo, prorsus silere. Postquam autem semel animum ad scribendam apologiam appuli, *necessitatem* mihi impositam esse perspexi, cuncta accurate examinandi. Nolui igitur perituræ parcere chartæ; sed cuncta, quæ alicujus momenti videbantur, perpendere; *nolui Cl. Viro* ansam dare *conquerendi*, me *fortissima*, quibus innititur, *argumenta* silentio præteriisse. Has enim querelas frequentissime moveri audimus in *mutuis Eruditorum concertationibus: rara est enim fides disputantium: non minus hic stratagematibus locus, quam in bello.* Veniam igitur dabit Lector prolixitati meæ, & repetitionibus, quas evitare non potui. *Cl. Auctor* identidem ex arrepta semel hypothesi argumentabatur, testimoniaque, ut fieri solet, eo trahebat, hinc repetitiones non semel ortæ. De re ipsa judicium sit penes *eruditum & candidum Lectorem.* Illi, qui extra partes sunt constituti, melius poterunt de controversia nostra judicare, quam nos, *quos partium studium* aliquando impedit, quo minus *verum* cernere possimus. Ego quidem quammaxime operam dedi, ne præjudicatis opinionibus locum aliquem concederem. *Sed homo sum, nihil humani a me alienum puto: omnes sumus contentiosi homines: omnes semel arreptas opiniones lubentes defendimus, & difficulter adducimur, ut fateamur, nos errasse: Sydus illud pestilentissimum, ambitio, nos omnes adflavit.* Non igitur victoriam ante triumphum canam; lubens aliorum judicia audiam, & meliora edoctus *retractationes* cum *Augustino* scribam. Perinde mihi est, utrum *Cl. Gundlingius* meæ sententiæ album calculum adjiciat, nec ne. Licuit semper incolumi dissentire amicitia. Quod si denuo placeat D. *Viro* in campum descendere, per me licet. Hoc unicum rogo, ut in posterum, posita omni *verborum acerbitate*, mecum agat. Velim sibi persuadeat, sibi rem esse cum homine *non quidem erudito*, nedum *superbo, sed veritatis & pacis amantissimo.* Dicteria animum ad iram & æstum provocant. Ut *innocenti, sic irato* verba *invenire*, quibus se *tueatur*, facile est. Non opus est *excellenti ingenio* ad alios perstringendos & Italico aceto perfundendos, sed ad *injurias illatas æquo animo perferendas. Habet & musca splenem: est & formicæ sua bilis: etiam mitissimi ingenii homines, cum alii lapides loquuntur*, non possunt semper *byssina reponere verba.* Et quid lucramur tandem *dicteriis?*

Cædimus inque vicem præbemus crura sagittis;

Ludi-

Ludibrio nos exponimus Viris sapientibus, & *Eruditionem* in *contemptum* adducimus. Poterit igitur & hanc *Apologiam Cl. Vir* examini subjicere, *argumenta argumentis*, siquidem eum errare putavero, *opponam*, & *æquitate*, *modestia*, *candore* cum eo certabo de *palma*, *adeo*, *ut quæ modo pugnabant*, *jungant sua rostra columbæ*. Eum in finem heic *publice Cl. & Historiæ philosophicæ peritissimum Virum rogo*, ut si quæ habeat ad *Institutum meum promovendum* facientia liberaliter communicet. Ego omni officio ac pietate me Ei devinctum esse, testabor.

MEDI-

MEDITATIO SACRA,

COMPLECTENS SALUTARIA QUÆDAM MONITA, AD VERUM ET LEGITIMUM

S. CŒNÆ

USUM PERTINENTIA.

PARS PRIOR.

Sect. I.

CUm non perinde sit, qua ratione Sectatoribus Jesu Christi Soteris nostri, Articuli Religionis christianæ & Cærimoniæ Sacræ explicentur & tradantur; simul vero certum sit, multos Christianos augustissimo S. Cœnæ Sacramento abuti, sinistrasque de legitimo usu ejus fovere opiniones, Doctorum publicorum est, eo conniti, ut S. M. Candidatis mature satis ostendant, non solum quæ natura sit hujus Sacramenti, & quis finis ejus scopusque, sed & ut ipsos edoceant, qualis sit S. Cœnæ efficacia, quidvel efficere vel non efficere possit in animis piorum & impiorum; quantum utilitatis ea adferre possit legitime hoc Sacramentum usurpantibus; qualis sit genuinæ præparationis ad S. Cœnam ratio, & sic deinceps. Atque hoc eo magis necesse est, quoniam eheu! quotidiana experientia constat, multos Christianos vitiis immersos plane, contra conscientiæ vocem & testimonium, S. Cœna tanquam antidoto, ad peccata sua excusanda, uti; alios vero a S. Cœna plane abstinere, quia sinistras de præparationis ad augustum hoc Sacramentum indole, statuque eorum, qui digne eam celebrare tenentur, habent opiniones, quarum originem

Proponitur in medium Scopus Auctoris.

nem infra detegam. In animum igitur induxi, in gratiam Auditorum meorum, quædam de hoc argumento in chartam conjicere, ipsisque certas quasdam *cautelas* præscribere, quarum, si memores erunt, cavebunt, ne, si quando S. Ministerio admovebuntur, siniſtras de usu S. Cœnæ fovendi opiniones occasionem Auditoribus suis suppeditent, contra vero operam omnem dabunt, ut omnia, quæ ad hoc argumentum spectant, Auditoribus suis dilucide exponant, eaque inculcent, quæ ad legitimam & rationi & Evangelio convenientem celebrationem hujus Sacramenti facere possunt. Duo vero, antequam ad rem ipsam progredior, in anteceſſum moneo. Prius est: In hoc loco nullam habitum iri rationem concertationum, quæ occasione verborum institutionis S. Cœnæ inter Protestantes ortæ sunt, quoniam quæstiones hæ toties sunt, (& utinam semper ita, uti Theologos Christianos deceret) ventilatæ, & a Reformatis Doctoribus in tanta luce collocatæ, ut nihil ad plenam demonstrationem, quantum nempe natura hujus negotii permittit, addi posse videatur. Et profecto, nisi præjudicatæ opiniones, & quarundam formularum rigor obstarent, persuasus sum, plures dissentientium fratrum, illos saltem, qui animo tranquillo & veritatis cupido negotia Religionis tractare solent, nostræ sententiæ album adjecturos calculum. Interim in laudem fratrum Lutheranorum fatendum, plerosque hodie Theologos huic familiæ addictos, mitius de nostra sententia sentire, & a durioribus verbis, quibus plerique olim contra Nostros disputantes, usi erant, prorsus abstinere. Posterius est: Nos *Cautelas* illas non in gratiam Veteranorum Theologorum & V. D. Ministrorum, qui meditatione & praxi melius, quam nos de hoc argumento edocti sunt, in medium protuliſſe. Hi enim consiliis nostris opus non habent; sed monita hæc dare voluimus Studiosis Theologiæ, & V. D. Ministris Junioribus, quoniam in prælectionibus publicis ob anguſtias temporis non omnia tradere possumus, quæ pio & prudenti Ministro circa hoc negotium observanda sunt.

Agitur de præstantia & dignitate hujus argumenti.

II. Cum omnes articuli Religionis motiva ad pietatis studium suppeditare debeant, singillatim monstrandum est, idem dici etiam posse de cærimoniis N. Testamenti. Jam vero ante omnia manifestum est, Sacramentum Sacræ Cœnæ sua sese simplicitate commendare. Sane Religionis Christianæ præstantia ex eo etiam probatur, quod paucissimis ritibus & cærimoniis contenta est. Quo magis enim homines ab iis, quæ in oculos incurrunt, abstrahuntur, & contra ad amorem

rem rerum cœleſtium commoventur, eo fortiora ſunt ad cultum rationalem Deo præſtandum Incentiva. Jure autem de S. Cœnæ uſu affirmari poteſt, quod nonſolum ritus ille ſit ſimplex valde, ſed & ſua natura aptus, ad veram pietatem chriſtiano homini inſtillandam. Hic non reperias magnum cærimoniarum apparatum; non lingua ignota natura hujus ritus ſacri exponitur; nullæ inſolitæ Miniſtrantium geſticulationes & demurmurationes; ſed brevi & perſpicua oratione ex ipſius cærimoniæ indole & natura, finis hujus Sacramenti traditur. Et quid tandem ſimplicius, & captu facilius eſt; quam hoc; nimirum, panem, quem edimus & vinum quod bibimus, denotare paſſionem cruentam Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui pro nobis mortem oppetiit? Patet autem eo magis præſtantia hujus ſacri ritus, ſi ad dignitatem perſonæ, quæ eum ritum inſtituit, attendimus: Ritus certe ille non traditioni obſcuræ, non Patrum antiquæ Eccleſiæ beneplacito, multo minus ſuperſtitioni, ſed ſapientiſſimæ Soteris noſtri voluntati debetur. Hic vero, dum cœleſtem ſuam miſſionem, doctrinæ excellentia & miraculis variis comprobarit, nihil mortalibus præſcribere potuit, quam quod rationi conſentaneum, utile, & divinæ ſuæ ſapientiæ conforme eſſet. Cum homo ſapiens nihil agat ſine ratione, quis credat diviniſſimum noſtrum Doctorum & cœlitus miſſum Prophetam, ad obſervandos ritus nihil profuturos homines obſtricturum? (*) omnes inſuper Chriſtiani, ſi ἀθερ παθων religionis chriſtianæ præcipuos articulos expendere velint, fateri tenebuntur, in morte Jeſu Chriſti, ejusque ad expianda peccata efficacia, medullam, ut ita dicam, Religionis hujus poſitam eſſe. Jam vero ritus ille S. Cœnæ rem illam auguſtiſſimam ante oculos quaſi præſentem ſiſtit, cauſasque mortis Jeſu Chriſti, ejus efficaciam & inſignem uſum, pandit. Ex quo ſane præſtantia hujus Sacramenti ſatis ſuperque manifeſta eſt. Hinc dubitari etiam non poteſt, quin homo Chriſtianus, ſi ad finem illum ſcopumque S. Cœnæ attendit, piaque & devota mente ritum illum celebrat, inſignem utilitatem ex eo percepturus ſit. Quamvis enim, ut ex infra dicendis patebit clarius, nemo ex ipſa fruitione panis & vini, vel etiam ex commemoratione ſola mortis Chriſti pius evadat; certum tamen eſt,

(*) Huc facit egregium teſtimonium *Lactantii* quod extat Inſtitut. Div. Lib. IV. cap. XXIII. *Philoſophi* (inquit) *putant, neminem adhuc perfectum extitiſſe ſapientem, id eſt in quo ſumma doctrinæ ac ſcientiæ ſumma virtus & perfecta juſtitia conſenſerint; quod quidem verum fuit. Nemo enim poſt mundum conditum talis extitit, niſi Chriſtus, qui & verbo ſapientiam tradidit, & doctrinam præſenti virtute firmavit.*

usum legitimum hujus Sacramenti, fortissima ad pietatis studium suppeditare Incentiva. Quo meliora autem illa sunt, quo frequentius homini in memoriam revocant ea quæ præstantissima sunt in Religione, quo magis eum ad officia sua præstanda obstringunt, eo magis attentione omnium, qui Christum Magistrum suum & Dominum esse fatentur, res ista digna est.

Ridiculi sunt, qui dicunt, Reformatorum sententiam de S. Cœna, veris ad pietatem Incentivis destitui.

III. Ex iis, quæ in antecedenti thesi dicta sunt, patet, quam inepta sit objectio eorum, qui, quoniam Reformati carnalem manducationem in S. Cœna non admittunt, clamant, destitui Eos solido fructu mortis Christi, & perceptione præstantissimorum Bonorum, quæ exinde emanare solent; quasi vero nulla ad pietatem adessent Incentiva nisi mens, vel potius corpus, nescio quo cibo vel quasi corpore pasceretur. Imo contendimus contra, legitimum usum S. Cœnæ secundum interpretationem verborum Domini ex mente Reformatorum, motiva ad pietatem excellentissima suppeditare, quia Christianis objectum Religionis Christianæ præstantissimum Jesum Christum Soterem nostrum, eumque crucifixum, vivide repræsentat, ad amorem ipsius impellit, & ad præstanda omnia officia hominis christiani quasi trahit. At quid melius a Cærimonia divinitus instituta exspectare possumus, quam hoc? Respondemus insuper hunc ritum celebrandi S. Cœnam ad essentiam religionis non pertinere, sed libere institutum, ad id quod essentiale est in in Religione repræsentandum; unde communiter Theologi dicere solent, non privationem Sacramentorum, sed eorundem contemtum, damnare Christianos. Ponamus per momentum Christum S. Cœnam non instituisse in sui memoriam, quid tandem hoc posito, nos impediret, quo minus Jesum Christum Soterem nostrum sincero corde amare, pretium redemtionis pro nobis factæ deprædicare, & omnibus pietatis officiis rite defungi possemus? Cum vero idem scopus sit celebrantium memoriam Jesu Christi in S. Cœna, quis, cum aliqua specie veri contendere ausit, Reformatos destitui solido fructu, qui ex salutari usu S. Cœnæ oriri potest? Denique hoc argumentum dissentientium plus probat quam probandum erat, atque adeo nihil probat. Nemo infitiabitur, salutarem Dei cognitionem, amorem, fiduciam in eo repositam, Zelum pro gloria Dei, abnegationem sui ipsius, cæterasque virtutes christianas, actiones esse Deo placentissimas. Jam vero hæ actiones omnes morales duntaxat sunt, voluntatis nimirum operationes. Si vero, ubi corpus inusitata quadam ratione non pascitur, vera pietatis incitamenta desunt, dicendum,

dum, has ipsas recensitas virtutes actionum Deo placentium nomine indignas esse, quod nemo, qui Religionem admittit, tuebitur. Et utinam tam verum esset, omnes Christianos Reformatorum sententiæ addictos legitime hoc Sacramento defungi, quam certum est, pium & devotum S. Cœnæ usum plurimum ad pietatis studium conferre posse. Qui vero amplius de hoc dubitaverit, ei perpendendam dabo compendiosam & nervosam verborum Domini nostri Jesu Christi, hoc est corpus meum, &c. interpretationem, quam concinnavit ὁ Μακαρίτης Celeb. *Werenfelsius: Existimamus* (inquit) *& persuasi sumus nos veram significationem & vim verborum Christi non modo non infringere, sed usque adeo retinere, ut credamus, Christum nihil significantius, nihil ad scopum suum accommodatius, nihil ad magnitudinem amoris sui, quem pro nobis patiendo & moriendo testatus est, nobis ante oculos ponendam, & nostrum vicissim erga se amorem accendendum efficacius dicere potuisse, aut unquam in vita dixisse, quam cum panem fractum discipulis edendum tradens dixit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, si verba nostro sensu intelliguntur. Hoc enim nobis dixisse videtur: Cum panem hunc ante vestros oculos modo fractum, accipitis a me, & editis; omnes cogitationes vestras, charissimi discipuli defigite in contemplatione corporis mei, quod jam jam pro vobis in cruce morietur, & instar hujus panis pro vobis frangetur: cogitate, me hanc mortem ignominiosam pro vobis pati, ut æternum vivatis, quemadmodum pane, qualem modo vobis fregi, ad vitam vestram temporalem indigetis: contemplamini animo stupendum hunc meum erga vos amorem, quo accensus, tantundem nunc pro vobis, ut vivatis in æternum beati, facio, quantum faceret Amicus aliquis Amico jam jam fame morituro, qui pane, quem ei frangeret, destitutus, sese ipsum panis loco, frangi & mactari juberet, ut propria sua carne amico morienti vitam conservaret. Tantum vero, tam incredibilem meum erga vos amorem, ut quasi oculis cernatis, manu palpetis & ore degustetis; existimate nunc, panem hunc, quem modo pro vobis fregi, quem vobis edendum tradidi, esse ipsissimum illud corpus meum, quod mox instar panis pro vobis frangetur, crucifigetur, & in mortem tradetur. Neque vero hic subsistite, sed hoc, quod nunc vos facere jubeo, cum in cœlum ascendero, vos, & qui vobis succedent Christiani, in hujus meæ mortis & passionis memoriam facere pergite; pergite sancto hoc epulo hujus ineffabilis mei erga vos amoris recordari: pergite hac recordatione & tam vivida ejus repræsentatione vicissim ad amorem mei vos inflammare: idque tam diu continuate, donec tandem ipse vivos & mortuos judicaturus, ad vos rediero.*

Ita eximius ille Theologus.

Usus S. Cœnæ veritatem Religionis Christianæ confirmat,

IV. Pondus iis, quæ jam jam diximus, addere potest observatio, quod nimirum S. Cœnæ usus, simul veritatem Religionis Christianæ confirmet. Usus S. Cœnæ inde ab antiquissimis, & ævo Apostolico proximis seculis receptus, & ab Ecclesiis Christianis omnibus ad nostram usque ætatem continuatus est, quod ostendit, Christianos omnium temporum existimasse, nonsolum insignem habere piam S. Cœnæ celebrationem usum; sed eo ipso universi fatentur, verissimum, & extra omnem dubitationis aleam positum esse, Christum Jesum nonsolum vixisse, sed & cruentam mortem obiisse. Et profecto sæpe miratus sum, Theologos & Oratores sacros, ubi de natura, fine, & usu S. Cœnæ agere solent, argumentum pro veritate Religionis Christianæ, quod ex ritu hoc sacro antiquissimo, peti potest, non ursisse, cum tamen inter argumenta historica, quibus Religionis Christianæ veritas probari solet, non infimum obtineat locum. Quamvis enim certum satis sit, primos Doctores Ecclesiæ Christianæ, quos Patres appellant, obscurioribus verbis suam sententiam de hoc Sacramento expressisse, adeo ut *Lutherani*, *Pontificii*, & *Reformati* in suas quique sententias trahere velint Patres illos: in eo tamen conveniunt omnes, Christum Jesum in terris vixisse, passum fuisse, & in sui memoriam S. Cœnam instituisse. Ipsæ illæ calumniæ contra Christianos sparsæ, undecunque ortæ, de quo hic differendi locus non est, quæ in Patrum Apologiis leguntur, probant, christianos ritu hoc sacro usos in memoriam sanctissimi Soteris nostri. Debent igitur Increduli, qui veritatem ipsam Religionis Christianæ negant, certis & ex antiquitate Ecclesiastica petitis testimoniis probare, aut ritum hunc sacrum a Christianis usurpatum non fuisse, aut aliam esse ritus hujus sacri originem, quam quæ in Scriptis Evangelistarum, Apostolorum, & primævorum Patrum perhibetur; aut concedere, ritum illum celebrandi S. Cœnam, niti universali & certa persuasione de Jesu Christi dignitate, & passione. Fateor, me cernere non posse, qua ratione Deistæ causam suam tueri possint. Unde ego optarem, ut V. D. Ministri quando de fine & usu S. Cœnæ agunt, etiam ad originem illius ascenderent, hacque detecta, simul argumentum, quod ad probandam veritatem Religionis Christianæ desumi potest, urgerent fortiter. Adesse vero talia testimonia in Antiquissimorum Patrum Scriptis, nemo Eruditorum dubitat. Vide inter nostros *Albertinum*, *Larroquanum*, *Claudium*, & *J. Basnage*, qui fusissime hæc loca adduxerunt, & contra Romanenses vindicare conati sunt.

V. Quam-

V. Quamvis autem Sacramentum S. Cœnæ a Servatore noſtro ſapientiſſimum in finem ſit inſtitutum, & in memoriam nobis revocet rem maximi momenti, nimirum cruentam Soteris mortem, atque adeo graviſſima ad pietatem ſuppeditet incentiva, fatendum tamen hoc Sacramento plerosque Chriſtianos Religionii Reformatæ (de aliis judicare noſtrum non eſt) addictos, turpiter abuti, adeo ut exiguam efficaciam in animos multorum habeat. Sunt, ſed numero pauciores, qui ſubterfugere celebrationem hujus Sacramenti ſolent. Et hi duplicis generis homines ſunt. Dantur qui profano id faciunt animo. Sunt deinde homines pii, ſed qui ob quosdam ſcrupulos conſcientiæ injectos, celebrationi S. Cœnæ intereſſe nolunt. Priores utplurimum homines ſunt, qui exigua Religionis tacti ſunt cura, & Deiſtarum vel Indifferentiſtarum turbæ nomina dederunt ſua. Hi, niſi prius craſſioribus de Religione præjudiciis valedixerint, & de veritate Religionis Chriſtianæ, aliorumque articulorum ad veram naturam Religionis hujus cognoſcendam facientium fuerint perſuaſi, celebratio S. Cœnæ fruſtra commendatur. Dantur vero etiam homines pii, quorum animus variis ſcrupulis eſt per tempus obſeptus. Unde illi oriantur infra diſquiremus. Cum his vero familiariſſime loqui debent V. D. Min. & diſpiciendum, ut variis argumentis in viam reducantur, cavendumque ab una parte, ne uſus S. Cœnæ ultra modum extollatur, ab altera vero oſtendatur, characteres pietatis, quos ipſis ineſſe ſcire poſſunt V. D. Miniſtri, non impedire debere, quo minus frequenter utantur S. Cœna, quæ ad confirmandam pietatem plurimum confert, & ut celebretur a Chriſto eſt injunctum Chriſtianis. Eum in finem legant S. Literarum Studioſi, Reverendiſſimi in Chriſto Patris *Tillotſonii*, *Archi-Epiſcopi olim Cantuarienſis* digniſſimi, Sermonem Sacrum de *frequenti uſu S. Cœnæ*. Longe vero maxima pars Chriſtianorum, qui S. Cœnam celebrare ſolent, ſunt Hypocritæ & homines vitiis dediti. Hi pietatis naturam & indolem, præſtatione cultus externi putant abſolvi, & licet vitiis nuntium mittere nolint, ſimul tamen inepte exiſtimant, peccata ſua, modo diligenter celebrationi S. Cœnæ interſint, hocque Sacramento utantur, elui. Hinc ubi adire S. Cœnam cogitant, dicere ſolent, ſe id facere, ut de ſalute conſequenda reddantur certi. Quaſi uſus panis & vini, cum qualicunque recordatione mortis Chriſti conjunctus, hominibus certam & immotam fiduciam reconciliationis cum Deo factæ, daret. Hac periculoſa valde opinione imbuti, ubi tempora celebrandi S. Cœnam adeſſe ſciunt, evolvunt libellum

Frequentiſſimus eſt hujus Sacramenti inter Chriſtianos abuſus.

bellum aliquem aſceticum, viam ad ſalutarem celebrationem S. Cœnæ monſtrantem, peccatorum etiam ſuorum ſunt memores, non ita tamen, ut ea deteſtentur, & ſerio iis valedicere velint, ſed quia exiſtimant recordatione ejusmodi opus eſſe, ſi quis certo ſibi remiſſionem peccatorum promittere velit. Pane igitur & vino utuntur, adhibitis certis quibusdam verbis, quibuscum tam certo remiſſionem peccatorum conjunctam eſſe credunt, ac certum eſt, eos panem & vinum deguſtaſſe. Hoc facto, læti domum redeunt, & legunt utplurimum eas precum formulas, in quibus pro remiſſione peccatorum Deo gratiæ aguntur: interim quo cœperunt pede pergunt, vitia, quibus dudum dediti erant, amare non deſinunt, & ita ſæpe per 30 & plures annos S. Cœnam celebrare ſolent: quo cum fructu, cernunt omnes, quotquot in Religione Chriſtiana non plane ſunt hoſpites.

Inquiritur in mali hujus, de quo jamjam mentionem injecimus, cauſas. Repræſentatur prima.

VI. Juvat autem in cauſas hujus mali, cujus mentionem facimus, inquirere, ut Sacri Miniſterii Candidati, mature diſcant ea omnia evitare, quæ erroribus circa hoc argumentum occaſionem ſuppeditare poſſunt. Cauſæ autem illæ partim ſunt *externæ*, aliunde advenientes; aliæ in *fundo cordis* quærendæ. Inter cauſas externas primum refero *falſos conceptus de natura & finibus S. Cœnæ, per auditum & lectionem acceptos.* Nimirum ſæpe & Catechetæ, Concionatores, & Auctores Libellorum, in quibus de legitima præparatione ad S. Cœnam conſilia & præcepta ſuppeditantur, *multis metaphoricis & myſticis expreſſionibus utuntur, quæ minus recte intellecta nonſolum efficiunt, ut ſimpliciores naturam & ſcopum S. Cœnæ non rite percipiant, ſed & ut in externo uſu Symbolorum toti ſint defixi, atque putent, neſcio quam inſolitam fruitionem cum uſu hujus Sacramenti eſſe conjunctam.* Nullus equidem dubito, quin Auctores metaphoricarum illarum Phraſium bono animo id faciant, ut nimirum devotionem in animis Auditorum & Lectorum excitent. At niſi natura rei, ut in aliis Articulis Religionis, ſic in hoc præcipue argumento, rite intelligatur, veri nominis devotio locum habere non poteſt. Ad veram pietatem ingenerandam opus eſt claris & diſtinctis notionibus: notiones vero obſcurioribus verbis expreſſæ verum ſenſum intercipiunt. Hoc certe ſimplicioribus evenire neceſſe eſt. Interim hoc non obſtante multi ſunt, qui tum demum ſe rite officio ſuo ſe defunctos, & partes doctorum Oratorum impleviſſe exiſtimant, ſi innumeris floſculis oratoriis dogmata Religionis exornare, uti putant, poſſunt. Sæpe ego miratus ſum & adhuc miror, qui fieri poſſit, ut noſtra ætate, qua ad ſupremum culmen philoſophicæ diſci-

disciplinæ, inprimis ars cogitandi & loquendi evectæ fuerunt, multi tamen viri haud indocti singularem voluptatem capiant in sermonibus sacris multis metaphoris variegatis. Tales vero metaphoricæ & mysticæ expressiones reperiuntur in multis libris asceticis, in quibus de legitima Hominis Christiani ad S. Cœnam præparatione agitur. Ita, ut de aliis nil dicam, ejusmodi phraseologiis scatet libellus *Drelincourtii*, quo populares nostri communiter utuntur. Nihil ego pietati & Eruditioni præstantis Viri detractum volo. Melius tamen institituto suo consuluisset, si clariore & magis perspicuo sermone usus fuisset, quoniam ejusmodi libelli omnium captui debent esse accommodati. Hinc viri pietate & sapientia præstantes sæpe optarunt, ut ejusmodi libelli brevitate & simplicitate sese commendantes, extarent. Inter eos fuerat ὁ Μακαρίτης Celeb. *Werenfelsius*, qui teste Venerabili *Osterwaldio* in literis ad me datis, dicere solitus erat: *Il est facheux que l'on n'avoit point de livre sur la Communion, qui soit simple, populaire, clair & propre pour l'édification.* Et, quæ Seculi nostri felicitas est, huic virorum optimorum desiderio satisfecerunt viri sagacitate ingenii & pietate eminentes. Prior est Celeberrimus *Hoadly Episcopus* hodie *Wintonienſis* in egregio plane libello, cui titulus: *Traité sur la Nature, le but & les Effets du Sacrement de la Sainte Cene.* Alter est *Venerandus Osterwaldius*, *Pastor Ecclesiæ Gallicanæ Basileensis dignissimus*, *Venerabilis Senis J. F. Ostervvaldii*, Filius. Hic edidit ante biennium libellum cui titulus: Les *Devoirs des Communians.* Hic sane libellus sermonis simplicitate, brevitate, & argumenti pondere sese commendat, omniumque ingeniis est attemperatus, atque eo nomine commendandus valde. Non defuturos tamen semper, quibus metaphoricæ & obscuriores illæ loquendi formulæ vehementer placeant, persuasus sum, quia hac ratione & pietatem suam & eloquentiam probari, animosque ad singularem devotionem excitari existimant: in quo tamen eos, qui artem cogitandi & differendi rite intelligunt, ad consensum non adducent. Argumenta, argumenta, inquam, sola, perspicuo sermone proposita & omnium ingeniis attemperata lucem veram adferunt menti. Quod si Scriptores Sacri obscurioribus paulo phrasibus in hoc argumento uterentur, docentium esset clariora substituere, præsertim in catecheticis institutionibus & orationibus sacris, quæ publice de hoc argumento haberi solent. Ubi enim semel animus quando de religione agitur, in vocibus obscurioribus adquievit, vix postea medicinam admittit. Simpliciores certe, verba, quibus notiones obscuriores exprimere

primere solent, eripi sibi haud patientur. *Mature igitur S. Literarum Studiosi operam debent navare, ut de hoc argumento accuratam habeant cognitionem, & ubi ad instituendam juventutem animos adjiciunt, omnem curam atque sollicitudinem adhibere debent, ut clarissimis verbis Sacramenti hujus naturam explicent, neque ante quiescant, quam iteratis quæstionibus & responsionibus persuasi sunt, discipulos suos, vel Auditores, claram & genuinam habere hujus Sacramenti ideam. In concionibus sacris iisdem vestigiis est insistendum.* Hoc si negligitur, fieri aliter non potest, quam ut simpliciores existiment, cum usu panis & vini nescio quam physicam & insolitam vim esse conjunctam, quæ animas mira ratione pascat. Hac vero opinione, si quis imbutus est, fieri aliter non potest, quam ut existimet, in ipsa externa fruitione Sacramenti hujus, præsidium & verum solamen quærendum; ad veros characteres vero, ex quibus cognoscimus, nos mortis Christi participes factos esse, parum attendet.

Utrum liceat æquivocis & obscurioribus verbis uti in explicatione S. Cœnæ, ad unionem inter Protestantes promovendam.

VII. Dum in eo sumus, & ostendamus, quam necessarium sit, ut V. D. Ministri, in catecheticis suis institutionibus, & orationibus sacris claris & perspicuis verbis naturam hujus Sacramenti exponant, incidit hic quæstio, ab instituto nostro non aliena, utrum nimirum ad Unionem Protestantium toties expetitam resarciendam, & promovendam, in materia de S. Cœna phrasibus generalioribus & æquivocis, quibus utraque pars dissentientium subscribere posset, uti expediat. Notissimum est, inter causas infelicis Schismatis, quod inter *Lutheranos* & *Reformatas Ecclesias* intercedit, articulum principalem, exorta Reformatione Sacrorum, fuisse doctrinam de S. Cœna. De hoc articulo sequente ætate tot Volumina scripta fuere, ut ea vix integræ ædes caperent. Non jam dicam, quanta verborum acerbitate, quidam usi sint, in æstu hujus disputationis positi. Non enim juvat vulnus hoc refricare, postquam præstantissimi inter Fratres, benignius de nostra sententia sentiunt. Ad sedandas illas graves funestasque lites, viri quidam docti & moderati ingenii, omnes ingenii nervos impenderunt, inter quos eminuit *Bucerus*. Hic vero ad scopum felicissime se perventurum existimavit, si operam daret, ut utraque pars subscriberet certis quibusdam formulis, generalioribus verbis conceptis, talibusque, quæ utriusque partis sententias exprimerent. B. *Zwinglius* vero noster, de verbis institutionis, & natura S. Cœna loquens, usus est claris & rotundis verbis; laudatus propterea a Celebri *Bossueto* in *Historia variationum Ecclesiarum Protestantium* Lib. III. Sect. XIV.

Idem

Idem vero Doctissimus Ecclesiæ R. Præsul, nonsolum in hac ipsa Historia, sed & in *expositione Fidei Catholicæ*, ex Catechismo Reformatorum, ad mentem *Calvini* adornato, probare vult, aut nesciviſſe Auctores Catechismi quid dicant, aut eos realem & substantialem Christi præsentiam cum Ecclesia Romana admittere. Juvat quædam adduxiſſe Celebris Viri, verba: Utor autem versione latina hujus Expositionis, quæ 1736. *Göttingæ* recusa fuit. Postquam Sect. 117. pag. 69. monuiſſet, Reformatos contendere, se nuda signa, & nudas figuras in S. Cœna non admittere, hæc addit: *Perinde ac nos adserunt, Christum in Sacra Cœna propriæ substantiæ nos participes facere, Eundem nos alere, & vivificare corporis sui sanguinisque substantia.* Provocat ad Dominicam 52. & 53. hujus Catechismi. Sect 120. inquit: *Nullius hic Auctoris privati testimonium adducam*, sed *ipsissima Catechismi verba, quo loco exponit, quæ ad Cœnam pertinent. Ibi disertis verbis ait, nonsolum vere nobis in Cœna Christum dari*, & quoad propriam ipsius substantiam; *Sed* licet nobis vere & per Baptismum, & per Evangelium communicetur, tamen ex parte tantum ibi & non plene communicari. *Ergo in Cœna plene & non ex parte datur. Ex parte quid, an plene accipiatur, mirum quantum interest; Quare si alibi Christus semper ex parte tantum, in Cœna plene recipiatur; sequitur, Adversariis consentientibus, atque ultra præeuntibus, quærendam in Cœna eam participandi rationem, quæ ita sit ejus Sacramenti propria, ut neque Baptismo, neque prædicationi conveniat. At simul id quoque sequitur, participationem illam a sola fide non pendere, cum fides in omnes omnino christiani hominis actus diffusa, & in prædicatione, & in Baptismo, æque ac in Cœna reperiatur.* Sect. 120. ad Dominicam 59. provocat, in qua hæc verba extant: *Corpus Domini Jesu in quantum semel oblatum est in Sacrificium, ut nos Deo reconciliaret nobis nunc dari, ut certiores nos faciat, nos illius reconciliationis esse participes.* Hæc verba Catechismi postquam adduxiſſet, ita pergit: *Si quis his vocibus sensus inest: si non illæ sonitus inanis sunt, vanumque ludibrium, id profecto significant, non nudum nobis a Christo symbolum, sed proprium corpus dari; quo certiores nos reddat oblati ab ipso Sacrificii, ibique cum genere humano reconciliatæ amicitiæ nos esse participes.* Hinc Sect. 130. Reformatos taxat, quod cum a Romana Ecclesia circa hoc argumentum longiſſime videri velint discedere, iis tamen utantur phrasibus, quæ videntur Decretis Ecclesiæ Romanæ consentaneæ. *Equidem sæpe miratus sum* (inquit) *planiori eos via suam non exposuiſſe doctrinam: quid ni pergerent remotis tot ambagibus dicere, Chri-*

ſtum ſui pro nobis factam ſanguinis effuſionem ita adumbrare voluiſſe, ut duo corporis ſanguinisque ſigna daret; Eum porro his ſignis rei ipſius nomen tribuere voluiſſe, atque ea ſacra ſigna loco eſſe pignoris; quo certiores ſimus mortis dominicæ gratiam nobis communicatam, ſacrique nos corporis & ſanguinis virtute ſpiritualiter refici. Poſtquam tanto molimine conati eſſent id confirmare argumentis, ſigna rei ipſius accipere nomen, ideoque corporis ſignum corpus dici potuiſſe, ibi conſiſtere, neque ulterius progredi, ipſa propoſitæ doctrinæ ſeries ex ſeſe compellebat. Hactenus *Boſſuetus.* Et profecto negare non poſſumus humani aliquid paſſos Viros in cæteris præſtantiſſimos, *Bucerum*, *Calvinum*, aliosque, quod clarius & magis rotunde ſuam de natura S. Cœnæ ſententiam non aperuerunt. Hinc enim novis rixis & contentionibus occaſio data fuit. Succeſſu tamen temporis factum eſt, ut plerique Reformati explicationem *Zwinglii*, qui ſine verborum involucris, ſuam ſententiam aperuit, amplecterentur, licet illa in ſumma rerum, a *Calvini* ſententia non diſcreparet. Anglis tamen & Gallis, loquendi ratio *Calvini* arridebat. Noſtra ætate tamen incipiunt etiam hi magis aperte ſuam ſententiam aperire, prout id ex citato Celeb. *Hoadly* libello patet, qui in eodem libello etiam phraſes obſcuriores de natura & indole S. Cœnæ, quibus uſus eſt Auctor Liturgiæ Anglicanæ, explicuit. Novi quidem lites ea occaſione inter Theologos exortas, atque quosdam Anglos nativam illam Reverendiſſimi Epiſcopi explicationem repudiaſſe, licet in ſumma rerum cum omnium Reformatorum ſententia conſpiret. At hoc mirum non eſt. Dudum enim experientia conſtat, dari Theologos, qui, ubi vident, alios clarioribus, & magis aptis verbis quam vulgo receptum eſt, dogma aliquod explicare, ita commoveri, ac ſi res ipſa in dubium revocaretur. *Hoadlyum* ſecutus eſt *Eruditiſſimus* S. *Clarkius*, prout id patet ex Tom. IV. Sermonum Sacrorum, quos edidit. Neque dubium mihi eſt, quin cæteri Theologi Angli in poſterum veſtigia magnorum horum Virorum preſſuri ſint; ubi enim diſciplinæ philoſophicæ, ut de Anglia notum eſt, florent, & ubi cuivis cordato Viro licet animi ſui ſenſa modeſte aperire non poſſunt non viri ingenio præſtantes lucem & ſimplicitatem amare. Quod ſi jam quæratur, utrum recte fecerint *Bucerus* & alii, quod obſcurioribus ejusmodi phraſibus uſi ſint, ad controverſiam illam inter Proteſtantes tollendam: reſpondemus, nos quidem pacis ſtudium virorum præſtantiſſimorum laudare, neque dubitare, quin Zelo pro gloria Dei ad componendam hanc litem inter fratres inducti fuerint, finemque habuerint optimum

&

& Theologis pacificis dignum ; at medium quo usi sunt, ad id quod intendebant, obtinendum, non probamus ; præterquam enim quod sinceritati christianæ minus conveniat, in re gravi æquivocis uti phrasibus, tantum abest, ut hac ratione pax sit obtenta, ut potius ex una controversia plures sint ortæ, & rixandi lubidini nova materia submini-strata : ut jam non dicam, plebem, metaphoricis & mysticis ejusmodi expressionibus, confundi. Ut, quæ hic dixi, Theologorum præstantissimorum consensu confirmem, adduco multorum instar verba *Celeberrimi Viri* S. *Werenfelsii*, *Theologi*, omnium, *qui sapiunt*, judicio *Sagacissimi*. Hic vero postquam in dissertatione de controversiis Theologicis rite tractandis taxasset Celeberrimum *Bossuetum*, quod in expositione sua *fidei Catholicæ* minus candide doctrinam Romanensium repræsentasset, sequentem in modum disserit. *Cavendum nobis etiam atque etiam est, ne artes istæ, cum candore pii & gravis Theologi pugnantes, quemadmodum illas in aliis merito culpamus, ita & nobis ipsis aliquando jure objici possint. Objectæ certe sæpe nobis fuerunt a Fratribus compluribus Augustanæ Confessionis, qui vulgo Lutheranorum nomine a nobis distingui volunt. Et sane nisi in hunc ipsum, quem tantopere commendamus, candorem peccare velimus, diffiteri omnino non possumus fuisse superioribus Seculis quosdam ex Theologis nostris, qui animo quidem optimo & plane pacifico, sed hac in re non satis circumspecte & provide agentes, semel atque iterum fratribus modo dictis majorem in nobis candorem desiderandi occasionem dederunt. Quod factum est, cum Theologi isti, ut pacem tam optabilem tamque necessariam inter nos & fratres Lutheranos conciliarent ; existimarunt, inveniendas esse hunc in finem formulas loquendi vagas, generales, ambiguas, quibus, servata qualicunque opinionum diversitate, tam Lutheri, quam Zwinglii & Calvini discipuli haud difficulter subscribere possent. Sed si, quod res est, dicere licet, hac methodo Ecclesiæ Christi, plus nocuerunt quam profuerunt. Præterquam enim quod ita se magis Adversariis suis suspectos atque adeo invisos reddiderunt : quis non videt, veram pacem & concordiam neutiquam consistere, in earundem vocum syllabarum & literarum pronuntiatione, sed aut in pleno circa omnia, aut quia hoc cum ratione in hac animorum caligine sperari nequit, in sincero consensu circa fundamentalia fidei christianæ dogmata, simulque in mutua & christiana tolerantia, quoad illas opinationes, quæ naturam & essentiam Christianismi minime constituit.* Et paucis interjectis: *Non possum quin hic laudem & vehementer probem quod ipse B. Lutherus quondam de S. Cœna inter se disputantibus præscripsit : quæstio est,* (inquit) *an homo*

homo Christianus præter nudum panem & vinum ore nil accipiat, & quid ei manibus Ministri porrigatur? Hic non decet pulmentum in ore volvere, & mum respondere, vel obscuris involucris venditare. Nec etiam decet sub pileo ludere, aut tenebrionem agere. Ita est, ut ais, Luthere: *Nihil horum graves & pios Theologos decet. Hi clare semper, aperte & candide sententiam suam proponere debent: Nunquam fucum, nunquam colores quærere. Hac ingenuitate, hoc candore viros bonos alterius partis magis sibi conciliabunt, eosque ad veriorem sententiam amplectendam, proniores & doctiores reddent, quam nescio quibus sententiæ suæ pigmentis & involucris. Laudatus olim fuit, & merito, iste candor in Petro Martyre, cum in colloquio Possiaceno formula adornata fuisset, in qua tum Pontificii tum Reformati possent convenire de præsentia corporis Christi in S. Cœna, huicque formulæ collocutores ab utraque parte subscripsissent: Ipse, una cum Beza, & reliquis Collocutoribus Reformatis huic formulæ, in quibusdam ambiguæ, brevem declarationem adjecit, ut, remota ambiguitate, Pontificii viderent, quænam sua sententia esset. Quæ quidem declaratio etiam nunc in locis communibus Petri Martyris, in qua inter alia hæc verba leguntur, extat:* Allatas formulas consensus ea ratione admitto, quia referuntur vel accommodari possunt, ad sensum jam explicatum: contra quem, si quis illas vel rapiat vel interpretetur, ab eo me profiteor dissidere. Hactenus Eximius ille *Theologus.* (*) Pessimum hoc est, quod plebs, auditis illis phrasibus mysticis & metaphoricis, in eam prolabatur sententiam, quasi cum ipsa fruitione panis & vini nescio quis inusitatus plane effectus physicus sit conjunctus. Patet hoc ex sermonibus & actionibus multorum Reformatæ Ecclesiæ membrorum. Ex

(*) Idem consilium suppeditat *Clarissimus Limborchius* extra partes in hoc negotio constitutus. Ita enim in *suis Institutionibus Theologicis loquitur Lib.* V. Cap. LXXI. Sect. IX. Reformatorum Sententia est: in Cœna Domini verum dari panem ac vinum, eaque esse Symbola ac signa corporis Jesu Christi a nobis fracti ac sanguinis pro nobis effusi. Hæc fuit sententia *Zwinglii.* Sed *Bucerus, Calvinus*, eorumque sequaces postea addiderunt: licet panis & vinum accipiatur membris & sensibus corporis, ipsum tamen corpus & ipsum Sanguinem Christi, vere illic esse præsens & exhiberi, ac recipi fide. Videtur illud excogitatum a *Bucero*, qui pacis studio ut Lutheranos & Zwinglianos inter se conciliaret, excogitavit modos loquendi ambiguos, quibus utraque pars subscribere posset, salva unicuique sua sententia. Sed conatus ille male cessit. Conqueruntur enim Lutherani de fraude Reformatorum, qui, quod una manu porrigunt, altera rursus aufferunt. Et revera ut pax & concordia obtineatur, præstat proprie absque ambiguitate loqui, ac qui intercedit dissensum fateri, interimque illius momentum inquirere, quo pateat, tantum id non esse, ut propterea in partes abire oporteat; quam verbis generalibus & ambiguis dissensum dissimulare, atque interim peculiari ac diversa verborum acceptione rursus dissensum suum prodere.

Ex *actionibus*; quando enim forte particula panis in terram cadit, miro horrore corripiuntur, & sæpe in magnam propterea mæstitiam incidunt. Ex *sermonibus*: ita enim loquuntur, postquam Cœnam Sacram celebrarunt, ut manifestum sit, eos existimare, nescio quod vehiculum cum usu S. Cœnæ esse conjunctum, & tale quidem, ex cuius fruitione remissio peccatorum antegressorum necessario consequatur. *Monendi ergo V. D. Ministri, ut verborum institutionis S. Cœnæ genuinam notionem vocibus simplicissimis tradant, genuinæ celebrationis mortis Christi indolem repræsentent, atque ostendant, quis demum verum usum ex Celebratione hujus Sacramenti* capiat.

VIII. Ut autem V. D. Minister scopum suum obtineat, cavendum, ne is phrases vel Patrum Ecclesiæ vel Theologorum, qui nonnisi metaphoricis locutionibus & rethoricis exaggerationibus, institutionis verba proposuerunt, usurpet, sed potius opera danda, ut quantum fieri potest, iis insistat loquendi formulis, quæ a Christo & Apostolis usurpatæ fuere. Cum Christus Jesus ipse sacram hanc cærimoniam instituerit, iisque usus sit verbis, quæ naturam & scopum hujus Sacramenti clare satis & sufficienter pandunt, cur hominum, qui lucem majorem dare non possunt, sectaremur phrases & loquendi formulas, inprimis cum experientia docuerit, quo magis a verbis, quibus Christus & Apostoli usi sunt, recesserunt Christiani, eo magis etiam argumentum hoc per se simplicissimum, obscuratum fuisse? Si IV. Evangelistas, & Paulum ad Corinthios de hoc argumento agentes legamus, nihil aliud exinde discimus quam hoc: Christum Soterem nostrum, morti proximum panem & vinum discipulis suis dedisse eum in finem, ut ipsi, & secuturi omnes Christiani passionem suam cruentam religiose & grato animo sibi in memoriam revocarent, seque hac ratione ad officia pietatis & charitatis obstringerent. Ex simplici tamen hoc ritu monstrosæ, ut notum est, exortæ sunt opiniones. Prudens ergo V. D. Minister, & homo christianus iis duntaxat insistet verbis, quæ a Christo & Apostolis de hoc argumento tradita sunt. Ineptum plane est, eorum velle sequi auctoritatem & decisiones, qui pluribus demum post Christi & Apostolorum discessum annis, pro arbitrio suo multa addiderunt, quorum vestigia nulla in libris sacris reperiuntur. Recte hoc observavit *Reverendissimus Hoadly* loco supra citato pag. 29. *Je laisse à tout Chrêtien* (inquit) *qui agit sincerement & de bonne foi, fûtil de la comprehension la moins heureuse, à juger, si l'on ne doit pas s'en rapporter plûtôt à notre Bienheureux Sauveur lui-même dans une affaire,*

Phrasibus, quæ in N. Testamento a Christo & Apostolis usurpatæ sunt, insistendum est.

qui

qui depend entierement de sa volonté, qu'à aucun de ceux, qui ne sauroient prétendre avoir reçû leurs instructions de lui immediatement. Qu'ils voient eux-mêmes, s'il n'y a pas plus de pieté, aussi bien que de raison à croire, que Jesus Christ a suffisament declaré sa pensée à ses Disciples immediats sur un établissement, qu'il faisoit lui-même, qu'à s'imaginer, qu'il a laissé se soin a des hommes, qui vivroient cent, ou cinq cens, ou mille ou près de deux mille ans, après la premiere institution de ce devoir. Abstinendum ergo in hoc argumento a phrasibus, quibus Patres usi sunt, naturam S. Cœnæ explicaturi. Satis hodie constat, Eos non optimos fuisse artis cogitandi Magistros, & S. Litterarum Interpretes. Ut de aliis Religionis Articulis, sic etiam de hoc argumento sæpe rethoricati sunt pluribusque obscuris & mysticis phrasibus usi sunt, atque adeo potius hoc argumentum obscurarunt, quam vero explicarunt; hinc coacti fuerunt viri docti ingentia volumina conscribere de sensu Patrum circa naturam S. Cœnæ. Quod si illi nihil adjecissent verbis Christi & Apostolorum; si rotunde & clare mentem Jesu Christi S. Cœnam instituentis, repræsentassent, si comparationes varias & metaphoricas phrases omisissent, portentosum illud Transubstantiationis dogma natum nunquam fuisset. Solenne autem Patribus esse, res verbis in majus extollere, & rethoricari, ubi planissimis verbis esset utendum, integro capite ostendit Cl. *Dallæus* in egregio libello de *usu Patrum*. Quædam huc facientia juvat hic adduxisse. Cap. V. p. 147. sic loquitur præstantissimus Vir. *Cum disputant* (Patres nimirum Ecclesiæ) *adversus Valentinianos aut Manichæos, videntur cum Pelagianis facere. Eadem ratione sicubi manus cum Pelagianis conserunt, videntur cum Manichæis sentire. Si adversus Arium feruntur, videntur a Sabellio minus esse alieni. Vicissim cum Sabellium adoriuntur ad Arium accedere videntur, ut animadvertit Episcopus Bitontinus de Augustino inprimis. Id ipsum quotidie accidit iis, qui ad populum verba faciunt: si in avaros invehuntur, parum abest quin prodigos commendent, ubi vero prodigos ac nimium profusos insectantur, putes eos sordibus & tenacitati velificari. Sic apud Protestantes, qui inanes & evanidas illas figuras, quos Romani Sacramentariis nescio quibus commentitiis tribuunt, a se amoliuntur, ii ita interdum agunt, ut prima fronte videri possint Eucharistiæ realitatem, quam vocant, statuere. Cum autem adversus Transubstantiationem, realemque inclusionem disputant, ipsos a Sacramentariis istis stare jurares.* Idem de Patribus fassus est inter Pontificios *Petavius* Jesuita Eruditissimus, in notis ad *Epiphanium* p. 141. *Multa*

sunt

sunt (inquit) *a sanctissimis Patribus, præsertimque a Chrysostomo in homiliis aspersa, quæ, si ad exactæ veritatis regulam accommodare volueris, boni sensus inania videbuntur.* Et quis nescit, rem eo deveniſſe, ut multi Chriſtiani S. Cœnam uſurparint, tanquam *medicamentum*, adverſus morbos ſingularem vim habens. De quo argumento, i. e. *uſu medico S. Cœnæ* ſingulari diſſertatione egit, Vir pl. *Reverendus & Amiciſſimus*, D. *Gerdeſius Theologus bodie Gröninganus Clariſſimus.* Quod de recentioribus quibusdam Concionatoribus monuit *Dallæus*, veriſſimum eſt. Quando enim S. Cœnæ uſum commendare volunt, multa de epulis & ferculis ſpiritualibus, de nutrimentis mentalibus, de hoſpitio Chriſti in hominibus S. Cœnam celebrantibus ſermocinantur, totque floſculis utuntur, ut ſimpliciores confundantur, & de fruitione S. Cœnæ ita loquantur, ac ſi vel ſola celebratio S. Cœnæ cum aliquo pietatis affectu uſurpata, *ſolum*, *certiſſimum*, & *evidentiſſimum* ſignum eſſet, hominis vere Chriſtiani: de quo tamen infra plura. *Prudens ergo V. D. Miniſter, ubi de inſtitutione & uſu S. Cœnæ agit, ſequatur Chriſtum, & Apoſtolos duntaxat, neque Patrum, aut recentiorum Theologorum rethoricantium, & myſticas valde phraſes uſurpantium, inſiſtat veſtigiis; contra vero tam claris ac perſpicuis utatur phraſibus, ut Auditores etiam ſimpliciſſimi non poſſint non rem intelligere.*

IX. Sed ſunt aliæ phraſes, & locutiones, in hoc argumento, quæ cum nimis vagæ & minus diſtinctæ ſint, multis chriſtianis anſam ſuppeditant, talia ſibi attribuendi, quæ nulla ratione ipſis competunt. Sic quoniam multi audiunt S. Cœnam eſſe *ſigillum* gratiæ divinæ & reconciliationis noſtræ cum Deo, ex eo colligunt, S. Cœnæ uſum, certiſſimum & infallibile ſignum eſſe animi pii, & cum Chriſto Jeſu conjuncti; & quemadmodum per ſigilla homines certi reddantur, rem aliquam ad ſe pertinere, ſic dubium non eſſe, quin illi, qui participes facti ſunt hujus Sacramenti, id eſt panis & vini, certi & perſuaſi eſſe poſſint omnia beneficia, quæ paſſione Soteris parta ſunt, jure ſibi competere. At valde errant hi homines. Sigillum dicitur S. Cœna aut quatenus reſpicimus ad fruitionem panis & vini, aut quatenus hæc elementa ipſam mortem & paſſionem Chriſti repræſentant. Priore ſenſu ſi ſumas, nulla ratione uſus panis & vini ſigillum veræ fidei & gratiæ divinæ dici poteſt, quia impii & Hypocritæ æque fruuntur his Elementis quam pii. Non poteſt igitur fruitio panis & vini certum eſſe ſignum, beneficia morte Jeſu Chriſti parta ad eum, qui iis utitur, ſpectare. Ita ſi mihi litteræ ſigillo munitæ tra-

Diſquiritur quo ſenſu Sacramentum S. Cœnæ dici poſſit ſigillum.

dantur, in quibus opima hæreditas mihi addicitur, mille autem alii easdem monstrant, iisdem sigillis munitas, colligere sane non possum, me solum legitimum esse possessorem hujus hæreditatis. Si respicias ad significationem panis & vini, denotatur mors Christi cruenta, & ejusdem meritum. Jam vero dici non potest, contemplationem hujus mortis, & persuasionem de mortis Jesu Christi efficacia, certum esse sigillum, ex quo cuilibet S. Cœnam usurpanti constet, ad se nominatim pertinere beneficia morte Jesu Christi parta. Nam etiam impii & hypocritæ possunt occasione usus S. Cœnæ de morte Christi cogitare & credere, Jesum pro hominibus cruentam mortem subiisse. Et quod ad pios attinet, possunt illi aliquando propter causas morales & physicas usu S. Cœnæ destitui; quis autem dicet, eos propterea sigillo gratiæ divinæ carere & mortis Christi participes non esse? hoc autem affirmandum esset, si repræsentatio mortis Christi in S. Cœna certum, & infallibile sigillum esset veræ pietatis, & amoris Jesu Christi. Possunt etiam pii, quemadmodum in aliis officiis christianismi, sic etiam in usurpatione S. Cœnæ aliquando peccare; possunt aliquando non ea devotione, quæ hic postulatur, S. Cœna uti, quo ipso tamen notis verorum christianorum non privantur. Sed pone, homines pios religiose celebrare memoriam mortis Jesu Christi, non tamen propter hoc solum, sigillo veræ pietatis eos munitos esse dici potest. Secundum enim Reformatorum sententiam veri christiani certissimi characteres sunt salutaris fides, pœnitentia sincera, & mandatorum divinorum observantia. At hi characteres; hoc sigillum, homini christiano inesse debent ante celebrationem S. Cœnæ. Proprie loquendo sanguis Jesu Christi, vel potius mors ejus, sigillum est novi fœderis: at de hoc non est quæstio; fatemur enim cruentam mortem Jesu Christi esse sigillum reconciliationis: hoc tantum quæritur, ex quo indicio nobis constet, fructus hujus mortis ad nos certo pertinere. Jam vero ex sola recordatione hujus mortis sive id fiat in Celebratione S. Cœnæ, sive extra eam, non possunt Christiani colligere, beneficia per passionem Jesu Christi parta ad se pertinere, nisi aliunde de hoc edocti sint. Ponamus principem per litteras sigillo munitas suo, offerre spartam, nullo tamen addito nomine personæ, quæ oblatam spartam exornaret; an quisquam sane mentis sibi nominatim soli hanc spartam oblatam contendere posset? Ita pariter neque ex usu panis & vini in S. Cœna, neque ex recordatione mortis Jesu Christi, neque ex publica vel privata confessione, mortem Jesu Christi esse

esse veram reconciliationis nostræ causam scire possumus, fructus mortis Jesu Christi nobis certo competere; sed certa illa persuasio demum oritur ex certis characteribus animi; nimirum ex sanctificationis studio, & amore Dei. Ex eo enim evidenter constat, regenerationem esse certum consequens fructuum meriti Jesu Christi; per id enim factum est, ut mens nova vita donata sit. Quod si quis voci sigilli inhærere velit dicam quo sensu S. Cœnæ usus ita appellari possit. Nimirum quando homo pius, occasione S. Cœnæ cum ad mortem Jesu Christi religiose respicit, tum vero ad præsentem mentis suæ sanctificatæ statum attendit, recordatur, præsentibus illis externis signis in oculos incurrentibus, mortem illam cruentam Soteris sui efficaciam suam in se exeruisse, conversionemque suam Jesu duntaxat crucifixo deberi, atque ita nova quadam ratione incitatur, ad Jesum supra omnia amandum, & ad officia hominis christiani sedulo præstanda. Hoc sensu pii possunt dici accepisse *sigillum justitiæ fidei.* Atque hæc interpretatio ex principiis Reformatorum necessario fluit. Asserunt enim solam reconciliationis nostræ cum Deo causam esse meritum Jesu Christi: Hujus beneficii homines participes fieri per justificationem, sanctificationem & regenerationem: certos esse characteres, ex quibus homo cognoscere possit, utrum Sanctificatione illa, atque adeo etiam reconciliatione ditatus sit nec ne: hos caracteres certos & infallibiles esse seriam pœnitentiam, salutarem fidem & mandatorum divinorum observantiam: Sacramenta non esse miracula, non medicamina, non vehicula, neque causas tandem gratiæ Ex quibus per legitimam consequentiam sequitur, proprie loquendo characteres illos animis fidelium insitos, esse sigillum illud, quo certi reddimur, beneficia per mortem Jesu Christi parta ad nos pertinere. Et profecto nisi clare & perspicue explicetur, quid sigilli nomine significetur, multi Christianorum existimabunt, aut solum usum externorum symbolorum, aut transitoriam illam meditationem mortis Jesu Christi per symbola excitatam, sigillum illud, id est, certum indicium esse, ex quo certo colligere possint, se veri nominis Christianos esse, beneficiorum quippe morte Christi adquisitorum ita participes factos. Erunt fortasse quibus hæc, quæ de hoc argumento notavi, levia videantur; sed mihi leve non videtur, quod perspicuas de Religione notiones suppeditare, & homines a practicis erroribus revocare potest. Is certe qui credit. vel usum panis & vini in S. Cœna, vel recordationem cruentæ mortis Christi, conjunctam cum professione publica Soterem nostrum morte sua remissionem

peccatorum nobis adquisivisse, certum illud signum & sigillum esse suæ reconciliationis cum Deo, & certæ persuasionis de remissione peccatorum, de habitu vitiorum exuendo, & de emendanda mente parum erit sollicitus. Plane ad mentem nostram de hoc argumento locutus est B. *Zwinglius* noster multis in locis. In Expositione Christianæ fidei pag. m. 14. Sic loquitur: *Quid Sacramenta sive Symbola in Cœna faciant aut possint, acriter certatum est aliquandiu inter nos: istis contendentibus, quod Sacramenta fidem dare, Corpus Christi naturale adferre & ut præsens edatur efficere soleant: nobis diversum quid non sine auctore sentientibus. Primum quod fidem, quæ in Deum fiducia est, nemo nisi Spiritus S. dat, nulla res externa, quamvis faciant fidem Sacramenta, sed historicam. Omnes enim Panegyres, trophea, imo monumenta & statuæ fidem historicam faciunt, hoc est, monent olim aut quiddam esse factum, cujus memoria refricetur, si est aut Panegyris Paschatis apud Hebræos & σεισαχθεια apud Athenienses, aut victoriam isthic loci partam esse, sicut est lapis adjutorii. Hoc ergo modo Cœna dominica fidem facit hoc est certo significat Christum esse natum & passum. Sed quibus hoc significat? fidelibus & perfidis ex æquo. Universis enim significat, quod ad Sacramenti virtutem pertinet Christum esse passum, sive recipiant sive minus: at pro NOBIS esse passum, id vero piis & fidelibus tantum significat. Nemo enim pro nobis esse passum scit aut credit, nisi quem Spiritus intus docuerit agnoscere mysterium divinæ bonitatis. Is enim solus Christum recipit. Fiduciam ergo in Deum nil nisi Spiritus dat. Nemo enim pervenit ad Christum nisi Pater eum traxerit. Deinde Paulus quoque omne hoc dissidium uno verbo tollit, cum dicit: probet autem seipsum homo, ac demum de pane isto edat & de calice bibat. Cum ergo antequam accedat, fidem suam explorare debeat homo, jam nequit fieri ut in Cœna fides detur: adesse enim oportet priusquam adeas.* Vide Ejusdem *subsidium Eucharistiæ; Responsionem ad Rellicani & Regii Epistolas, & Exegesin Eucharistici negotii.* Pariter ita locutus est B. *Oecolampadius.* Sic v. gr. in *Responsione ad Billibaldum Byrkhaimerum* ita disserit de hoc argumento: *In cruce satisfactum est pro peccatis, remissaque ac ablata sunt peccata, non mea tantum sed & totius mundi. Verum satisfactionis & remissionis tunc capax esse incipio, quum fidem habuero. Roboratur mens fide in meritum Christi in cruce, memoria autem in Cœna nobis commendatur.* Prudens ergo V. D. Minister ubi de hoc argumento disserendum est, *moneat, Christum Jesum pro peccatoribus esse passum: in usu S. Cœnæ memoriam hujus beneficii repræsentari animis; recordationem illam esse quidem*

dem laudabilem & neceſſariam, at ſolam illam recordationem & confeſſionem non eſſe certum ſigillum, beneficia morte Chriſti parta ad eos pertinere, qui memoriam illam recolunt: neceſſe igitur eſſe, ut quicunque mortis Chriſti fructibus gaudere velint, ante fruitionem panis & vini & recordationem mortis Chriſti, perſuaſi ſint certis characteribus, meritum Jeſu Chriſti efficaciam ſuam in mentibus ſuis exeruiſſe. Certos autem characteres illos eſſe, pœnitentiam ſeriam, ſalutarem fidem, & exercitium virtutum chriſtianarum: Hos characteres piis ante & in celebratione Cœnæ ſigilli loco eſſe poſſe, ex quo certo colligant, ſe beneficiorum mortis Chriſti participes factos.

VII. Sunt qui ex loco 1. ad Corinthios Cap. X. v. 16, 17. colligunt ſed perperam, quod cum uſu publico S. Cœnæ, ipſa participatio omnium fructuum mortis Jeſu Chriſti ſit conjuncta. Juvat ergo locum illum paucis examinare: verba Pauli ita ſonant: Το ποτηριον της ευλογιας ο ευλογεμεν ουχι κοινωνια του αιματος χριστου εστι. Τον αρτον ον κλωμεν ουχι κοινωνια του σωματος του χριστου εστιν. οτι εις αρτος, εν σωμα, οι πολλοι εσμεν. οι γαρ παντες εκ του ενος αρτου μετεχομεν. Animus non eſt data opera contra eos diſputare, qui hic aut præſidium transſubſtantiationi, vel reali Corporis Chriſti participationi inſolitæ & verbis non exprimendæ præſidium quærunr. Pontificii ex his verbis miraculoſam illam transſubſtantiationem extundere non poſſunt ex voce κοινωνια του αιματος, & του αρτου. Dicuntur enim v. 20. 21. qui idolothyta comedunt, cum idolis communicare, & qui hoſtiæ participant, altaris eſſe participes: Sicut ergo exinde concludi nequit, Idolothyta in Dæmones aut hoſtias in altaria eſſe mutata: ita neque exinde concludi poteſt panem & vinum in corpus & Sanguinem Domini eſſe mutata. Idem fere dixerim de ſententia fratrum Lutheranorum, quia hoc poſito dicendum eſſet, Gentiles altaribus & idololatricis conviviis adſiſtentes, ipſos Dæmones comediſſe, quod abſonum eſt dicere. Cum vero hac occaſione aperuiſſem του Μακαριτου Cl. *Wolfii Curas*, perſpexi, *Celeb. Theologum* G. *Olearium* ſingulari diſſertatione probare voluiſſe, Gentiles exiſtimaſſe, ſe comedere cum Sacrificiis Dæmonum ipſorum Subſtantias, latentes ſub Sacrificiis, atque hac ratione ſtabiliri ſententiam orthodoxam, ut illi putant: Cl. Olearius v. 16. ſic interpretatur: *Vos de victimis Gentium Deaſtris oblatis eodem ore editis, quo Domini ſumitis Cœnam. Jam Gentilis affirmat, victimas illas a Dæmonibus ſuis inhabitari, iisque plenas eſſe: Vos autem noſtis, quod quandocunque viſibilia Elementa panis & vini euchariſtici, quæ ore accipitis*

De ſenſu Loci Prioris Epiſtolæ Pauli ad Corinth. c. X. v. 16, & 17.

sacro illi usui precibus dedicata sint, eadem sibi præsentia habeant corpus & sanguinem Christi. Fierine igitur potest, ut Dæmon victimis illis junctus & Christi sanctum corpus & sanguis sub pane & vino in eodem ore habitet & inveniatur? Hanc suam sententiam testimoniis *Firmici*, & *Jamblichi* probare voluit Cl. Vir. Sed mea opinione recte ostendit, vir *Celeb. J. Elsnerus*, S. Theologiæ Professor Doctissimus, in suis ad h. l. observationibus, nonsolum testimonia allata id non probare, quod probandum esset, sed & Gentiles ab hac opinione abhorruisse. Affert inter alia locum *Ciceronis* ex Lib. III. de N. D. ubi ait: *Ecquem tam amentem esse putas, qui illud quo vescatur, Deum credat esse.* Pagina deinde 110. observat: in hunc locum, ostendit, in quo illa κοινωνια cum Dæmonibus consistat. Κοινωνια *illa cum Dæmonibus* (inquit) *non est aliter exponenda, quam Apostolus exposuit, qui eam statuit* ἐν τω μετεχειν τραπεζης Δαιμονιων καὶ πινειν το ποτηριον δαιμονιων *dum participes fierent mensæ & crateris Daimonum in conviviis sacris de reliquis Sacrificiorum comedentes. Quemadmodum homines eadem mensa utentes* κοινωνειν τραπεζης *frequentissime dicuntur Auctoribus, inter quos est* κοινωνια, *nempe* τραπεζης. Conf. *Act. II: 42. & esse creditur, certe esse debet animorum quoque voluntatumque* κοινωνια, *quomodo Apostolus* ἑκ τε ἑνος ἀρτε μετεχοντος *dixerat esse* ἐν σωμα *v. 17. ita fieri non poterat quin Idololatris cum Dæmonibus* κοινωνια *intercederet, cum in conviviis sacris fierent mensæ Dæmonum participes.* Hactenus rectissime Cl. *Elsnerus*. Deinde ego scire vellem, utrum Viri Docti, qui explicationem Cl. *Olearii* defendunt, credant *vere* inconspicuos quosdam Dæmones nonsolum Sacrificiis Gentilium interfuisse, sed & iis sese insinuasse, atque adeo cum Sacrificiis ipsos Dæmones comestos fuisse. Vix a me impetro, ut credam, eos hoc affirmaturos. Quod si negent hoc factum fuisse, videant an bene causæ suæ consulant, & an non manifestum sit, eos hac ratione contra regulas Logicorum, id pro vero ponere, quod in quæstione est. Sed satis disputatum est de hoc argumento. Ut igitur verum sensum versuum illorum eruamus, ad scopum Apostoli, qui ex universo capite satis patet, est attendendum; voluit nimirum Christianos ab Idololatria revocare, & impedire, quo minus conviviis idololatricis interessent; argumentum inter alia petit ab eo, quod christiani Cœnam sacram celebrantes, hoc ipso publice testentur, se communionem habere cum carne & sanguine Christi, id est sibi in memoriam revocare mortem Jesu Christi unicam reconciliationis nostræ cum Deo causam; Indignum igitur esse, ut illi, qui esu panis & vini in Cœna communionem suam cum Christo testentur,

ſtertur, etiam cum Dæmonibus communionem habeant. Ideo ait v. 20, 21. *Non poteſtis calicem Domini bibere & calicem Dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ Dæmoniorum.* Hinc miratus ſum Celeb. *Moshemium* v. 16. de reali aliqua participatione corporis & ſanguinis Chriſti interpretari, & exiſtimare v. 17. de alia re agi ac in antecedente v. 16. Præterquam enim, quod natura rei docet, inter hos verſiculos, manifeſtum eſſe nexum, ipſa particula ὅτι mihi id inſinuare videtur. Sed mittamus hæc, & videamus quisnam horum duorum verſuum ſenſus ſit. Ego eos ita παραφράζω: *Quando S. Cœnam celebramus, vinumque cum gratiarum actione bibimus, an non hoc ipſo publice teſtamur, Chriſtum Jeſum ſanguinem ſuum pro nobis effudiſſe: & quando repetita gratiarum actione panem frangimus, publice conteſtamur corpus Domini Jeſu Chriſti pro nobis in cruce fractum fuiſſe, nosque Chriſtianos qui invicem Symbolis bis utimur, unum aliquod conſtituere corpus? & veluti ex multis granis unus conficitur panis, & ex uvis multis unum exprimitur vinum; ita etiam teſtamur nos, multos licet, unum tantum eſſe Corpus in Chriſto Jeſu.* Ex quo Apoſtolus colligit, Chriſtianos, ſi una cum Ethnicis adcumbant Idololatricis menſis, ad eandem maſſam pertinere, & cum iis coaluiſſe cenſeri, quod tamen Chriſtianis, qui unum tantum corpus in Chriſto Jeſu conficiant, faciendum non ſit. Ex hoc conſtat, in verſibus illis nonniſi de ſpirituali quadam Communione Chriſtianorum cum Chriſto, & aliorum membrorum Eccleſiæ inter ſe agi. Eſt autem ſpiritualis illa conjunctio *duplex*, quod probe in explicatione hujus argumenti eſt obſervandum. *Prior* eſt, qua Chriſtiani S. Cœnam celebrantes rem abſentem, nimirum mortem Jeſu Chriſti, ejusque meritum, mente ſibi repræſentant, ſeque tanquam membra unius corporis conſiderant: *Poſterior* eſt, qua Chriſti diſcipuli, ſalutari fide donati, non tantum occaſione S. Cœnæ, ſed & extra uſum S. Cœnæ certi, perſuaſique ſunt, ſe mortis Jeſu Chriſti, & omnium beneficiorum, quæ morte illa parta ſunt, vere participes eſſe redditos. Ad *priorem* autem in hoc loco reſpicitur, non ad poſteriorem. Quando enim junctim Chriſtiani externis illis Symbolis utuntur, conſiderant ſeſe mutuo tanquam unum corpus, quod mortem Jeſu Chriſti concelebrat. At ex hac communi mortis Chriſti confeſſione, nondum conſtat, eos vere pios, & regenitos eſſe, atque adeo ad ſe pertinere fructus ſalutares mortis Jeſu Chriſti. Debent enim, antequam memoriam Jeſu Chriſti recolant, jam perſuaſi eſſe ex certis characteribus, nimirum ſalutari fide & virtutum chriſtianarum

narum exercitio, se cum Christo vere conjunctos esse: unde etiam Theologi Reformati omnes fatentur, Johannis capite VI. ubi de fruitione carnis & sanguinis Christi sermo est, non agi de usu S. Cœnæ, partim quia Christus nondum tum temporis mortuus erat, partim quia cum hac fruitione conjunctam certo fore vitæ æternæ possessionem, Christus fatetur: at paucissimi Christianorum, S. Cœnam celebrantium, certam hanc fiduciam habere possunt, quia accedentes ad S. Cœnam salutari fide, ejusque fructibus carent. Verissimum quidem est, intimam esse inter Christum & fideles conjunctionem; sed conjunctio illa non fit per solam S. Cœnæ participationem, sed conjunctio spiritualis per fidem debet præcedere, & est conditio sine qua Christianus, mortis, & beneficiorum per mortem Soteris adquisitorum, particeps esse non potest. Quemadmodum vero ante usum S. Cœnæ veri nominis Christianus persuasus est, se vere cum Christo per fidem conjunctum esse: ita in S. Cœna nonsolum beneficii hujus accepti memor est, sed & nova ad Christum super omnia amandum adduntur motiva, mensque hac occasione in memoriam sibi revocans insignem fructum mortis Christi, singulari lætitia perfunditur. Prior autem illa S. Cœnæ fruitio de qua in hoc loco ad Corinthios agi existimamus, omnibus Christianis communis est, adeoque externa tantum est, licet rem invisibilem, i. e. mortem Jesu Christi, ejusque dignitatem conjunctim celebrent. Eundem fere in modum hos duos versiculos exposuit *Reverendissimus Hoadly, Episcopus hodie Vintoniensis.* Ita enim pag 43. seq. citati libelli hos duos versiculos παραφραζει: *Quand nous, qui sommes Chrêtiens, participons en commun dans nos Assemblées religieuses à la coupe de benediction ou d'action de graces, à cette coupe sur laquelle nous prononçons des paroles, qui expriment les louanges que nous rendons à Dieu, & la reconnoissance, dont nous sommes penetrés pour ses bienfaits, buvons nous comme un Vin qui est destiné à servir de memorial du sang que Jesus Christ a versé pour nous. N'est-il donc pas clair, qu'en le faisant nous participons en commun à ce qui nous rappelle le souvenir de son sang & qui porte en effet ce nom dans l'institution du Sacrament? Lorsque dans la même solemnité nous rompons du pain, & que nous le mangeons, n'est-ce pas là participer conjointement, à ce qui est établi, pour nous faire souvenir de son corps, & que pour cette raison il appelle son corps dans l'Institution & non pas manger du pain comme dans un repos ordinaire.* v. 17. *Je dis, participer conjointement, parce que telle est la nature de cette cerémonie, que l'est une action, qui se fait dans une Assemblée*

semblée & non pas une chose, que chacun puisse faire dans son particulier. Et comme c'est a un seul & même pain que nous participons ainsi en commun, c'est cela même qui fait que quoique nos assemblées soient composées de plusieurs particuliers, de plusieurs Individus, nous declarons néanmoins par la, que nous ne faisons qu'un seul corps, & que nous ne formons qu'une seule & même Societé. On peut dire aussi, que comme c'est une marque d'union parmi les hommes que de manger ensemble; de même quand nous nous essemblons de compagnie pour participer a un même pain, nous reconnoissons par cette action solemnelle, que nous ne faisons tous qu'un seul corps & en qualité des Chretiens nous declarons par la que tant nous, que les autres Chretiens formons une Societé, distincte du corps des Païens soumise & devoüée a Jesus-Christ comme a notre commun Chef. Hunc loci istius sensum esse, pluribus deinde ex Scopo Apostoli, antecedentibus & sequentibus probat. In eandem sententiam concedit *Eruditissimus Clarkius, Vol. IV. Orat. Serm. VII.* Postquam enim monuisset, Paulum in hoc capite præcipue id egisse, ut Corinthios a congressibus & conviviis gentilium retraheret, quia facile imbecillioribus hac ratione ansam præbere possent credendi, eos, qui his locis interesse solent, participare cultui Deorum vel Dæmonum, ita pergit secundum versionem Germanicam: *Denn gleich vvie* (sagt er) *die Geniessung der heiligen Communion und Gemeinschaft mit denen Christen eine offentliche Bezeugung ist, man sey selbst ein Christ: und gleichvvie die Geniessung der Opfer vom Altar der Juden eine offentliche Bekentnuss ist, dass man der Religion nach ein Jude sey: so möge es einem Christen, vvann er vom Götzenopfer isset, von anderen also ausgeleget vverden, als wann er mit den Heyden in ihrer Abgötterey Gemeinschaft hätte, ob er gleich bey sich erkennete, dass ein Götz nichts sey in der Welt. Dieses ist offenbarlich die vvahre Verbindung der ganzen Rede des Apostels:* Meine Liebsten, fliehet die Abgötterey: Als zu den Weisen rede ich, urtheilet ihr, vvas ich sage: *das ist, urtheilet und gebt Achtung, da ich euch dieses durch eine leichte Vergleichung erkläre:* Der gesegnete Kelch, den vvir Christen segnen, ist der nicht die Gemeinschaft des Bluts Christi? Das Brod, das vvir brechen, ist es nicht die Gemeinschaft des Leibes Christi? *das ist: Ist es nicht eine offentliche Erklärung unserer gemeinschaftlichen Ubereinstimmung und Gemeinschaft unter einander, indem vvir die Liebe unseres allseitigen Heilands zusammen ervvegen.* Dann ein Brod ists: so sind vvir viel ein Leib: dievveil vvir alle eines Brods theilhaftig sind, *Und* also, *spricht er, indem er eben diese Gleichnuss fortsetzet:*

ſetzet: Iſrael nach dem Fleiſch, ſind die, vvelche vom Opfer eſſen in der Gemeinſchaft des Altars: *das iſt: Sind ſie nicht in der Gemeinſchaft der Jüdiſchen Religion? Bekennen ſie nicht dardurch ihre Gemeinſchaft mit ihnen.* Alſo, vvas die Heiden opferen, das opferen ſie dem Teufel, und nicht Gotte: und ich vvolte nicht, daſs ihr mit den Teuflen Gemeinſchaft haben ſoltet. *Dieſe Worte ſind nicht abgebrochene und gar nicht zuſammenhangende Ermahnungen, vvie ſie bey dem erſten Anblick ſcheinen möchten, vvenn man auf der Abſicht des Apoſtoliſchen Schluſſes nicht ſorgfältig merket; ſondern ſie ſind mit dem vorhergehenden ausdrücklich verbunden, und ſind offenbarlich eine Fortſetzung einerley Gleichniſſes, daſs, gleichvvie ſo vvohl unter Juden als Chriſten, die Theilnehmung und Gemeinſchaft an einerley öffentlichen Religions-Handlungen eine Bezeugung der Einigkeit, Gemeinſchaft und Ubereinſtimmung iſt: Alſo vvurde das Eſſen bey den Heyden vom Götzenopfer, einen allzuſtarken Grund des Argvvohns, daſs man mit ihnen in ihrer Abgötterey übereinſtimme, abgeben.* ita Celeb. *Clarkius.* Ex dictis ſimul patet, Chriſtum inter alia etiam S. Cœnam inſtituiſſe, ad unionem inter Chriſtianos conſervandam & alendam. Unde etiam Viri Docti oſtenderunt, Iſraëlitas pariter & Paganos diebus feſtis convivia inſtituiſſe, ad mutuam concordiam & ſocietatem arctioribus vinculis adſtringendam. vide *Vitringam Obſerv. S. Lib. V. cap. VII. Gürtlerum de Epulis Sacris, & Elsnerum Obſervat. Sacrarum Tom. II. pag. 106. ſqq.*

Confirmatur hæc explicatio teſtimoniis B. Zvvinglii & Bullingeri.

VIII. Quamvis autem explicatio horum verſuum ſupra data, & ſimplicitate ſua ſe ſe commendet, & cum Scopo Apoſtoli amice conſpiret, tamen, quia apud quosdam plus valet Auctoritas Virorum eruditione inſignium quam argumenta, juvat ad ſententiam noſtram confirmandam adduxiſſe duo teſtimonia Theologorum Tigurinorum *Excellentiſſimorum*, nimirum H. *Zwinglii*, & H. *Bullingeri.* Prior in Commentario ad v. 16. ſequentem in modum differit: *Primum voces deinde ſenſum explicabimus: Benedixit pro gratias egit, & benedictionem pro gratiarum actione poni in Geneſi ſæpe oſtendimus. Deinde* κοινωνία, *quam communicationem vertit Interpres, commodius hic per communionem redditur. Non enim ſignificat* κοινωνία *diſtractionem ipſam corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti, ſed nos, qui ſumus corpus Chriſti, puta Eccleſia ipſius, populus, Concio, communio.* Verba erga ſic habent; *poculum gratiarum actionis quo gratias agimus, nonne communio ſanguinis Chriſti eſt? panis quem frangimus nonne communio corporis Chriſti eſt? ut ſit ſenſus; poculum gratiarum actionis quo nos gratias agimus, quid*

quæſo

quæso aliud est quam nos ipsi? Nos enim quid aliud sumus quam ipsa communio, ipse cœtus & populus, consortium & sodalitas sanguinis Christi, hoc est ille populus, qui sanguine Christi ablutus est? Et sanguinem Christi vocat eos, qui sanguine ejus fidunt, quemadmodum Philippens. V. circumcisionem vocat, qui Spiritu Deo serviunt. Sic & hoc loco communio sanguinis Christi sunt, qui in eadem Societate gratulantur, & exultant, se Christi sanguine in libertatem adsertos esse. Quasi diceret Paulus: *Non dico quod poculum sit sanguis seu quod panis sit corpus Christi, sed quod nos omnes qui de uno pane & uno calice participamus sanguis simus Christi & corpus Christi. Panis est ergo quod edimus, vinum quod bibimus quod ad substantiam & naturam attinet: corpus & sanguis quoad significationem. Neque tamen panis vulgaris est, sed quo gratias agimus Deo pro morte filii, non quo ventrem pascimus. Hunc esse sensum horum verborum ex argumento quod hic Paulus tractat, deprehendemus. Deterret enim Corinthios ab idolorum cultu, quod longe fortius ac vehementius fit, cum dicit: Vos multo alius nobiliorque cœtus estis, quam qui debeat cum Idololatrarum caterva coire: Quam si diceret, vos communicatis corpus & sanguinem Christi, quapropter non debetis communioni Idololatrarum in eorum sacris interesse: Fortius urget, cum dicit. Quum rememorationem, collaudationem sive gratiarum actionem celebratis, nonne jam communio sanguinis Christi estis? nonne Christi populus & concio? quam si solum diceret; Quum sic benedictum panem editis, nonne corpus Christi distrahitis? omnem enim movet lapidem Paulus, ut ab Idololatrarum Societate Corinthios avellat, quod aptius non potest, quam si ostendat eos in pietatem ipsam peccare &c.*

Ad sequentem versum sic differit M. Vir: *Causas reddit Apostolus, imo exponit cur Ecclesiam & populum Christi corpus & sanguinem vocaverit: visus nimirum sibi propter troporum densitatem locutus esse paulo obscurius. Claris ergo verbis rem proponit, ac si diceret: Quum tali vos epiphonemate adorior, quum poculo gratiarum actionis gratias agimus nonne ille cœtus est communio, hoc est populus, Ecclesia, concio sanguinis Christi? Vos enim estis communio sanguinis Christi (nam istud membrum de poculo reliquit ἀναπόδοτον, sed pani addidit, parium autem idem est judicium) qui de uno calice gratiarum actionis hauritis. Et panis quem frangimus nonne communio sive corpus. cœtus, populus, Ecclesia, concio corporis Christi est? Nos enim qui de uno pane participamus & de uno poculo bibimus, in unum corpus coimus. Nemo ergo miretur, quod hanc panegyrim celebrantes communionem sanguinis Christi appellavi, hoc*

hoc est eam Ecclesiam quæ sanguine Christi abluta est. Nos enim omnes Auctore Apostolo ipso, unus panis sumus & unum corpus, non carneum Christi corpus, sed Christi Ecclesia. Hactenus B. *Zvvinglius: Bullingerus* vero noster, *Zvvinglii* dignissimus Successor, ad hunc locum ita commentatur. *Quasi de novo novam confirmationem orditur clarius firmiusque probaturus, quod Christianus nullo jure peregrinis possit communicare sacris. -- Vobiscum nunc mihi sermo, qui ob multarum rerum peritiam prudentiores estis, omniumque mysteriorum gnari. Expendite qualia sint, quæ dico; opinor autem ea fore ejusmodi, ut facile vos, nisi contentiosis esse libeat a sacris abstrahat profanis. Figurat autem interrogationibus omnia, quo essent vehementiora. Sensus hic est: nil moror quid hîc exspectent contentiosi quidam, mentem Pauli aperiam: Sacramenta, quæ præcipua Christianorum Sacra sunt, Christo & Religioni Christianæ nos incorporant, ut corpus Christi, imo membra efficiamur.* Et postquam locum quendam *Augustini* ad confirmandam suam sententiam adduxisset, pergit, dicens: *Sed quid Augustinum citamus cum hoc loco ipse Apostolus Paulus minime obscuris verbis dicat, poculum benedictionis quo benedicimus i. e. quo gratias agimus (nam id nunc vel mediocriter versatis in scripturis notum est, quod benedicendi verbum & pro laudare, & gratias agere, ponatur ad morem hebraicum) nonne κοινωνια communio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus nonne communio corporis Christi est? quod quid aliud est, quam si dixisset: Qui de pane & poculo Domini participant, communio sanguinis Christi, hoc est cœtus & Ecclesia sanguine Christi ablutorum, adeoque corpus sive membra Christi fiunt. Sed quid dicemus hîc de impiis & hypocritis: num & illi per Sacramentorum participationem efficiuntur membra Christi & Ecclesiæ?* Id omnino: *Quod & Augustinus Lib. XIX. adversus Faustum Manich. cap. 12. affirmat dicens: Veruntamen quia visibilia Sacramenta pietatis inesse etiam possunt impiis, sicut habuisse S. Baptismum etiam Magum Simonem legimus, fiunt tales, quales Apostolus ait, habentes formam pietatis virtutem autem ejus abnegantes* &c. *Eadem aliis, sed copiosioribus & planioribus idem tradit libro de Civitate Dei XXI. cap. 25. Alii vero hunc locum aliter interpretantur: sed sententiam expositionemque, quam adduximus, comprobant consequentia; Quoniam unus panis, unum corpus οἱ πολλοι tota nos multitudo sumus. Omnes enim ex eodem pane participamus, id est; ideo dixi panem esse communionem corpus in Christi, quod nos tota illa multitudo, id est tota Ecclesia, qui de uno pane participamus unum efficimur corpus spirituale scilicet corpus Christi, alterum vero membrum de poculo omit-*

omittitur, quod par sit ratio utriusque. Hunc sensum non primi huic inferimus loco, sed & eundem agnoscit Augustinus Tractat. in Joannem. Hactenus *Bullingerus.* Ex testimoniis hisce constat, sententiam insignium horum Theologorum constare sequentibus propositionibus:

1) Christianos celebraturos S. Cœnam, facta gratiarum actione, panem frangere & vinum bibere in memoriam passionis Christi.
2) Eos hac ratione testari, quod Religioni Christianæ sint addicti.
3) Communionem illam Christianorum in eo positam esse, quod integer cœtus commemorationem mortis Christi celebrans, tanquam unum corpus spirituale considerari possit
4) Non decere ideo Christianos Sacris Gentilium interesse, quia ita viderentur communionem habere cum Diis Gentilium, non vero cum Christo Jesu, cui soli nomen tamen dederint.
5) Pios pariter & impios panem frangentes & vinum bibentes passionem Christi contestari posse. Ex quo sequitur, per solam celebrationem S. Cœnæ, Christianos non participes reddi beneficiorum morte Christi partorum, sed ex aliis rationibus de hoc persuasos esse debere.

IX. In Antecedentibus ostendimus, neminem ex solo usu S. Cœnæ, & mortis Christi facta commemoratione colligere posse, se veri nominis esse Christianum, beneficiorumque, quæ morte Jesu Christi parta sunt, certo redditum participem. Quæritur hac occasione, utrum gratia quædam specialis & inusitata cum usu S. Cœnæ sit conjuncta nec ne. Dantur inter hypocritas pariter & pios qui hoc affirment. Non quæritur, utrum Deus occasione fruitionis panis & vini, & commemorationis passionis Domini nostri Jesu Christi, hypocritæ & improbo oculos mentis aperire, & gratiosa sua voluntate ad sui communionem perducere possit. Nemo de hoc dubitat, cum innumeræ viæ & occasiones sint, quibus initia conversionis hominibus suppeditare potest. Sed de hoc quæstio est; utrum cum ipsa fruitione panis & vini, mortisque Christi recordatione, insolitus aliquis Numinis favor, vel gratia quædam specialis conjuncta sint. Hypocritæ tale quid somniant nullis tamen inducti rationibus. Gentium omnium historiæ docent, homines existimasse, Deos diebus festis quammaxime propitios esse, atque eo nomine hilares fuisse. vide *Celeb. Elsnerum* ad Cap. I. v. 16. posterioris Epistolæ Petri, & citata inibi Veterum Testimonia. Idem eheu multis hodienum contingit Chri-

Quæritur utrum gratia quædam specialis ab ea, quæ regenitis omnibus communis est, distincta, cum usu S. Cœnæ sit conjuncta.

Christianis; multi Christianorum, veri nominis cultum religiosum ignorantium, ubi singulari quadam ratione beneficia divina per Christi mortem parta, enarrantur, lætitia quadam perfunduntur, quod insoliti favoris divini signum esse putant. Cumque post fruitionem S. Cœnæ audiunt in publicis precibus Deo gratias agi, quod beneficium redemtionis communicantibus concesserit, læti cum universo cœtu canunt: *Nos omnes Domine credimus* &c. cum vero veri cultus divini notitia destituantur, finem & scopum S. Cœnæ perspectum non habeant, omnibusque characteribus, quibus veri nominis Christianus ante usum S. Cœnæ instructus est, careant, inane est illud gaudium, quod occasione usus S. Cœnæ ortum est. Quod ad pios & regenitos spectat, sunt viri quidam pii & docti, qui putant, occasione fruitionis S. Symbolorum, Deum piis & regenitis singulari quodam & inusitato plane auxilio adesse. In ea sententia præter alios fuisse videntur viri *Reverendi & Celeberrimi, Calvinus & Claudius V. D. Minister Charentonienſis.* *Calvinus* enim *Institut. Lib. IV. cap. XVII.* agens de modo præsentiæ corporis Christi in S. Cœna ait: eum esse tam *admirabilem, ut mens plane cogitando nec lingua explicando par esse possit.* Rursus in eodem capite: *De modo* (sc. præsentiæ) *si quis me interroget, fateri non pudebit sublimius esse arcanum, quam ut vel meo ingenio comprehendi vel enarrari verbis queat, atque ut apertius dicam, experior magis quam intelligam. Itaque veritatem Dei, in qua adquiescere tuto licet, hic sine controversia amplector. Pronuntiat ille carnem suam esse animæ meæ cibum, sanguinem esse potum. Talibus alimentis animam illi meam pascendam offerro. In Sacra sua Cœna jubet me sub Symbolis panis ac vini corpus ac sanguinem suum sumere, manducare ac bibere. Nihil dubito, quin & ipse verè porrigat & ego recipiam.* Imo idem M. Vir alicubi asserverat, in Sacra Cœna fieri *miraculum*, quod omnes naturæ limites & omnem sensuum capacitatem superet. Cum ad hæc ultima verba provocasset Jesuita *Nuetus*, transsubstantiationi præsidium quæsiturus, sequentem in modum respondit Cl. *Claudius*, in libro huic Jesuitæ oppositio pag. 161. *Quant à cette pretendue difference entre Calvin & nous, elle ne subsistera plus, dès qu'on aura distingué l'ambiguité du terme de miracle, qui se prend quelque fois pour un oeuvre de la grace faite au dessus des loix, ou de forces de la nature, & qui est digne de l'Admiration des hommes; & en ce sens tous les Mysteres de l'Evangile & toutes les actions du saint Esprit en nos ames sont des Miracles, comme le don que le Pere nous a fait de son fils, la Redemtion que le Fils a faite de nous,*

nous, la conversion des pecheurs, le Zele & l'Esperance des fideles, la constance des Martyrs & autres choses de ce même ordre. C'est dans cette signification, que Calvin a dit, qu'il se fait un Miracle en la Cene: & en effet c'est un miracle incomprehensible que Jesus Christ daigne se communiquer a des miserables creatures, indignes de son amour. C'est un miracle aux dessus des Lois & des forces de la Nature, que notre foi soit capable de le recevoir, réellement, c'est a dire, veritablement, afin que nous le possedions avec tous ses biens. C'est un miracle que son l'Esprit descendant en nos consciences, y apporte toute la vertu de sa chair, & de son sang en qualité des causes satisfactoires & meritoaires. Enfin c'est un grand miracle, que tout cela se passe par le ministere du pain & du vin de son Sacrement, qui sont des creatures infiniment eloignées des ces grands effets. Hactenus Cl. *Claudius.* videntur præstantissimi viri ea quæ de unione mystica Christi & fidelium Joh. cap. VI. & alibi docentur, confundere cum recordatione mortis Jesu Christi, quæ fit in usu S. Cœnæ, & nescio quam gratiam particularem aut operationem insolitam Spir. S. adjungere ipsi fruitioni hujus Sacramenti. Cæteri enim Reformati de hoc argumento agentes asserunt, conjunctionem per fidem cum Christo usum S. Cœnæ præcedere debere & testari Christianos S. Cœnam celebrantes & vere tales, se communionem cum eo habere: certe ea, quæ memorantur a Cl. *Claudio* beneficia, obtingunt fidelibus non in celebratione ipsius Cœnæ etiam legitima; sed per Redemtionem Jesu Christi, aliaque beneficia, quæ ex tanto beneficio manare solent. Quod vero ad singularem illam gratiam Spir. Sancti in usu S. Cœnæ oblatam spectat, non negamus posse Deum aliquando ejusmodi beneficium piis concedere. At semper hoc cum usu S. Cœnæ conjunctum esse nego. Nescio certe, qua ratione hi aliis persuadere vellent, hoc beneficium subimetipsis obtigisse: argumentantur illi ex serenitate mentis, & gaudii spiritualis, quo nonnunquam, utentes S. Cœna, perfunduntur, perceptione: sed potest hæc serenitas oriri ex causis naturalibus & moralibus, sine inusitato illo auxilio: pii enim pro statu mentis & corporis etiam, extra usum S. Cœnæ diversimode animati sunt. Tantum vero abest, ut semper lœto sint affecti animo, memoriam mortis Christi recolentes, ut potius singularem sæpe sentiant tristitiam, quando memoriam passionis Christi in usu S. Cœnæ celebrant. Quemadmodum vero ex tristitia hac colligere non possunt & debent, ac si Deus gratiam semel donatam retraxisset, aut indigni essent, qui memoriam Christi recolerent; ita pariter

riter ex gaudio, quod sæpe hac occasione percipiunt, inferre non possunt, Deum insolito auxilio illis adfuisse. Hoc certum, ad essentiam veræ & salutaris celebrationis S. Cœnæ non pertinere illam lætitiam, quia aliâs semper adesset piis, utentibus S. Cœna. Præterea notum est, neminem sibi beneficium aliquod spirituale arrogare, aut certam de eo consequendo fiduciam habere posse, nisi Deus in verbo suo expressis verbis id se oblaturum promiserit: at nullibi promisit, se gratiâ quadam inusitata adfuturum rite utentibus S. Cœna: digne celebrantes possunt esse certi de favore Dei, quia characteribus verorum Christianorum sunt instructi ante usum Cœnæ, & in ipsa Cœnæ celebratione; quo ipso tamen negare nolumus, Deum aliquando singulari lætitia piorum animos hac occasione perfundere. Quis enim gratiosæ Dei voluntati ponet limites? Hoc certissimum est, gaudium quo aliquando occasione usus S. Cœnæ superfunduntur pii, diversissimum esse a lætitia, qua se affici jactitant hypocritæ. Hypocritarum gaudium vanum est, quia nullis fundamentis est superstructum. Neque enim usus S. Cœnæ, vel commemoratio mortis Jesu Christi, certa signa sunt, ex quibus colligere possunt, Deum se habere sibi propitium: nonnisi pœnitentibus, sincere credentibus, & studio virtutum intentis reposita sunt beneficia fœderis gratiæ. His notis cum distituantur hi homines, stulte lætantur sibi aliquid concessum esse. Pii vero sive singulari lætitia perfundantur, sive ea careant, causam tamen lætandi solidam semper habent, dum rationes lætitiæ suæ perspectas habent. *Hæc probe tenenda sunt V. D. M. monstrandumque clarissime omnibus occasionibus, inprimis in concionibus, uti appellantur, parascevasticis, stultam esse & vanissimam lætitiam Impiorum & Hypocritarum, quod sibi aliquid vindicent, cujus tamen possessione plane sint destituti. Ostendendum contra, quales characteres esse debeant eorum, qui veri nominis Christiani esse volunt extra cœnæ usum.* In id enim maxime intentus semper esse debet V. D. Minister, ut, quantum in se est, falsos prætextus, & spurias Christianismi notas ex animis Auditorum radicitus evellat; hoc enim facto demum spes est, homines, ut alios articulos Religionis, sic doctrinam de usu S. Cœnæ rite trutinaturos, & ad salutarem usum revocaturos esse.

Sed hæc sufficiant.

The-

Theſes quædam Theologicæ.

I. Si quis quæreret, quare Roma ante Romulum & Remum a nemine fuerit occupata, cauſa in promtu eſt, quia ante hos nondum fuit condita: Ita pariter ſi quis quærat, cur Transſubſtantiatio primis VIII. Seculis ab Hæreticis, qui nullum fere Religionis Myſterium intactum reliquerunt, impugnatum haud fuerit, reſpondetur, quia ignotum tum erat hoc dogma, ſi tamen dogmatis theologici nomine digna eſt propoſitio contradictoria.

II. Duæ potiſſimum falſarum S. Scripturæ interpretationum cauſæ mihi eſſe videntur. Prior eſt ſtudium partium & amor Sectæ. Poſterior in eo poſita eſt, quod, quæ in S. Literis certo quodam perſonarum circumſtantiarumque reſpectu dicta ſunt, pro generalibus venditentur propoſitionibus.

III. Abſurdum eſt dicere Scripturæ auctoritatem ab Eccleſiæ teſtimonio dependere, cum tota Eccleſiæ auctoritas non aliunde, quam ex Scripturæ teſtimonio probari poſſit. Ita vero dum ratiocinantur Doctores Eccleſiæ Romanæ, manifeſte circulum committunt.

IV. Si Doctores Eccleſiæ Romanæ perſpicuis argumentis probare poſſunt, Traditiones, quas venditant, a Chriſto vel Apoſtolis revera ortum ducere, easque tales eſſe, quæ ad conſequendam ſalutem cognitu ſint neceſſariæ, eas lubenti animo admittent Proteſtantes.

V. Qui pro arbitrio ſuo ubique in S. Literis venantur allegorias, non male aſſimilantur iis, qui ſibi quorumvis animalium figuras in nubibus depictas imaginantur.

VI. Qui errantes minis, vi, ac ſuppliciis ad cognitionem veritatis adducere volunt, non minus ridicule agunt ac illi, qui urbem probe munitam Syllogiſmis expugnare vellent.

VII. Quæſtio, num poſt hanc vitam homines vel felices vel infelices futuri ſint, huc redit: an detur Deus & religio.

VIII. De uſu & abuſu Syſtematum theologicorum ſubſcribo iis, quæ de hoc argumento differit *Clariſſimus Tübingenſium Theologus Ch. Eb. Weismannus Inſtitut. Theolog. Dogmatico-Exeget. p. 27.* verba ita ſonant: De methodo ſyſtematica & artificiali certum eſt, eam habere ſua commoda & incommoda. Commoda eſt docentibus & diſcentibus collectio veritatum ad certa capita & locos, & ipſius nexus

veritatum inter se inspectio. Incommoda vero & mala sunt hujus methodi, cum nimis quæsita est & affectata; cum magnam farraginem curiosarum & inutilium admiscet, quæstionum, cum terminis & phrasibus difficilibus ac spinosis simplicitatem ac perspicuitatem Theologiæ turbat, cum denique vel nullam, vel non sufficientem habet rationem discentium gradatim ad veritates revelatas deducendorum, ac nimia sua vastitate & amplitudine distrahit eorum animos, nondum sæpe in minoribus fideles & exercitatos.

IX. Sententia *Spinozæ* de Deo & rerum omnium origine tam est absurda & monstrosa, ut capi non posset, qua ratione quis illi subscribere serio animum induceret, nisi dudum compertum esset, nihil esse tam absurdum, quod a quibusdam Philosophis defensitatum non fuerit.

X. In rebus ad salutem æternam pertinentibus unusquisque sibimetipsi Theologus esto.

XI. Recte laudat ὁ Μακαριτης *Celeb. Heideggerus* Hist. Patriarch. Parte II. Exercit. VIII. verba *Hakspanii*, qui notis ad Genes. XIX. v. 24. occasione *Calvini Judaizantis Ægidii Hunnii*, ita scripsit. *Possumus, imo debemus ferre alios Christianos modeste vel ambigentes, vel dissentientes, neque Judaismus aut Turcismus in re tam perplexa aliis objici debet. Abundet potius quilibet suo sensu. Vix in manifestis aliquid obtinemus contra præfractos Judæos, quid fiet in re tam obscura, & ubi non sine exemplis Hebraismum jactare possunt.* Mihi hac occasione in mentem venerunt verba P. *Baylii*, qui in Lexico suo voce *Hesbusius* postquam mentionem feciset libelli *Hunnii*, sequentem in modum pronuntiat: *C'est une injustice impertinente, que d'imputer à un homme les Hérésies dont ses Adversaires l'accusent dans la chaleur de la dispute. Hunnius, Auteur Lutherien, n'a-t-il pas fait un assez gros Livre, où il se vante, de convaincre de Judaïsme Jean Calvin? Ne faudroit-il pas être fous pour en conclure que Jean Calvin a judaïsé.*

XII. Recte scripsit Cel. *Placette* in Tractatu de Justificatione: Tantum abest, ut liceat concludere: sum justificatus; ergo quantumvis non habeam sanctificationem, tamen salvabor: ut potius ita sit arguendum: Nonsum sanctificatus, E certum est me nec justificatum.

XIII. Utrum serio an per jocum *Nobilissimus Steele* asseruerit, dissensum inter Ecclesiæ Rom. Doctores, & inter Protestantes de infallibilitate Ecclesiæ in eo consistere, quod nimirum Pontificii Doctores asserant Ecclesiam suam esse infallibilem; Protestantes vero contendant, Ecclesiam suam non quidem esse infallibilem, sed tantum eam nunquam errare, prudentioribus discutiendum relinquo.

Adspira

Adſpira tu rerum omnium Conditor Domine ac Pater, & omnes ignorantiæ paſſionumque nebulas ab utraque parte ſic diſcute, ut aliquando graſſantes aquas, adducto vehementi vento in fugam vertiſti, ac almæ telluri feciſti pullulandi germina ſua copiam. Satis ſit oro diſſenſum: ſatis tumultuatum: ſatis ſævitum: Orere gratiſſime Lucifer, protinus juſtitiæ ſol emica. Cum enim contenditur negligitur ſanctimonia, quam unice a nobis requiris. Vides ut a contentione nunquam redeamus meliores: eſt enim carnis opus, a qua nemo regredi citra maculam poteſt. Contra, qui ab ea ſunt alieni nunquam non fuerunt optimi. Ab eo igitur nos abſtine, ut nervos omneis, quos alioquin ad certandum intendimus, ad virtutis opus accingamus. Ita B. Zvvinglius in Præfatione Expoſitionis Euchariſtiæ negotii ad M. Lutherum.

MEDITATIO SACRA,

COMPLECTENS SALUTARIA QUÆDAM MONITA, AD VERUM ET LEGITIMUM

S. CŒNÆ

USUM PERTINENTIA.

PARS POSTERIOR.

Sect. XI.

Repræsentatur secunda causa externa, quæ impedit, quo minus multi rite S. Cœnam celebrent.

PRæter primam illam causam externam supra allatam, qua homines inducuntur, quo minus rite S. Cœnæ Sacramento utantur, accedit *secunda*, per quam nonsolum efficitur, ut multi minus recte S. Cœnam celebrent, sed & sæpe aliquando prorsus ab ejus usu abstineant. Atque hæc in eo posita est, quod nimirum sæpe oratores Sacri, vel asceticorum libellorum Auctores, optimo quidem fine, sed mea opinione minus prudenter, ubi de statu digne communicantium, aut de requisitis eorum, qui rite præparati ad usum S. Cœnæ accedere volunt, agunt, ita negotium hoc exaggerent, ut homines rite S. Cœnam celebraturi sibi persuadeant, tales nulla plane peccatorum labecula oportere esse contaminatos. Et profecto tam incaute sæpe differunt quidam & scribunt, ut putares, Deum hominibus, sincere recordationem mortis Jesu Christi in S. Cœna celebraturis, insidias ubique & quasi laqueos parasse. Hinc tantus sæpe piis incutitur terror, ut vel plane S. Cœnæ celebrationem omittant, aut si ea utuntur, aut exiguum, vel nullum solatium ex mortis Christi contemplatione, quæ gaudium tamen maximum in animis verorum Christi Sectatorum excitare deberet, percipiant. Perperam quidem illi, qui propterea ab usu S. Cœnæ sese absterreri

sterreri patiuntur, agunt: at qui sine prudenti circumspectione ita de hoc argumento disserunt, ansam huic errori suppeditant. Sunt enim inter pios plane multi qui exacta rerum divinarum cognitione carent: sunt quidam natura timidiores, & atra aliquando bile laborantes. Hi ubi audiunt, tam exasciatam & omnibus numeris absolutam requiri pietatem ab iis, qui rite S. Cœna frui velint, terrentur, & præstare putant, si eam non celebrent. Quo ipso tamen contra disertum Christi præceptum, qui S. Cœnam in sui memoriam instituit, peccant, & impediunt, quo minus commemoratione mortis Jesu Christi, quæ in usu S. Cœnæ præcipua quadam ratione recolitur, ad majus pietatis & amoris Christi studium excitentur. Verum est, Incumbit verbi divini Ministris, ut quavis data occasione Christianis officia pietatis tam generalia quam specialia rite repræsentent, Religionis Christianæ dignitatem & præstantiam vivis coloribus depingant, omnibusque qui religionis amore tacti esse debent, ostendant, quanta pericula sibimetipsis concitent illi, qui frequenter sine devotione S. Cœnæ Sacramento utuntur. Recte hæc omnia dicuntur: at semper tamen etiam in gratiam vere piorum & characteribus verorum christianorum instructorum monendum est, pietatem & virtutem hominum regenitorum in hac vita esse imperfectam, neque eam tamen impedire, quo minus illi vera membra Christi sint, atque adeo alacri animo ad S. Cœnam celebrandam accedere & possint & debeant.

Hæc porro nimis rigida Christianorum, digne S. Cœna utentium repræsentatio, nonsolum terret sæpe multos pios, & ab usu S. Cœnæ arcet, sed & efficit, ut homines vitiis dediti, vel celebrationem ejus publicam omittant, vel eam minus digne celebrent, atque ita mediis, quibus ad virtutis studium excitari possent, se ipsos privent. Homines etsi vitiis multis contaminati sunt, ubi tamen ad S. Cœnæ usum accedendum esse norunt, conscientiæ quibusdam stimulis terrentur, quibus vocibus, si vacivas aures præberent, induci possent, ut in se descenderent, & de vitæ mutatione serio cogitarent. Quemadmodum enim per præconium Evangelii & lectionem sermonis sacri, Deus homines ad se revocare potest, gratia sua accedente; ita etiam per usum S. Cœnæ hoc idem præstare potest. Dum vero impii Cœnæ S. celebrationi interesse nolunt, Conscientiæ stimuli magis magisque negliguntur, & callum sæpe obducit mens eorum; præterea, dum audiunt, tantam tamque perfectam requiri in iis, qui recte S. Cœna uti volunt pietatem, simul vero ad aliorum hominum mores,

vitamque attendunt, putant, impossibile esse, ut quisquam in eo statu esse possit : unde colligunt, perinde esse, sive S. Cœna utantur vel non utantur, aut qua ratione tandem eam usurpent. Hoc experientia certum, testimoniisque Virorum præstantissimorum, qui quid praxis pietatis & prudentia Ecclesiastica deposcat, accurate perspectum habent, ne quis forte, quæ dicta sunt, opinationi meæ tribuat, confirmatum est. Juvat igitur eorum adduxisse testimonia. B. *Bullingerus* ad verba illa Pauli 1. Corinth. XI. *probet se ipsum*, postquam qualis illa præparatio esse debeat, brevibus, sed nervosis verbis exposuisset, ita pergit. *Sunt qui hisce verbis abutentes, miseros mortales nimium territant, adeoque ab ipsa Cœna prorsus abigunt, quorum imprudens perversaque severitas, nemini cordato probari potest. Nam ut Clementia & Beneficentia Dei hactenus commendanda est hominibus, ne illam in peccandi licentiam convertant ; sic justitia & ira Dei eo modo inculcanda est, ne quem infirmum ad desperationem abripiat.* Παντων μεσον ἀριστον. *Prædicanda ergo peccatorum remissio, erigendæ infirmorum mentes, confirmandæque vacillantium. Interim vero & timor & reverentia Numinis omnibus inserenda est, ne quid temere, ne quid agant neglectim, ne quid instituant, quod institutioni Christi adversum sit, vel non omni parte respondeat. Posteaquam animus integer, & uni Deo in Christo addictus, atque ad hunc modum fuerit institutus, tametsi morbo, infirmitate carnis nonnihil laboret, in fide tamen bonitatis divinæ cum reverentia accedere licet. Acerba enim illa in eos dicuntur, qui ut peregrinis Sacris erant commaculati, ita luxu conspurcabant Cœnam Christi, & dissidiis conturbabant totam Christi Ecclesiam. Proinde Incredulitas magis, quam infirmitas peccatorum exploditur. Reverendissimus Archiepiscopus Cantuarienfis Tillotsonius in Sermone de frequenti Communione*, pag. m. 232. Tom. III. ita de hoc argumento loquitur. *Il est d'autant plus necessaire de leur* (de Christianis loquitur) *donner une juste idée de leurs devoirs sur cet article, que les discours imprudens de quelques personnes de notre Siecle, sur la nature de l'Eucharistie, & sur le danger de la recevoir indignement, ont fait naître dans les esprits des craintes & des scrupules, jusques à empêcher plusieurs personnes de communier jamais & en rebutter beaucoup presque tout le monde.* Et pag. 149, in eodem sermone ait : *Entre plusieurs suites fâcheuses des desordres passés de nôtre Nation, celle-ci n'est pas la moins deplorable que dans plusieurs Assemblées religieuses du Royaume, les Chrêtiens ont été généralement desaccoûtumés & rebuttés de la Sainte Cene, sous prétexte, qu'ils n'y étoient pas assés bien preparés, & qu'ainsi ils couroient*

roient grand risque de la reçevoir indignement : d'où l'on a conclu, qu'il valoit mieux ne point communier du tout. Delà il est arrivé, que dans un grand nombre de lieux on a presque entierement oublié cette grande & solemnelle Institution de la Religion Chrêtienne, comme si elle n'étoit plus de saison. His succedat Venerandus *Osterwaldius* ante paucos menses Cœlitum choro adscriptus. Is in libello optimæ frugis plenissimo, cui titulus: *Source de la corruption* &c. capite ultimo, sequentem in modum de hoc argumento pronuntiat. *Je ne crois pas me tromper, si je dis, qu'une des choses, qui fait, que bien des Gens communient & vivent mal, c'est l'idée trop sevére, que quelques livres donnent de la Communion. C'est une chose affligeante, que l'on ait rempli l'esprit des Chrêtiens de tant de scrupules à l'égard du S. Sacrament par des discours inconsiderés, & par des maximes outrées. Les Auteurs & les Prédicateurs parlent quelquefois du St. Sacrament, comme si tout étoit plein des piéges, comme si l'enfer & la damnation y étoient préparés. Ils représentent la communion comme une action si extraordinaire, si difficile, si périlleuse, que ceux qui lisent, ou qui entendent ces discours, sont tentés de s'éloigner de la sainte table, & desespérent d'y participer comme il faut, En sorte qu'au lieu que tout devroit être dans la joye, lors que l'Eucharistie se celebre dans l'Eglise, plusieurs sont dans des inquiétudes, & dans des frayeurs extrêmes. Cette sévérité indiscrete est cause, que plusieurs gens de bien communient sans consolation; parce qu'ils ont la conscience travaillée de divers scrupules que la lecture de ces livres a fait naître. Il y a un grand nombre de bonnes ames, qui ne communient jamais sans être dans des allarmes & dans des frayeurs inconcevables, jusques-là que plusieurs croyent communier à leur condamnation. Cela fait même, que plusieurs pécheurs qui auroient quelque disposition au bien, & quelque desir de travailler à leur conversion, s'en degoûtent. On doit se donner garde de flâter les pécheurs dans leurs vices & de leur proposer une Devotion ou une Morale relachée. J'approuve, qu'on leur donne une grande idée de la pureté, qui est requise, dans une action aussi sainte & aussi solemnelle que la Communion, & de l'état ou doit être un vrai Chrêtien. Mais, comme on ne parvient à cet état de pureté & de sainteté que par degrés, cette idée, toute juste qu'elle est, pourroit effrayer un pécheur, qui est dans le commencement de la conversion: parce qu'il ne trouvera pas d'abord en lui tous les characteres d'une véritable repentence, & d'une sincere regénération. Il faut donc l'avertir, que les commencements de la repentence sont foibles; qu'elle a ses degrés & ses progrès; qu'ainsi il ne doit pas perdre courage, & que Dieu agréera*

sa

ſa Devotion & ſes efforts, moyenant que ſa repentence s'augmente dans la ſuite, & qu'il renonce de bonne foi à ſes péchés. On oûtre les choſes en matiere de Devotion ou de Morale, non-ſeulement quand on debite des maximes trop rigides, mais auſſi lors, qu'en ne diſant rien, qui ne ſoit vrai & conforme à l'Evangile, on ne s'accommode pas à l'état des perſonnes, a qui on parle. Hactenus præſtantes illi Theologi. Ex quibus ſine monito meo V. D. Miniſtri colligere poſſunt, quid cavendum & quid contra agendum ſit.

Monita quædam ad locum Pauli ad Corinthios c. XI. v. 27-33.

XII. Ea quæ in antecedenti theſi dicta ſunt, nobis in memoriam revocant commemorabilem locum Apoſtoli Pauli, in prima ſua ad *Corinthios* epiſtola Cap. XI. Hunc vero, cum pii tum impii minus recte ſæpe interpretentur, quædam ad eum monenda eſſe putamus. Solent nimirum Oratores ſacri, ubi de neceſſitate præparationis ad ſacram Cœnam agere ſolent, ad metum incutiendum iis, qui indigne S. Cœna utuntur, provocare ad locum hunc Pauli, idque non ſine ratione, cum quia de neceſſitate explorationis, tum vero etiam de pœna agit extraordinaria, Corinthiis Cœnam ſacram indigne utentibus, inflicta. Animus autem non eſt, verſiculos illos omnes ſingillatim explicare, quia id ſatis ab Eruditis factum eſt Interpretibus. Quædam duntaxat ad Inſtitutum noſtrum facientia, adducemus. Nimirum aliquid monendum de pœnis indigne S. Cœnam uſurpantibus in flicta; de voce ἀναξίως, & de δοκιμασια, quæ inſtituenda eſt rite hoc ſacramentum uſurpaturis. Ex verſu trigeſimo conſtat, Deum extraordinaria quadam ratione per morbos, & quidem uti B. *Zwinglius*, J. *Altingius* & alii exiſtimant, per peſtem, manifeſtum facere voluiſſe, quam male agant illi, qui indigne ad S. Cœnæ uſum accedant, imo quosdam repentina nece e vita fuiſſe ſublatos vox κοιμῶνται oſtendit. Vocem κοιμᾶσθαι non tantum Græcis & Latinis, ſed & Hebræis denotare *mortem*, viri docti dudum probarunt: vide loca collecta a Cl. *Vorſtio* de *Hebraismis N. T.* pag. 198. ſeq. Eo autem fine, uti ex verſu 33. hujus capitis conſtat, hæ pœnæ inflictæ, ut nimirum Chriſtiani cæteri celebraturi S. Cœnam, in ſe deſcendant, remque attentione digniſſimam eſſe memoriam mortis Jeſu Chriſti perſentiſcant, factaque ſeria reſipiſcentia ob peccata commiſſa, devota poſtmodum mente tanti beneficii memores ſint. Quamvis autem negare nolimus, Deum etiamnum indigne celebrantes S. Cœnam, morbis afficere poſſe, id tamen ordinario non fieri, oſtendit quotidiana experientia. Habuit ſine dubio Deus ſapientiſſimas ſuas rationes, cur pœna adeo gravi indigne

digne utentes S. Cœna, adficeret. Primo illo Apostolico ævo Deus Apostolis multa extraordinaria ut dona, sic & pœnarum genera concessit, ut omnibus manifestum esset, Evangelium de Christo Jesu, rem esse divinissimam & attentione dignissimam, Apostolosque Viros esse Deo probatos, ut quos religionis ipsius præstantia commovere non posset, sensus ipse persuaderet.

Tales autem pœnæ infligebantur iis, qui ἀναξίως S. Cœnam celebrabant. Quæritur autem in quo peccatum illud constiterit: Duplici respectu dici potest, quod quidam Corinthiorum ἀναξίως accesserint ad mensam Domini. In genere quidem, quod non ea religione & mentis devotione, quam dignitas ipsius rei, id est mortis Jesu Christi commemoratio, deposcebat, Sacram Cœnam celebrarent. In specie vero, uti ex versu 27. 18. 21. & 22. hujus capitis constat, in eo potissimum peccabant, quod nimirum in agapis, quibus utebantur, varii excessus fuerint commissi, quod pauperes, qui ad celebrandam una S. Cœna accedebant, despexerint, quodque litibus & contentionibus inter se mutuo fuerint distracti. Ad phrasin δοκιμαζειν ἑαυτον hoc unum notamus, quod illa δοκιμασια nonsolum sui explorationem sed & approbationem denotet; frustra enim illa exploratio institueretur, si facta exploratione, qualiscunque tandem conscientiæ & mentis futurus fuisset status, nihilominus tamen secure ad S. Cœnam accedere licuisset. Paucis hisce breviter explicatis, quædam sunt adjicienda monita, quia pii pariter & impii circa hoc argumentum aliquando errare solent:

Et (1) quidem homines, quibus Religio parum curæ cordique est, eo, quod hodienum indigne Sacra Cœna utentes, nullis externis adficiantur pœnis minime colligere possunt, se se impunitos propterea abituros. Certe ex versu 27. clare patet, abutentes S. Cœna peccare contra J. Christum, pretiosumque meritum sanguine suo partum. Quod si nihil disertis verbis de hoc extaret in S. Literis, natura tamen rei doceret, homines S. Cœnam modo indigno celebrantes, graviter peccare. Omnes Christiani, qui naturam Religionis christianæ rite perspectam habent, fateri tenentur, mortem Soteris nostri præcipuum illud Religionis christianæ dogma esse, quod sanctitatem & præstantiam illius patefacit. Notum insuper est, ex illo dogmate excellentissima & ponderosissima ad veræ pietatis studium peti incitamenta. Ex quo manifestum est, eos, qui ἀναξίως idque frequenter, S. Cœna utuntur, nullo amoris J. Christi tactos esse desiderio, & memoriam

mortis Jesu Christi, ejusque efficaciam, parum pie recolere, adeoque id, quod ad veram pietatem necessario requiritur, turpiter negligere. Neque enim hic tam ad externa signa, quam vero ad objectum, ejusque dignitatem est respiciendum. Præterea fieri aliter non potest, quam ut is, qui frequenter sine devotione affectuque pietatis S. Cœna utitur, sensim sensimque habitum contrahat, sanctissima quæque Religionis officia transgrediendi. Credibile insuper non est, hominem vera pietate ornatum esse posse, qui negotium, quod Optimus Soter ad optimum, sanctissimumque finem instituit, adeo parum æstimat. Unde etiam videmus eos, qui sine pio cordis affectu S. Cœnam celebrare solent, non tantum in hac parte religionis peccare, sed & aliis esse deditos vitiis. Ex quo manifeste sequitur, eos, qui minus digne & religiose S. Cœnam celebrant, animos suos data opera adversus pietatis studium obfirmare, atque ita æternum exitium sibimetipsis, nisi resipiscant, attrahere.

(II) Quædam etiam de hoc argumento monenda sunt propter pios, vero Dei amore incensos. Nimirum solent illi aliquando vehementer angi, quando S. Cœnam celebraturis non adest ille mentis vigor, quem desiderant, neque criteria regenerationis tam vivide, uti quidem vellent, sentiunt. Hi edocendi sunt, obtingere ipsis in hoc negotio posse, quod in præstatione aliorum pietatis officiorum sibimetipsis evenire sciunt: nimirum ob rationes physicas & morales, pii etiam, languore quodam mentis corripi possunt, quod tamen non impedit, quo minus inter veri nominis Christianos referantur, cum radix amoris divini altissime cordibus infixa sit, & post aliquod temporis intervallum, redeat in præcordia pristina illa & mascula virtus. Tales, si modo certo tales sunt, oratione gravi & circumspecta erigendi. Nam si quis æternum sibi exitium propterea attraheret, quod semel vel bis minus devote ac par erat, & ipsemet obtasset, sacra Cœna usus esset, pauci essent numero pii, qui certam consequendæ remissionis peccatorum spem habere possent. Accedit, quod pii non tantum a habitu vitiorum sint liberati, sed & quod per universam vitam ad actiones suas attendentes, si qua in re deliquerunt, a Deo remissionem peccatorum petant, & in posterum ab illis peccatis sibi caveant. Hinc dubium non est, quin, si aliquando minus rite parati memoriam mortis Jesu Christi celebrarunt, veniam a Deo obtenturi sint. Hæc vero caute & circumspecte a V. D. Ministris insinuari debent, ne impii & Hypocritæ inde ansam arripere possint, abusum S. Cœnæ excu-

sandi.

sandi. Quemadmodum enim nimius rigor, pios potest terrere & in maximos conjicere animorum angores: ita contra minus circumspecte adhibita solatia multos in vitiis obfirmare possunt; quod illis potissimum obtingere solet, qui in transitoria quadam mortis Christi meditatione, asceticorum libellorum lectione & externa tantum honestatis observantia sine fixo & firmo proposito, vitiis nuntium mittendi, piam S. Cœnæ celebrationem positam esse existimant.

(III) De δοκιμασια, quam Apostolus Corinthiis commendat, pluribus non agam; quandoquidem illi qui libellos de vero usu S. Cœnæ scripserunt, prolixe hanc materiam tractare solent. Unum tantum aut alterum observasse non inutile erit. Et (1) quidem crediderim δοκιμασιαν illam Corinthiis injunctam, distinguendam a δοκιμασια illa speciali, quam Christiani omnes, qui salutis suæ certi esse cupiunt, instituere debent. Ex iis quæ Paulus narrat, apparet, fuisse homines quosdam inter Corinthios exiguo amore religionis tactos & parum de divina origine institutionis S. Cœnæ persuasos. Ritus forte ille nimis simplex videbatur hominibus, qui apparatu splendidarum Cærimoniarum olim delectabantur. Paulus igitur vult, ut debita in posterum cum reverentia ad mensam Domini accedant, atque probe ad dignitatem rei, per symbola repræsentatæ, attendant. (2) Pro certo ponunt Reformati, idque integro capite probat Vir Ethicæ Christianæ callentissimus B. *Placetta*, nonnisi regenitos & vere pios, rite S. Cœna uti. Quando vero & hi seipsos jubentur δοκιμαζειν, videndum est, in quo illa consistat: mea opinione distinguenda est δοκιμασια illa in *generalem* & *specialem*. Generalis præstitu est facilis, neque longam illam & operosam in libellis asceticis præscriptam requirit disquisitionem & exercitationem: Cum enim pii certo sciant, se iis a Deo esse ornatos dotibus, quæ a veri nominis Christianis postulantur, neque sine hac persuasione certum de statu suo felici ferre possent judicium, manifestum est hoc examen facile absolvi posse. Ad specialem vero δοκιμασιαν instituendam, majori mentis attentione, & contentione opus est. Nimirum pii inter se diversi sunt, cum respectu cognitionis rerum divinarum, tum respectu progressuum in studio pietatis. Priores sedulo attendere debent, utrum curam aliquam habuerint aliquos in solidiore rerum divinarum cognitione faciendi progressus, nec ne: utrum firmiter adhæreant iis veritatibus, sine quibus salutaris fides consistere non potest. Qui vero in cognitione & virtutum Christianarum exercitio altius sunt progressi, attendere sedulo debent utrum subtilioribus

bus vitiis, desideriis, & tentationibus fortiter restiterint nec ne; utrum eos forte non aliquis occuparit languor. Solet enim optimis etiam aliquando obrepere somnus. Quocunque autem in statu sunt pii, firmum debent habere propositum, mortem Jesu Christi pia mente recolendi, Christum Soterem suum occasione usus S. Cœnæ supra omnia magis ac magis amandi, & sanctissima Ejus præcepta sincere & sedulo custodiendi. (3) Ubi V. D. Ministri de præparatione ad S. Cœnam verba faciunt, ad Auditorum diversitatem probe attendere debent. Sunt enim in cœtibus omnibus Viri vere pii & masculo amore Soteris incensi; sunt debiles valde, tum respectu cognitionis, tum progressuum in pietatis studio; sunt securi, sunt vitiis omnis generis dediti, sunt tandem qui uni alicui vitio adhæresunt. Quæ vero circa hoc argumentum extrema vitanda sint, pie, prudenter, & docte monuit Ill. *Tillotsonius* in sermone sacro supra laudato. Quomodo agendum in specie cum piis, pui scrupulis conscientiæ commoti, sacram cœnam sumere nolunt, docte & prudenter ostendit, *Venerandus & Doctissimus Roques Pastor Ecclesiæ Gallicæ Basileensis dignissimus, in libro, cui titulus: Tableau de la conduite du Chrétien.*

Agitur de fine & usu S. Cœnæ.

XIII. Cum S. Cœna a Christo ipso, tanquam ritus inter Christianos usurpandus, sit instituta, non melius de vero ejus usu possumus edoceri, quam si ad finem, propter quem Sacramentum illud instituit Servator, attendamus. Jam vero non perplexis, sed clarissimis verbis affirmat, S. Cœnam ad memoriam mortis suæ celebrandam potissimum esse institutam. Idem affirmat Apostolus Paulus. *Præcipuus* igitur usus S. Cœnæ in debita mortis Jesu Christi commemoratione consistit. Mirum est igitur, quosdam asseruisse, nimis diluta esse ea, quæ pag. 17. & 21. dissertationis meæ, de fine S. Cœnæ dixeram. Debuissent homines, qui tot se systemata theologica legisse jactitant, memores duntaxat esse eorum, quæ olim juvenes legerunt in Medulla Heideggeri loco XXV. ubi de Sacramentis agit. Ibi enim totidem verbis dicitur; *principalem* finem S. Cœnæ esse mortis Christi memoriam. Et ante eum B. *Bullingerus* in Commentario ad 1. Epist. ad Corinth. cap. XI. v. ita inquit: *Sacrum hoc quod hic instituit, in memoriam instituit mortis suæ. Hinc enim toties, ingeminat, hoc facite in mei memoriam, mei inquam, qui pro vobis in mortem traditus sum: recte ergo meminit ejus temporis & noctis, in qua traditus est. Primas enim in hoc Sacro mystico tenet mors Christi.* Et de Cœna Domini Decad. v. Serm. IX. ita loquitur: *Institutam dicimus a Domino Cœnam, ut*

ut ea mortem suam retineret in memoria, ne unquam oblivione obliteraretur. Est autem mors Christi compendium omnium beneficiorum Dei. Ergo vult in memoria retineri beneficium Incarnationis, passionis, redemtionis, amoris seu dilectionis. Licet autem memoria peragatur rei præteritæ, nempe mortis, ea tamen ad nos maxime pertinet & vivificat. Neque putabimus hunc esse postremum finem. Nullus enim NB. *tam diligenter ac hic est expressus. Semel enim & iterum dicit Dominus: hoc facite in mei memoriam. At ritus ille sacer & actio illa sacra verbis vel prædicationi de morte Christi & redemtione humani generis conjuncta, mirum est quam renovet subinde beneficium, neque in oblivionem venire atque intercidere patiatur.* Quod si homines illi acuti ingenii, qui censuræ suæ mea dicta subjicerunt, rite perpendissent, quid sit mortem Domini celebrare, forte mecum fassi essent, id esse *primum illud & præcipuum* in usu S. Cœnæ. Qui enim de morte Jesu Christi rite & pie meditatur, singulas circumstantias hujus mortis, simul vero innocentiam Soteris animo repræsentat, intime persuasus est ante omnia de peccatorum suorum gravitate; ea dolet & propterea vehementer angitur: necessarium, propter virium humanarum imbecillitatem esse credit, ut Deus ipse medium reconciliationis commonstret: Qui rite mortem Domini celebrat, agnoscit, Jesum Christum, θεανθρωπον pro peccatis mortem obiisse cruentam, & ignominiosam: hanc mortem Filii Dei pro indignis peccatoribus obitam, tanquam unicam reconciliationis suæ cum Deo causam respicit. Ad hanc mortem, tanquam ad sacrum aliquod asylum confugit; in ea spem unicam suæ salutis & certam remissionis peccatorum fiduciam ponit: Jesum Christum per externa Symbola panis & vini in S. Cœna repræsentatum, non solum tanquam præsentem pia mente intuetur, sed & Deo Patri gratias agit pro tanto beneficio: *Sic enim sumus a Deo comparati, ut ea, quæ nobis vehementer cordi sunt ea aut vix admodum aut omnino nunquam ex animis nostris elabantur. Ex quo fit ut apud Ciceronem neget aliquis, quemquam unquam tam fuisse oblivioſum, ut non recordaretur, quo in loco thesaurum condidisset: verba sunt* Celeb. *Amyraldi* dissertat. de *usu* & *necessitate S. Cœnæ.* Mortem Jesu Christi in S. Cœna repræsentatam, non tantum tanquam unicam salutis anchoram, sed & tanquam vinculum gravissimum, & incitamentum præstantissimum suæ erga tantum Soterem obligationis, gratique erga Eundem animi, intuetur: Quanquam extra S. Cœnæ usum meditatio mortis Jesu Christi pii hominis animum vehementer ad pietatis studium incendit, fatendum tamen est, men-

mentem ejus singulari quadam ratione per repræsentationem Symbolorum a Christo ipso institutorum, percelli: Nonnunquam etiam mens in contemplatione mortis Jesu defixa, incredibili quodam solatio perfunditur; & si solatium illud non semper, uti vellet, sentit, seria tamen illa meditatione mortis Jesu Christi officii sui monetur, & illi calcaria ad pietatem adduntur: meditatio hujus mortis eum ad fraternum amorem, omnibus hominibus, piis præsertim, Dei atque Christi amore incensis, præstandum incitat. Contemplatio insuper seria hujus mortis, conjuncta est cum sanctis suspiriis & precibus eum in finem a pio homine fusis, ut opus regenerationis, quod per Spiritum Sanctum vi meriti Jesu Christi obtentum est, magis magisque adaugeat, corroboret, confirmet & perficiat: Tandem homini S. Cœnam rite celebranti inest, non leve & transitorium sed fixum & serium propositum, Christum Jesum Soterem suum magis magisque amandi, vitiis nuntium mittendi, & quantum naturæ humanæ fragilitas patitur, ad perfectionem grassandi. Hæc omnia ad veram & salutarem mortis Jesu Christi in S. Cœna celebrationem requiruntur. Dicant ergo illi, qui se rectius de hoc argumento sentire jactitant, quid tandem amplius ad veram & salutarem illam mortis Christi in S. Cœna recordationem requiratur, & an non homo Christianus, ita mortem Christi extollens omnia illa præstet, quæ ad piam illius celebrationem requiruntur? Iubens ego ab homine quocunque, Theologiæ gnaro, si erro, meliora edoceri cupio. Eadem ratione de hoc argumento locuti sunt Reformatores nostri, Viri præstantissimi, *Zwinglius*, *Oecolampadius*, & *Bullingerus*, quos duos priores contra varios Calumniatores, qui disseminabant, Reformatores nimis tenuiter de S. Cœna sentire, atque suis explicationibus omnem salutarem usum S. Cœnæ demere, defendit *Bullingerus* in *Comment* ad 1. Epist. ad *Corinth.* cap. XI. pag. 208. & sq. Verba *Bullingeri* sic sonant: *Ne quis, inquit, in signi, Symboli, memoraculi, figuræ, repræsentationis, significationisve voces impingat, quasi de Sacramento corporis & sanguinis Domini nihil augustius sentiamus quam de signis communibus, nempe quod hæc locutio: Hoc est corpus meum, nihilo augustius sit, quam si quis de signo vel statua Socratis aut Herculis dicat, hæc est Socrates vel Hercules, & quod in hac Cœna sacra nuda tantum signa, id est nonnisi Communem panem & vinum commune edamus & bibamus, palam testamur, nos de sacris religiose, & ratione quadam sacra loqui. Præcipuum in hac Cœna est, quod peccata nostra expiarit Christus sanguine fuso, quod carne & sanguine suo animos nostros pascit & reficit:*

brevi-

breviter quod se se totum nobis offerat fruendum, id quanquam a solo Dei Spiritu percipiatur, attemperavit tamen se nobis ad nostrum captum, nostramque imbecillitatem divina bonitas, qua factum est, ut cum non solo spiritu, sed carne & spiritu constemus, illa nobis invisibilia & cœlestia dona per res visibiles obtulerit, adeoque oculis ipsisque sensibus objecerit. Proinde corpus quidem nostrum edit panem visibilem, sed ipsa mens nostra, nisi absit fides, verum Domini corpus quod nobis a Deo datum ac in mortem traditum, credimus. Recte enim Veteres dixere, Sacramentum esse invisibilis gratiæ visibile signum. Itaque nos in Cœna mystica non nudum duntaxat signum agnoscimus, sed ipsum Domini corpus & sanguinem mysticum. Id quod & felicis memoriæ Viri eruditione & pietate clari, Ecclesiæ Christi lumina, fratres & præceptores nostri fidelissimi, Huldricus Zwinglius, Tigurinæ Ecclesiæ & Joannes Oecolampadius, Basilienses Ecclesiæ Episcopi, agnovere. Productis dein in medium locis clarissimis *Zwinglii* & *Oecolampadii* ex quibus constat, eos recte de hoc argumento sensisse, & locutos. pag. 210. ita colligit: *Ex his vero magnorum Virorum testimoniis intelligis, quod sit hujus cœlestis convivii ingenium, quod institutum, quæ vis, & natura: vides præterea quam sancte & quam religiose, hi cum omnibus orthodoxæ fidei cultoribus sentiant de hoc sacro mystico, ut jam nugones futilesque blatterones sint, qui viros istos orthodoxe de Eucharistia sentientes, id videlicet ipsum quod de ea semper sensit Ecclesia Christi, nugantur hostes & Christi & Sacramentorum esse.* Hactenus *Bullingerus*. Ex his, quæ de pia mortis Christi in S. Cœna meditatione dixi, judicari simul potest, quid de suspicione quorundam iniqua & minime fraterna sit sentiendum, qui ea, quæ Sect. IX. dissertat: prioris, a me de meditatione mortis in S. Cœna dicta sunt, parum abesse garriverunt ab iis, quæ & ipsi admittant Sociniani. Nimirum & hi (inquiunt) celebrationem mortis Christi in S. Cœna instituendam esse fatentur. Hoc vero argumentum non magis quadrat, quum si quis diceret: Sociniani edunt, bibunt, dormiunt, ambulant; Idem faciunt Reformati: Ergo Reformati sunt Sociniani. Hæc ratiocinatio si valet, facile Reformati in Socinianos & vicissim mutantur. Certe hic, si ullibi valet illud tritum. Duo quando idem dicunt, non tamen semper idem sentiunt: vera ratio piæ recordationis mortis Jesu Christi, non tam quærenda in contemplatione mortis duntaxat, quam vero in meditatione de causis hujus mortis, de *dignitate personæ*, quæ mortem obiit, & de *vi* & *efficacia* hujus mortis. Negant nimirum Sociniani necessitatem & satisfactionem mortis J. Christi: Ego cum Reformatis

tis eandem adstruo. Sociniani negant divinitatem Jesu Christi; Ego contra toto pectore eam profiteor. Sociniani negant mortem Christi verum esse pro peccatis λυτρον. Ego contrarium assero. Sociniani negant regenerationem & conversionem hominis fructum esse satisfactionis præstitæ pro peccatoribus: Nos vero cum Reformatis hanc propositionem tuemur. Aut vera rerum vocabula amisimus, & sensu communi destituimur, aut recordatio mortis Jesu Christi a nobis exposita, a sententia Socinianorum toto cœlo diversa est. Novi quidem F. *Socinum*, ut invidiam a se amoliretur, & sententiæ suæ de S. Cœna innocentiam aliqua ratione probaret, ad *Zvvinglium* provocasse, quasi eadem cum ipso de S. Cœnæ usu sentientem. Ita enim inter alia in incontroversia cum *Niemojevio* loquitur: *Certe*, inquit *Zvvinglius & alii, qui, ut ipsi nostri sentiunt, primi omnium omnes pernicioſiores crassioresque de Cœna Domini opiniones ex Christi Ecclesia exterminare cæperunt, hoc idem dixerunt, quippe qui aperte vidissent, Cœnam Domini non eo institutam fuisse, ut ibi aliquid ad salutem accipiamus, sed ut ad eam pertinentia accepta quædam commemoremus, deque iis gratias agamus.* Ita *Socinus*. At num hæc est legitima Collectio. *Socinus* ad *Zvvinglium* provocavit, tanquam ὁμοψηφον in doctrina de S. Cœna, ergo *Zvvinglius* idem sensit de hoc argumento quod *Socinus?* Quis enim nescit *Zvvinglium* & Deitatem Soteris nostri, & ejus satisfactionem meritumque agnovisse, *Socinum* non item? quomodo ergo parili ratione *Socinus* & *Zvvinglius* mortem Jesu Christi celebrare dici possunt? Non melius huic calumniæ occurri posse crediderim quam verbis *B. Hospiniani* qui *Hist. Sacrament.* Tom. II. pag. 31. ita *Zvvinglii* causam agit dicens: *quod autem quædam inveniuntur in Zvvinglii epistolis & alibi, unde videri posset vir ille sacramentis minus tribuisse, quam eis Scriptura tribuit, si scopus & intentio ejus spectetur, id nemo ei nisi Momus vitio vertere & sinistre interpretari poterit. Cum enim Pontificii transsubstantiationem, seu conversionem elementorum in res ipsas his significatas docerent: Lutherus autem cum Scholasticis quibusdam localem inclusionem corporis Christi in pane docere videretur! difficillimum autem esset, has opiniones, quæ diu jam & altius radices egerant, prior præsertim in animis hominum, revellere, omnes ingenii vires ad eas impugnandas applicuit; ita quidem, ut magis abesse in S. Cœna Dominum, quam adesse corpore & sanguine suo, & dari potius symbola hic, quam corpus & sanguinem Domini sentire videretur: quum tamen non vellet simpliciter abesse a Cœna Domini, aut inania corporis & sanguinis Domini omni-*

no

no hic Symbola dispensari; sicut Bucerus testatur in suis retractationibus, quod ipsum & Zvvinglius apud se, agentem cum eo de concordia Ecclesiarum in hoc dogmate, ingenue & aperte confessus sit, atque etiam ex Apologia ejus ad Principes Germaniæ apparet: Nam ibi verbis Augustini præsentiam Domini in cœna apertissime confessus est. Eodem modo alicubi, dum cavere vellet, ne homines ab externo opere in Sacramentis salutem peterent, affirmare visus est Sacramenta tesseras tantum esse Societatis christianæ & nihil ad salutem conferre. *At alibi disertè scribit,* Sacramenta auxilium opemque adferre fidei. *Ex quo satis liquere potest, quum scripsit,* Sacramenta nihil conferre ad salutem, nec confirmare fidem, *eo intellexisse Sacramentis, id est externæ actioni Sacramentorum per se nihil inesse hujus ut conscientias roboret fide aucta. Dum enim istam suam sententiam,* Sacramenta non dispensare salutem nec confirmare fidem, probare instituit, adfert, confirmare & augere fidem, esse opus Christi per Sp. Sanctum. *Quibus verbis prima fronte, nec mente Zvvinglii probe intellectâ, argumentum inesse videtur simile illi, Deus sanat vi naturæ, ergo medicus & medicina nihil ad illud conferunt. Efficit quidem omnem salutem in nobis unus Christus, idque nulla aliena virtute, sed suo solius spiritu: interim tamen ad id ipsum utitur ad nos suo verbo, tam visibili in Sacramentis quam audibili in Evangelio. His remissionem peccatorum, communionem sui & vitam æternam adfert & exhibet. Zvvinglius optime agnovit, probavit & docuit; proinde quam negavit* Sacramenta dispensare gratiam, *intellexit per Sacramenta externam actionem, ejusque sententia fuit, eam huc valere non ex se, sed salutis omnia niti actione interna Christi, cujus Sacramenta suo modo Instrumenta sunt.* Ita Hospinianus. Dissensisse vero prorsus a Socinianis *Zvvinglium* ea docent, quæ ipsemet adversus malignam illam suspicionem monuit in *Expositione Eucharistiæ ad M. Lutherum.* Ita enim pag. m. 63. loquitur: *Ponam autem brevem veluti summam ut ipse Christum agnoscam. Ego agnosco Christum esse juxta Apostoli verbum* 1. Corinth. I. *Sapientiam a Deo; Justitiam & Sanctificationem ac redemtionem. Sapientiam quod natura Deus est, qui omnia nonsolum novit, sed moderatur etiam. Sapientiam a Deo quod Eum omnipotens Pater misit, ut cœlestem sapientiam adeo perfecte doceret ac luculenter, ut quid ille docuisset id tandem esset veræ sapientiæ typus. Unde & Paulus fatetur, se nihil scire quam Christum Jesum & hunc crucifixum: quod vir prudentissimus, si non perspectum habuisset in eo esse omnes thesauros Sapientiæ non dixisset. Sapientiam a Deo, quo nos certi fieremus externa nulla posse*

ad justificationem. In summa sic docuit, ut nemo qui mente præditus est, non videat, in hoc uno fuisse ut Domino fideremus ac vitæ innocentia & vitæ sanctimonia coleremus. Cumque vitio & calamitate, quæ naturam nostram in herba, quod dicitur, perdidit, sic simus cupiditatibus alligati, ut nihil eorum, quæ Deus a nobis requirit, digne ac ut oportet faciamus, fit ut iterum terreat justitia Dei; Nam utcunque illum misericordem ac bonum prædicemus, justum tamen simul agnoscere cogimur: neque enim vere bonum esset, quod justitia vacaret. Jam ut ejus quoque justitia Sacrosancta maneat, & homo tamen, qui ea nihil dignum facit, non perpetuo privaretur ejus contubernio, viam invenit, qua & justitiæ satisfieret, & miser contubernio Dei restitueretur. Misit ergo filium, qui nostra fieret justitia, sanctificatio & redemtionis pretium. Atque iis modo fieret, qui a Deo electi, atque intus spiritu docti, id firmiter crederent, quod per unam misericordiæ Dei viam (nam quod justitiam oblato filio placavit suam, itidem est misericordiæ opus) ad beatitatem æternam pateat aditus. Hujus autem misericordiæ pignus ac vadimonium factus est filius ejus: Quomodo enim non omnia nobis donabit qui filium dedit! Non commanducatus, sed spei nostræ fundamentum factus; non quatenus caro est, sed quatenus Dei filius est, qui carnem induit. Sic brevibus habes, ut ipse Christum agnoscam, nempe lucem esse ac summam sapientiam, quæ mundum sic illustravit, ut videret non aliis obsequiis deliniri Deum quam innocentiæ: non alio pretio aut vectigali cœlum conscendi, quam filii Dei ἀπολυτρωσει: non aliis calcaribus ad veræ virtutis opus excitari, quam Spiritus inflammatione: non aliis fistulis in animas nostras verum refrigerium derivari quam ejusdem Spiritu ac influxu. Sic Christum agnoscimus. Quod si hoc non est eum serio agnoscere, fatebor me nondum agnovisse. Ita B. Zvvinglius.

Monitum de concionibus paraſcevaſticis.

XIV. Hactenus egimus cum de causis externis, quæ impedire possunt Christianos, quo minus recte S. Cœna utantur, tum de legitimo fine & usu S. Cœnæ. Jam vero dispiciendum erit, quid V. D. Ministris præstandum sit, quando homines ad dignam S. Cœnæ celebrationem inducere volunt. Laudabilis mos est V. D. Ministrorum, quod diebus Festa sacra proxime antecedentibus, talia argumenta Orationum eligant, quæ ad dignam S. Cœnæ celebrationem homines invitare & inducere possunt. Quæ circa has Orationes monenda sunt, ad duo, mea sententia, revocari possunt capita. Nimirum aliquid est cavendum V. D. Ministris, aliud vero præstandum. Cavendum nimirum est, ne Orationes ejusmodi parascevasticæ sint nimis *vagæ*, & *generales*, quod fit, si Auditores ad hoc duntaxat præstandum monentur,

nentur, ut per instantem septimanam lectioni & sedulæ S. concionum frequentationi vacent, seque ipsos serio examinent. Ita enim Auditores multi facile in eam opinionem incident, ut putent, hoc peracto, dubium non esse, quin digne Sacra Cœna usuri & efficaciam mortis J. Christi, id est, remissionem peccatorum adepturi sint. Præterea opus conversionis nimis facile fieri posse sibi adblandiuntur, quæ opinio serio & pio proposito vitiis omnibus nuntium mittendi, vitamque emendandi, officere potest. Ea vero quæ V. D. M. præstanda sunt ad sequentia reduci possunt. Primum est; operam dabit V. D. M. ut perspicue & solide probet, necesse esse, ut is, qui digne uti velit S. Cœna, jam ante celebrationem vel jam conversus sit, vel animum saltem jam jam ad opus illud, auxilio divino præstandum, præparaverit; hoc paulo fusius cum ex fine & usu S. Cœnæ, tum ex indole regenerationis & veræ conversionis ostendendum. Atque hoc eo magis est faciendum, quia multi Christiani opinantur, libellorum asceticorum lectione, quotidiana concionum frequentatione, confessione generali peccatorum, frigida mortis Christi commemoratione, absolvi omne id, quod ad verum & salutarem S. Cœnæ usum spectat, seque adeo ita agendo omnibus illis signis instructos esse, ex quibus colligitur, nos Deo conciliatos esse. Quo altius vero hæc periculosa opinio animis est infixa, eo majore diligentia & argumentorum pondere est debellenda. Nunquam enim magis attentus & circumspectus esse debet Orator sacer, quam ubi de eradicandis pietati nocivis opinionibus agitur. Multi innocuos errores non sine maxima animi commotione & zelo aggrediuntur; non vero eodem fervore errores practicos impugnant; de quo tamen hic dicendi locus non est.

II. V. D. Ministro singillatim cum vere conversis, cum iis, qui in primordiis conversionis consistunt, cum hypocritis, & iis, qui crassioribus vitiis dediti sunt in ejusmodi Orationibus loquendum est. Piis in universum omnibus, gradibus licet progressuum in conversionis negotio multum inter se diversis, demonstrandum, beneficium excellentissimum, quod quidem Deus homini Christiano concesserit, esse cruentam mortem Jesu Christi; piam mortis hujus contemplationem ponderosissima in se comprehendere incitamenta ad tenerrimum amorem Soteris nostri, & stimulos adversus omnem languorem & peccatorum tentamina suppeditare: Cum vero singulari quadam ratione in usu S. Symbolorum hoc beneficium repræsentetur, læto cum animo ad S. Cœnam frequenter esse accedendum. Hypocritis

vero & vitiis plane dedítis perſpicue oſtendendum, fieri per rerum naturam aliter non poſſe, quam ut illi, qui beneficio tam excellenti abutantur, atque ſine ullis pietatis ſtimulis frequenter ſacram cœnam ſumant, hoc ipſo impediant, quo minus ad ſeriam pœnitentiam, ſine qua tamen nulla certa ſpes conſequendæ ſalutis datur, perveniant.

III. Quod præſtari mea ſententia a V. D. Miniſtro debet hoc eſt; ut nimirum characteres eſſentiales, qui homini regenito ineſſe debent, animis inſinuet atque perſpicuis argumentis probet, fieri non poſſe, ut quis beneficiorum morte Soteris partorum particeps eſſe poſſit, niſi characteribus illis ſit vere inſtructus. Eum in finem in his Orationibus mox naturam ſalutaris fidei & effectuum ejus, mox veræ & ſinceræ pœnitentiæ notas, mox fraterni amoris officia pertractabit; mox ex natura oppoſitorum his virtutibus peccatorum oſtendet, impoſſibile eſſe, ut qui in his vel illis vitiis habitum contraxerint, mortem Jeſu Chriſti rite celebrare, aut ullam ſpem, dum tales maneant, conſequendæ ſalutis habere poſſint. Quod ſi quis putet, impios hac ratione ab uſu S. Cœnæ abſterritum iri (IV.) loco monere debet V. D. M., homines, qui vitiis nondum plane nuncium miſerunt, cauſas ſufficientes non habere cur propterea S. Cœnæ uſum omittant, cum quia habemus præceptum ſatis apertum Soteris noſtri jubentis, ut in ſui memoriam ſacris ſymbolis utamur; tum quia celebratio hujus Sacramenti occaſio eſſe poteſt, per quam homo in ſe deſcendere, & accedentibus variis circumſtantiis, quas divini Numinis favor ſuppeditare poteſt, via ad converſionem ſterni poteſt. Quemadmodum enim nondum converſis verbum divinum legendum & audiendum tamen eſt, quia eſt ſemen regenerationis; Ita pariter uſus S. Cœnæ medium eſt externum, hominem vitiorum ſuorum convincendi, atque accedente divina gratia, eum ad veram converſionem præparandi. Inprimis autem hoc facere tenentur illi, qui ob debilem rerum divinarum cognitionem diſtincte veros converſorum characteres exponere non poſſunt, ſimul tamen animadvertunt, ſemina quædam novæ vitæ animis ſuis eſſe implantata. Meditatione enim pia mortis Chriſti, in qua medulla ſalutis noſtræ quæri debet, ſucceſſu temporis major mentibus inſtillatur lux, & majus ad veræ pietatis ſtudium accedit incitamentum.

De libellis, in quibus, de vero S. Cœnæ uſu agitur, quædam monita.

XV. Solent V. D. Miniſtri, idque pie & prudenter, homines S. Cœnam rite celebraturos, ablegare ad libellos aſceticos, in quibus de vero uſu S. Cœnæ agitur, neque dubium eſt, quin ejusmodi libellorum

lorum lectio seria & attenta, animos præparare possit, ad dignam hujus Sacramenti celebrationem. Quia vero ejusmodi libelli non unius sunt generis, aliquid de hoc argumento monuisse non erit forsan inutile. Monendum primo, quid in quibusdam desideretur, qualis debeat esse stylus eorum, qui animos ad libellos tales scribendos appellunt, & tandem quænam argumenta complecti debeant ejusmodi libelli. Quid in multis libris, qui ad devotionem excitandam scripti sunt desideretur, pie & docte ostendit, ὁ Μακαριτης *Venerandus Ostervvaldius* capite ultimo libri supra laudati. Hunc evolvant, qui amore veri tacti sunt: nos paucis sumus contenti monitis. Sunt nimirum talium libellorum auctores, qui non tam id agunt, ut perspicuis argumentis & verbis res sanctissimas explicent atque probent, quam vero ut hinc inde collectis ampullatis locutionibus, affectuum impetus excitent, quo fieri solet, ut posito affectu, nescio qua troporum violentia extorto, in notionibus obscuris homines adquiescant, & in verbis non satis intellectis stupeant. Quod de libellis ad pietatem excitandam in genere monuit Ven. *Ostervvaldius* loco citato, applicari singillatim potest libellis quibusdam qui de recto usu S. Cœnæ agunt. *La pieté* (inquit) pag. 285. loc. cit. *seroit mieux connuë & plus estimée qu'elle n'est, si le jugement & le bon sens regnoient toûjours dans les livres de dévotion, & si l'on n'y voyoit rien, qui étant examiné à la rigueur, ne se trouvât conforme à l'exacte vérité. Ceux qui travaillant à des ouvrages de cette nature, se proposent de toucher le cœur, & d'exciter des sentiments de Pieté. Leur but est bon; mais il faut savoir, que ce qui touche le cœur, & ce qui inspire la Devotion, c'est la force des raisons, l'evidence des preuves, la grandeur des objets, la clarté & la solidité des choses, que l'on dit. C'est aussi à quoi les Auteurs judicieux s'attachent principalement, & c'est par-là que plusieurs ont reussi dans les excellens ouvrages, dont ils ont enrichi le public. Mais c'est-ce que d'autres Auteurs ne considerent pas. Ils s'appliquent plûtôt à dire des choses touchantes, qu'à penser & qu'à parler juste; Ils consultent l'imagination plûtôt que le bon sens; ils mettent par écrit tout ce qui dans la chaleur de la meditation & dans les mouvemens de leur zêle leur semble propre à émouvoir à attendrir, à consoler ou à effrayer. Delà vient qu'il y a dans leurs Ouvrages des endroits foibles, des pensées qui paroissent basses, ou même fausses aux Lecteurs, qui ont du discernement, des contradictions & d'autres semblables défauts. Ces Ouvrages font beaucoup de tort à la Religion. Car d'un coté ils ne produisent en ceux, qui les lisent, & qui les goûtent, qu'une dévo-*

dévotion confuſe & peu raiſonable ; & de l'autre, ils expoſent la dévotion aux railleries & aux mépris des Libertins. On a ſouvent le deplaiſir & le ſcandale de voir des perſonnes éclairées témoigner peu d'eſtime pour les livres de Pieté. On entend dire tous les jours dans le monde, que ces livres ne ſont pas bons, que pour les femmes & pour le commun peuple. Ce mépris procede principalement de l'humeur profane & du libertinage ; mais il a auſſi ſa ſource dans le peu de juſteſſe & de ſolidité que l'on trouve dans certains livres de dévotion. Ita Eximius ille Theologus.

(II.) Quidam hujus generis libelli nimis generales ſunt, neque characteres hominum piorum, & impiorum, diverſosque ſtatus hominum ſatis dilucide exponunt. (III.) Multi horum libellorum innumeris metaphoris & floſculis ſcatent, qui impediunt, quo minus ſimpliciores verum & nativum ſenſum rerum ſanctiſſimarum percipiant, de quo tamen in priore diſſertatione jam verba fecimus. Quæ vero ineſſe debent his libellis, vel ad voces & ad ſtylum, vel ad argumentum ipſum ſpectant. Quod ad prius attinet, ſtylus debet ita eſſe perſpicuus, nativus, & ſimplex ut homines mediocris ingenii ſenſum rerum propoſitarum non poſſint non capere. Cum enim Auctores ejusmodi libellorum, nihil aliud intendere debeant, & ſine dubio intendant, quam ut res ſanctiſſimas explicent & commendent ; ita neceſſe eſt ut perſpicuis verbis, quæ omnium ingeniis attemperata ſunt, utantur. Si vero quæratur quot capitibus conſtare debeat ejusmodi libellus, definire ego quicquam nolim. Salvo tamen meliore aliorum judicio, de ſequentibus potiſſimum articulis agendum eſſe puto.

I. Breviter, ſed nervoſe repræſentanda ſunt argumenta, quibus Religionis Chriſtianæ veritas probatur. Hæc argumenta brevitatis cauſa deſumi poſſunt a veritate & certitudine Reſurrectionis J. Chriſti. Niſi enim homo chriſtianus vere de hoc articulo eſt perſuaſus, maſcula pietas radices agere in animo ejus non poteſt, neque etiam adeo pie mortem Chriſti celebrare poteſt. Novi quidem eſſe Viros præſtantes, qui putent, hæc eſſe omittenda tanquam jam conceſſa ; at experientia teſtatur, multos S. Cœnam celebrantes, non rite, ut decet, de hoc articulo eſſe inſtructos & perſuaſos : cum vero plerique Chriſtiani, illi etiam, qui non ſatis de argumentis, quibus Religionis chriſtianæ divina origo probari ſolet, ſint edocti eo tempore, quo in animum induxerunt S. Cœnam celebrare, ejusmodi libellos evolvere ſoleant, ita hunc graviſſimum articulum expendendi occaſionem habent.

II. Agen-

II. Agendum est, de Jesu Christo, de dignitate personæ ejus, de ejus officiis; inprimis vero de amore ipsius erga nos demonstrato in cruenta sua passione & morte; monendum inprimis in morte hac pro nobis obita, verum nostrum & unicum solatium esse quærendum.

III. Sensus verborum Institutionis S. Cœnæ collatis Apostolorum de hoc Sacramento testimoniis, clare & perspicue est explicandus, & breviter ostendendum, explicationem Reformatorum convenire cum verbis institutionis, cum ratione, sensibus, natura Sacramentorum, & cum aliis gravissimis Religionis christianæ capitibus. Pontificiorum vero opinionem his omnibus esse oppositam. Quamvis enim in hisce libellis praxeos potissimum sit habenda ratio, necesse tamen est, ut quotquot pie mortem Jesu Christi in S. Cœnæ usu celebrare volunt, genuinam hujus Sacramenti habeant cognitionem, atque sentiant, quam ineptum sit ope commestionis panis & vini duntaxat, beneficiorum morte Christi partorum, velle participem fieri.

IV. In hoc capite agendum de fine, scopo & vero usu S. Cœnæ. Ubi inprimis notandum, finem principalem esse seriam & piam mortis Christi meditationem, atque in hac cogitatione totam mentem oportere esse defixam: monstrandumque tandem non solum per partes, in quo pia illa & seria meditatio mortis Christi consistat, sed & quantum hæc meditatio ad pietatis studium mentem incendere possit.

V. Ut autem usus legitimus S. Cœnæ rite pateſcat, distincte repræsentandi characteres veri nominis Christianorum, eum in finem, ut quisque S. Cœnam celebraturus, sciat, in quo statu positus sit, & quæ proinde spes sit consequendæ salutis. Singillatim vero de variis gradibus piorum agendum; ubi argumentum hoc non est exaggerandum, neque contra nimis dilute est tractandum. His opponendi sunt Characteres Hypocritarum & Impiorum, atque ostendendum, eos neque in fruitione symbolorum externorum, neque in frigida commemoratione mortis Christi præsidium quærere posse.

VI. Communia Hypocritarum & Impiorum de S. Cœnæ usu præjudicia rite sunt repræsentanda, & gravibus argumentis confellenda.

VII. Agendum est de Examine Suimetipsius ante usum Sacræ Cœnæ instituendo, de ejus necessitate, & partibus.

VIII. Per partes ostendendum, in quo salutaris fidei natura consistat, quive sint ejusdem fructus.

IX. Singulari capite de natura, certisque indiciis veræ & sinceræ pœnitentiæ agendum.

X. Mon-

X. Monstrandum, quid in ipsa participatione S. Cœnæ, & post eam sit agendum, respectu inprimis habito ad diversos hominum status.

XI. Denique breves quædam, sed perspicuo sermone exaratæ precum formulæ sunt adponendæ, quæ cum ante usum S. Cœnæ tum post eum sunt fundendæ, idque singillatim ita est præstandum, ut attendatur ad pios, qui vel solatium ex usu Cœnæ ceperunt, vel ad dejectos plane corde, vel ad eos qui debiles adhuc sunt, vel ad eos tandem, qui ante & post Cœnam nullos pietatis stimulos senserunt: quales formulas suo de Officiis Communicantium libello adjecit præter alios *Vener. Osterwaldius* Pastor Ecclesiæ Basileensis dignissimus. Ad hæc capita, salvo tamen, ut dixi, aliorum judicio, referenda mea opinione, quæ in his libellis repræsentari debent.

Quid observandum Pastoribus in concionibus sacris, quæ horis pomeridianis peracto mane usu S. Cœnæ, haberi solent.

XVI. Solenne est Oratoribus sacris, ut peracta mane S. Cœnæ celebratione, in concionibus pomeridianis, tales textus deligant, qui materiam suppeditant Deo gratias agendi ob beneficium redemtionis, cujus memoria in S. Cœnæ usu fuit animis repræsentata. Neque dubium est, quin recte id fiat: cum enim per usum S. Cœnæ singulari quadam ratione in memoriam revocatum fuerit beneficium Dei præstantissimum, id est mors cruenta J. C. Soteris nostri, solemnes Deo præstare gratiarum actiones æquissimum est. Cavendum tamen, ne ejusmodi Orationes sint nimis vagæ. Notum enim est, plurimos Christianorum in externo symbolorum usu, & qualicunque recordatione Christi adquiescere, atque existumare, se hac ratione vere omnium Christi beneficiorum participes redditos esse. His gratæ sunt illæ Orationes, in quibus indiscriminatim Deo gratiæ aguntur, quod per celebrationem S. Cœnæ certi reddamur fructuum mortis Christi & remissionis peccatorum. Cum vero Orator sacer inprimis id agere semper debeat, ut errores populares sed nocivos valde, ex animis Auditorum, quantum in se est, evellat, operam navabit, ut circumspecte valde de hoc argumento differat. Mea opinione duabus partibus constare debent ejusmodi Orationes. In priore parte ostendi debet, eos, qui ante usum S. Cœnæ characteres verorum Christianorum in se deprehenderint, & jam memores fuerint beneficiorum morte Christi partorum, gloriandi causas habere amplissimas, quandoquidem recordatione pia mortis Jesu Christi, in S. Cœna repræsentatæ, novis ad Deo gratias agendum, ad Christum supra omnia amandum, & in studio virtutis gnaviter decurrendum, incitamentis fuerunt inducti.

Monstran-

Monstrandum insuper, tales læto & tranquillo posse esse animo, non propter externum usum S. Cœnæ, qui ipsis cum Hypocritis & Impiis communis sit, sed quod gratia Dei, ante usum S. Cœnæ, ad emendatiorem vivendi rationem traducti, sentiant, beneficia morte Christi parta ad se spectare. In posteriore Orationis parte paulo uberius cum iis loquendum, qui aut ante vel post usum S. Cœnæ nullos plane conscientiæ stimulos senserunt, ob habitum in vitiis contractum, aut levi quadam sed transitoria peccatorum recordatione tacti quidem fuerunt, sine tamen ullo serio studio vitam in melius mutandi. Hisce monstrandum, nullas ipsos lætandi causas habere, eosque in præsentissimo esse exitii periculo, nisi animos mutent, atque incipiant reverentius de usu S. Cœnæ sentire. Ita enim agendo Auditores facile animadvertunt, non omnes qui Sacra Cœna usi sunt, tranquillo posse esse animo, neque propterea beneficia mortis Christi sibimetipsis vindicare posse. Sentient ita tales, se gravissimas habere rationes, Deum in Christo Jesu exorandi, ut illis det illuminatos oculos mentis, pervidendi ea, quæ ad salutem spectant. Quod de concionibus dixi, de Psalmis etiam & precum formulis observandum esse puto. Optandum igitur, ut tales precum formulæ & Psalmi conficerentur, in quibus distincte satis duorum illorum hominum generum mentio fieret, neque dubium, quin stimuli aliqui conscientiæ in animis auditorum ita exorituri essent.

XVII. Incidit hic quæstio, ab Instituto nostro forte non aliena; Quæritur nimirum, quid sit sentiendum de hominibus piis & vere regenitis, qui occasione fruitionis S. Cœnæ non solum raro vera percipiunt solatia, sed animis sæpe anguntur. Respondemus: (1) Nostra sententia his hominibus repræsentandum, verum solatium non tam esse repetendum ab ipso usu S. Cœnæ, quam vero potius ab eo, quod ante Cœnæ publicam celebrationem, certos emendatæ mentis characteres in se deprehenderint; Hi enim ubi adsunt, tuto colligere possunt, se auxilio Spiritus Sancti beneficiorum divinorum, morte Christi partorum, factos esse participes; Ostendendum, hanc, quam anhelant, gaudii perceptionem mox adesse, mox abesse pro diverso piorum statu interno & externo. Quod si sentiant, se serio egisse pœnitentiam & vitiis valedixisse, ob defectum illius lætitiæ de misericordia & favore divino, dubitandum non esse, quandoquidem gaudium illud perpetuum ad notas certas veri Christianismi neque ad essentiam dignæ celebrationis Sacræ Cœnæ non pertineat. (2) Ut plenius his homi-

Quid judicandum de hominibus piis, qui utentes S. Cœna, raro solatium percipiunt.

hominibus satisfaciamus, inquirendum est sedulo in causas angorum, quibus sæpe utentes S. Cœna divexantur. Sunt autem illæ vel physicæ vel morales. Physicæ ex temperamento oriri possunt; per id enim fieri solet, ut multi Christianorum nimis sint meticulosi, & insultibus male sanæ phantasiæ obnoxii. Morales varios habent fontes. Sæpe tales falsa opinione delusi sunt atque existimant, necesse esse ut ante S. Cœnæ usum, & in ipso fruitionis actu, semper insolito perfundantur gaudio: aliquando peccatis quibusdam se se contaminarunt, quæ quidem serio detestati sunt, sed quæ instante tempore, quo S. Cœna celebranda est, denuo vivide menti repræsentantur. Nonnunquam ante S. Cœnæ usum, languorem aliquem spiritualem sentiunt, quem per usum S. Cœnæ prorsus tolli oportere sibi persuadent. Sæpe etiam leviores errores quos commiserunt, nimis extollunt, & propterea de certitudine suæ conversionis dubitant; mirum igitur non est, nubilam esse eorum mentem, qui in hoc statu positi sunt. Ad has vero & alias causas tristitiæ detegendas, necesse est, ut Pastor familiariter utatur iis Auditorum suorum, quos ad pietatis studium vel inclinatos, vel in principiis conversionis stantes, vel vere ad saniorem mentem rediisse, non contemnendis argumentis est persuasus. Ita enim demum omnes, ut ita dicam occultos angulos mentis emendatæ sed aliquando sauciæ cognoscere poterit. Interim, si certus sit V. D. Minister, hominem tali tristitia affectum, quantum ex multis indiciis id illi constare potest, vere esse conversum & Deum amare, solatium illi addere debet, eumque incitare, ut magis magisque in pietatis studio pedem promoveat, testans illi, ita agendo veras lætandi causas nunquam defuturas: cœterum ad levandum dolorem roganduſ est, ut seriis & frequentioribus sit intentus precibus. (*)

XVIII.

(*) His hominibus repræsentanda sunt, quæ de Amore Dei scripserat Nobilissimus Poëta Gallus, *Boilavius* in Epistola XII. data ad *Abbatem Renaudot* sur *l'amour de Dieu*: sonant autem inter alia sic:

Dans nous l'Amour de Dieu fecond en saints desirs.
N'y produit pas toûjours de sensibles plaisirs.
Souvent le cœur qui l'a, ne sait pas lui-même.
Tel craint de n'aimer pas, qui sincerement aime.

Le seul Amour manquant ne peut point s'excuser:
C'est par lui que dans nous la Grace fructifie,
C'est lui, qui nous r'anime & qui nous vivifie.
Pour nous rejoindre à Dieu lui seul est le lien.
Et sans lui Foi, Vertus, Sacraments, tout n'est rien.

XVIII. Quæritur inter Theologos, utrum S. Cœnæ celebratio minus vel magis frequens esse debeat. Hîc vero non una est omnium de hoc argumento sententia: neque aliter fieri potest, ubi neque Christus neque Apostoli, quot vicibus per annum S. Cœna celebranda sit, præceperunt. Hinc veteres æque ac recentiores Ecclesiæ suæ usæ libertate frequentius vel minus frequenter S. Cœna utendum esse existumarunt. Nostra ætate denuo exorta de novo inter nos quæstio, an non conducibile & laudabile esset institutum, si inter tempus, quod a festo Pentecostes usque ad festum Nativitatis J. Christi decurrit, memoria J. Christi in S. Cœna recoleretur. Sunt qui affirment, dantur vero contra, qui putent in recepta consuetudine esse adquiescendum. Neque dubium quin dissensus ille inter fratres æquo animo ferendus sit. Video ita jam suo tempore sensisse B. *Bullingerum* quando in *Commentario suo* in 1. *Epist. Pauli ad Corinthios*, & quidem v. 26. cap. VI. ita differit: *Principio quidem* (dicit) *quotiescunque comederitis, nimirum hac voce liberum Ecclesiis relinquens quando aut quoties sacra in cœtu celebrent Eucharistiam. Extat hac de re pia ac utilis disputatio Augustini ad Januarium Epistola* 118. *cujus verba, si quis requirat hæc ferme sunt. Alii quotidie communicant corpori & sanguini dominico, alii certis diebus accipiunt. Alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur: alibi Sabbato tantum & Dominico, alii tantum Dominico; & si aliud ejusmodi animadverti potest: totum hoc genus rerum liberas habet observationes, nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcunque forte devenerit: Sensi enim sæpe dolens & gemens multas infirmorum perturbationes fieri per quorundam fratrum contentiosam obstinationem & superstitiosam timiditatem, qui in rebus ejusmodi, quæ neque Scripturæ Sanctæ auctoritate, neque universalis Ecclesiæ traditione neque vitæ corrigendæ utilitate, ad certum possunt terminum pervenire, tantum quia subest qualiscunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in sua patria sic ipse consuevit, aut quia ibi vidit ubi peregrinationem suam quo remotiorem a suis eo doctiorem factam putat, tam litigiosas excitant quæstiones, ut nisi quod ipsi faciunt, nil rectum existiment. Dixerit aliquis, non quotidie accipiendam Eucharistiam; alius contra. Rectius inter eos fortasse quisquam dirimet litem, qui monet, ut præcipue in Christi pace permaneant; faciat autem unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum: neuter enim exhonorat corpus & sanguinem Domini, contemtum solum non vult ille cibus. Et si quæ sunt alia hujus Sancti Verba: nos enim summam duntaxat rerum*

Disquiritur utrum frequenter S. Cœna sit utendum nec ne.

Persequimur. Ita *Bullingerus:* Alibi nimirum de Cœna Domini Decad. V. Serm. IX. paulo clarius suam sententiam de hac quæstione aperit, dicens: *Quoties sumenda sit Eucharistia a fidelibus in anno, nil lege lata definierunt Apostoli, sed liberum reliquerunt in cujusque Ecclesiæ arbitrio, quid enim clarius est quam quod dixit Paulus? quotiescunque comederitis panem hunc mortem Domini annunciabitis donec venerit & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis donec venerit Nemo interim sibi liberam factam existimet Cœnæ celebrationem, ut nunquam illam peragat; non ea esset libertas justa sed licentia iniquissima. Qui certis vel statis in anno diebus Cœnam celebrant Dominicam, frequentia quotidiana nolunt eam abduci in contemtum aut fastidium. Habent enim rationem populi sui & Cœnam digne & cum desiderio cupiunt peragi. Qui vero eam creberrime repetunt, existimant iniquum esse si res bonæ frequentia abeant in despectum. Quanto enim meliores sunt res, tanto ajunt usurpandas frequentius. Utrique cupiunt inservire Domino, & multo cum fructu peragi, quod liberum fecit Dominus* B. *Calvinus* respons. de quibusdam Eccles. ritibus pag. 206 sic mentem suam de hac quæstione aperit, dicens: *Singulis mensibus Cœnam celebrare maxime nobis placeret: modo ne usus frequentior negligentiam pariat. Nam dum major pars a Communione abstinet, quodammodo dissipatur Ecclesia. Malimus tamen singulis mensibus invitari Ecclesiam, quam quater duntaxat in singulos annos, ut apud nos fieri solet. Quum huc primum venirem, non distribuebatur nisi ter quotannis & quidem ut inter Cœnam Pentecostes & Natalis Christi septem toti menses intercederent: Mihi placebant singuli menses: sed cum minime persuaderem, satius visum est populi infirmitati ignoscere, quam pertinacius contendere. Curavi tamen referri in Acta publica vitiosum esse morem nostrum, ut posteris facilior esset & liberior correctio.* Ex verbis *Augustini* patet quidem, S. Cœnæ usum magis vel minus frequentem, permissum fuisse libertati Ecclesiarum; simul vero manifestum est, usum S. Cœnæ in plerisque Ecclesiis tum temporis satis adhuc fuisse frequentem. De hoc argumento vide fusius agentem *Binghamum Orig. Eccles. Lib. XV. cap. IX.* Cum vero nulla Ecclesia externa vera licet sit, in qua non successu temporis, ritibus & disciplinæ vel aliquid pie & prudenter accedere, vel mutari possit, causam non video, cur quarta, uti appellatur Communio inter nos, si rationes adsint satis probabiles & graves, introduci non possit. Rationes, quæ me quidem, salvo tamen aliorum præstantium Virorum judicio, movent, sunt sequentes: (1) Auctor institutionis S. Cœnæ est sanctissimus noster Soter Jesus Christus. Jam vero dicendum, Eum ob gravissimas, sapientissi-

pientissimasque rationes S. Cœnæ celebrationem instituisse, aut ob nullas, vel leves saltem. Posterius nemo, qui religioni Christianæ serio & ex animi sententia addictus est, affirmabit. Prius igitur est arripiendum. Jam vero illæ rationes graves esse non possunt, nisi ad pietatis studium excitandum, & salutem hominum promovendam multum conferant. Hoc vero semel posito, non quidem definitum est, quot vicibus per annum sacris illis symbolis sit utendum; sed hoc tamen manifestum est, rem ob salutarem usum a Christo θεανθρωπῳ institutam non *raro*, sed *frequentius* esse usurpandam. Saltem ego nullam causam reperio, cur Symbola illa sacra, quæ vehementia suppeditant ad amorem Jesu Christi incitamenta, raro sint sumenda. (2) Ipsum objectum, quod per Symbolorum illorum repræsentationem mentibus Communicantium repræsentatur, talis est naturæ, ut non solum Medullam Religionis christianæ, id est cruentam Christi pro peccatis mortem præsentem quasi oculis sistat; sed & gravissima exhibeat ad Jesum supra omnia amandum, ad præcepta ejus custodienda, ad gratias illi agendas, mutuumque Christianorum amorem alendum Incitamenta. Quod si hoc, ut nemo Reformatorum de eo dubitat, verum est, sequitur ejusmodi recordationem non debere esse raram, sed frequentiorem. Dicet forte quispiam nos & posse & debere cruentæ mortis Jesu Christi cottidie memores esse. Ita est: at hoc non impedit, quo minus illa recordatio per Symbola sacra instituta frequens sit. Præscivit Sanctissimus Soter noster veros suos discipulos & Sectatores omnium temporum, mortem suam, tanquam præcipuam salutis causam agnituros, eamque dignis laudibus celebraturos; Hoc tamen non obstante S. Cœnam in Sui memoriam instituit, atque præcepit, ut Christiani eam usque ad adventum suum ultimum celebrarent. *Deinde ut in habitibus moralibus, sic in virtutibus Christianis, quanto frequentior est eorum usus, tanto confirmatiores evadunt; ut enim aut adquiruntur actibus, aut saltem sine actibus non adquiruntur, sic & crebra actuum usurpatio, & vehemens exercitium miram vim habet ad facultates in eam partem inflectendas, in quam ipsi feruntur. Quemadmodum igitur nulla Cœnæ legitima celebratio est, sine mortis Christi recordatione antecedanea, sic nulla est ejusdem Christi mortis Christiana commemoratio sine vera pietate, quæ commemorationem istam comitetur. Pietas autem nulla est sine fide, & quanto major pietas est tanto majorem fidem esse oportet. Est igitur in legitima celebratione Cœnæ fides in actu. Quamobrem augetur illa sic & intenditur, atque adeo tanto magis, quanto actus iste intenfior*

ſior eſt & impenſius memorabilis. Verba ſunt *Celeb. Amyraldi* loc. cit. (3) In hac quæſtione elucidanda non putem reſpiciendum, vel ad Hypocritas & Impios, vel ad homines ſuperſtitioſos, qui exiſtimant neſcio quam vim phyſicam cum uſu S. Cœnæ eſſe conjunctam; ſed ad homines Religionis Chriſtianæ probe gnaros, & ſinceræ pietatis amore incenſos. Nobis non licet ſuſpicionibus agere, atque exiſtimare, omnes, qui S. Cœnæ uſu vehementer ſe ad pietatis ſtudium incendi aſſerunt, atque eo nomine optant, ut frequentius S. Cœna uti poſſent, credulos homines eſſe, atque Symbolis ipſis plus tribuere, quam par eſſet. Nullus equidem dubito, quin numerus talium non exiguus ſit. At propterea non omnes in eundem ſunt referendi cenſum. In omnibus cœtibus dantur homines pii, & Jeſu Chriſti amore tacti. His cur Symbola illa concedere petentibus non vellemus, cauſas graves non video. Hoc eo magis valet, quod hic duntaxat quæſtio eſt de quarta Communione introducenda.

Neque abuſus S. Cœnæ, quem quidam urgent, impedire debet, quo minus homines vere pii frequentius per externa Symbola mortem Jeſu Chriſti celebrent. Hoc enim ſi valeret argumentum, cultus omnis externus eſſet abjiciendus, cum notum ſit, multos Chriſtianorum exigua Religionis tactos eſſe cura. Atque hæc mea eſt de quæſtione propoſita ſententia. Nollem autem propterea cum quoquam diſceptare. Licet ſalva charitate Chriſtiana de hac quæſtione diſſentire.

Inquiritur in cauſas internas, quæ impediunt, quo minus multi Chriſtianorum rite S Cœna utantur.

XIX. Diſquirendum nunc eſt, qui fiat, ut pauciſſimi Chriſtianorum eum fructum percipiant ex celebratione S. Cœnæ, quem ex intentione Soteris noſtri, qui hoc Sacramentum inſtituit, percipere deberent. Experientia eheu! teſtatur, multos Chriſtianorum, poſt frequentem celebrationem hujus Sacramenti vitiis tamen, quibus diti ſunt non renunciare, & Hypocritas eandem ſemper agere perſonam.

Juvat autem in cauſas hujus mali inquirere, ut iis detectis, ſalutaris aliqua huic malo medicina adferri poſſit. Poſſunt autem illæ ad duas referri claſſes: Quædam ſunt generales, aliæ vero ſpeciales. Inter generales referimus *primo* hanc, quod nimirum multi Chriſtianorum ita rebus in ſenſus incurrentibus, & affectibus adhæreant, ut vix unquam de rebus cœleſtibus & divinis meditentur. Multi Chriſtianorum neſciunt, quid ſit meditari, nedum quid ſit meditari de rebus diviniſſimis & a ſenſibus remotis, aut ſi neceſſitate quaſi compulſi ſunt, ut hoc faciant, tranſitorium quid eſt, & coactum. Putares eos,

ſi

si ad actiones eorum respicias eum in finem creatos, ut ventri obedientes viverent, adeo nil nisi terrestria cogitant. Mirum autem non est tales homines, ad sublimia contemplationes objecta, & ad ea, quæ in Religione sunt præstantissima, animos non convertere. Sic ubi de usu S. Cœnæ agitur, occasione fruitionis panis & vini, figuram Christi crucifixi animis quasi præsentem statuent; at de causa, necessitate, efficacia, ac vero usu ejus, vix cogitant; unde fieri aliter non potest, quam ut rem, sanctissimum in finem institutam, negligant, atque adeo verum ejus usum non percipiant. Gnaviter hujus mali fontem detexit ὁ Μαναϱιτης Cl. *Osterwald* cap. VII & VIII. libri supra citati. Juvat unum atque alterum ex eo adduxisse. Cap. VII. pag. 226. Ita disserit Venerabilis Vir: *L'humeur charnelle, & les occupations temporelles, qu'ils ne s'appliquent presque jamais à la recherche de la Verité. Ils ont generalement de l'éloignement pour les fonctions spirituelles. Delà vient, qu'en matiere de Religion ils aiment mieux croire aveuglement ce qu'on leur dit, que de se donner la peine de l'examiner. Ils ne sont pas moins negligens dans les Exercices de devotion. Ce seroit pour la plûpart une espece de supplice, que de les obliger à lire ou à mediter. Ils ne se portent à ces sortes d'exercices qu'avec repugnance, & que le plus rarement qu'ils peuvent. Ils ne reflechissent presque jamais sur ce qui se passe au dedans d'eux, sur leurs pensées, sur leurs inclinations, sur les mouvemens de leur cœur, sur les principes par lesquels ils agissent, non plus sur leurs discours & sur leurs actions. Ils n'examinent point s'ils ont en eux les caracteres d'un homme de bien, ou ceux d'un méchant, ou d'un hypocrite: En un mot ils vivent, ou peu s'en faut. La negligence des hommes est donc extrêmes dans les choses de la Religion. Ils n'en usent pas de même à l'égard des choses du monde. Autant qu'ils sont non-chalans & froids dans celles-là, autant sont-ils actifs & laborieux dans celles-ci. Ils font tout pour le corps & rien pour l'ame. Ils n'épargnent ni soins ni travaux, ils n'oublient quoi que ce soit pour leurs interets temporels. A en juger par la maniere, dont ils agissent, on croiroit que leur souverain bonheur se rencontre dans les avantages de la terre, & que le salut est l'affaire la moins importante.* Et cap. VIII. pag. 247. *Il est impossible d'aimer la Religion & la Vertu, quand on a donné son cœur au monde. Jesus-Christ a dit, que personne ne peut servir deux maîtres. Saint Jean assure, que l'amour de Dieu n'est point en ceux qui aiment le monde. Il y a une telle opposition entre les fonctions temporelles & les spirituelles que ceux, qui ne s'occupent que de celles-là, sont incapables de celles-ci. Les occupations tem-*

temporelles rendent les hommes charnels, ſenſuels, groſſiers : elles les entretiennent dans l'ignorance, & dans la pareſſe ; elles tournent leurs inclinations & leurs cœurs du coté de la terre. Delà ils n'ont que de l'indifference pour les objets ſpirituels & pour les biens du ciel. Ils ſont peu diſpoſés à eſtimer ces biens autant qu'ils le meritent, & à les rechercher avec l'empreſſement & la ſincerité qu'ils devroient. Conçoit-on que des gens, qui ne ſe propoſent que d'amaſſer du bien, que de faire leur cour, ou que de ſe pouſſer dans les emplois; qui ne vivent, qui ne travaillent, que pour cela, ſoient fort ſenſibles aux intérêts de leur ſalut ? Cela eſt bien difficile. Ita *Beatus Oſterwaldius.* Secunda ratio generalis hujus abuſus eſt, quod multi Chriſtianorum, ut de veritate Religionis chriſtianæ in genere; ſic de præcipuis & momentoſiſſimis veritatibus Evangelii Jeſu Chriſti non ſatis ſint perſuaſi convictique. In juventute hæc capita non ſatis ſolide & copioſe ſunt inſinuata, & in multis libris, qui vulgi manibus teruntur, idem argumentum ad omnium captum non traditur. Admittunt multi, quæ de exiſtentia Jeſu Chriſti, ejusque paſſione & reſurrectione dicuntur tanquam traditionem antiquam, ignari argumentorum graviſſimorum, quibus innixa eſt certitudo hujus & aliorum articulorum, qui ex capitali illa veritate, tanquam totidem conſectaria indubitata fluunt. Quomodo vero tales ſatis agnoſcere poſſunt & deprædicare amorem Dei erga genus humanum, neceſſitatem mortis Jeſu Chriſti, ejuſdem efficaciam & vim ad homines Deo conciliandos & ſanctificandos ? Quomodo uſus Sacramenti in S. Cœna vim habebit in animos eorum hominum, qui nunquam rite animos, ad contemplationem objecti illius excellentiſſimi, id eſt mortis Jeſu Chriſti, unici noſtri Soteris & Interceſſoris, convertunt ? Non poſſum autem gravitatem hujus erroris, & originem ſimul ut impietatis, ſic & frequentiſſimi abuſus S. Cœnæ melius oſtendere, quam verbis *Cel. Werenfelſii* τὰ νῦν ἐν Ἁγίοις, qui in quæſtione : *cur Incitamenta Scripturæ ſæpe ſint inefficacia ſequentem in modum pronuntiat. Inter Chriſtianos numerantur quam plurimi, & utinam hæc non eſſet longe maxima Chriſtianorum pars ! qui religionis, cui addicti ſunt, veritatem credunt, aut credere videntur non propter ulla ſive argumenta, ſive teſtimonia, non dico ſufficientia, ſed quæ vel ipſi ſerio unquam exiſtimarunt, ad veritatem tanti momenti perſuadendam, idonea : qui nunquam de hoc fuerunt ſolliciti an & quodnam fidei ſuæ fundamentum habeant : qui de veritate factorum, quibus religio hæc olim confirmata, rite examinanda, nunquam in vita cogitarunt ; tantum abeſt ut de ea ſint convicti : qui in ipſa denique religione,*

gione, quam sunt amplexi nihil unquam viderunt vel senserunt singulare, nihil eximium, nihil divinum: quin & illud ipsum Ecclesiæ testimonium, propter quod unum multi se credere dicunt, quid sit nesciunt; & neque Ecclesiam, cui credunt, neque ejus auctoritatem, propter quam credunt ullo modo cognoscunt. Hinc est, quod isti homines religionem, utpote de cujus excellentia & divinitate nunquam cogitarunt, nedum ut de ea sint persuasi, quod, inquam, religionem suam non amant, non magni faciunt, imo sæpe tanti non æstimant, ut vel unam actionum suarum ex hujus religionis præscripto moderandam putent, ut denique in tota vita nihil minus sequantur, quam suam religionem, sed perpetuo alia agendi principia, & plerumque huic religioni opposita ante oculos habeant. Ita verissime Excellentissimus ille Theologus.

Specialiores vero hujus mali causæ potissimum sunt sequentes, (1.) Multi Christianorum naturam, verumque scopum S. Cœnæ non satis cognoscunt: credunt quidem cum Reformata Ecclesia, carnem Christi corporaliter non edi; didicerunt enim corpus Christi in S. Cœna ore animæ, id est fide sumi, quod tamen ita interpretantur, ac si persuasio, Christum pro peccatoribus mortuum esse, esset illud ipsum quod salutaris fidei nomine venit: Inde fit, ut cum ipsa illa externa Symbolorum usurpatione insolitam quandam vim conjunctam esse putent, cujus beneficio animi a vitiis purgentur & remissio peccatorum subsequatur. Hinc, quæ Theologi de conjunctione mystica Christi & fidelium dicere solent, in suam sententiam pertrahunt, atque mortis Christi repræsentationem, in usu Symbolorum adhibitam, cum vera conjunctione cum Christo, qua Christiani veri ante usum S. Cœnæ ornati & instructi esse debent, confundunt. In qua opinione confirmantur sæpe, quod in libris asceticis & liturgicis duæ illæ res plane diversæ, passim miscentur, adhibitis ejusmodi phrasibus, quæ insinuare Lectoribus ac Auditoribus videntur, quasi ii promiscue omnes, qui Symbolis externis in memoriam Christi utuntur, jam cum Christo conjuncti & beneficiorum morte Christi partorum participes redditi sint. (2.) Huc faciunt aliorum exempla. Quemadmodum in universum verissimum est, prava exempla multum conferre ad degenerem Christianismum promovendum, ita in specie etiam hoc de abusu S. Cœnæ dici potest. Vident nimirum promiscue eheu! Christiani verbis tales, alios, qui vix a mensa Domini recesserunt, iisdem inhiare vitiis, quibus antea erant immersi; Ex hoc colligunt, ritum toties commendatum & non sine specie sanctitatis celebratum, non esse ma-

gni momenti; ipsa enim experientia constare, neminem per usum S. Cœnæ reddi meliorem; omnia redire ad recordationem qualemcunque mortis Christi per Symbola externa repræsentatæ; cætera inter rethoricationes Concionatorum esse referenda. Quod si quando unum vel alterum audiant, affirmantem se usu S. Cœnæ ad pietatem vehementer incendi, de sinceritate hujus confessionis dubitant, aut illum plane in eorum numerum referunt, quorum cerebrum atra bilis labefactaverit. Huc (3.) referri potest pestilens, sed communissima multorum Christianorum opinio, qua putant, cultum externum Religionis in se spectatum, & externa quadam modestiæ & pietatis specie celebratum sufficere, ad homines Deo commendandos; imbecilliores esse homines, quam ut præcepta divina custodire possint; Hinc etiam ea, quæ de impotentia morali sæpe minus circumspecte ingeminari audiunt, in rem suam convertunt, bonaque intentione & qualicunque conatu Deum esse contentum putant, securi eorum, quæ ad internum Dei cultum pertinent. Hinc videas multos utriusque sexus homines, postquam optimam vitæ partem in omni scelerum genere exegerant, seniores factos, in ritibus & cultu externo observandis præter morem esse solertes, & existimare, ita peccata omnia præterita elui. Mirumne autem est, homines tam præpostere de natura Religionis sentientes, parum religiose S. Cœnam celebrare? Denique quarta causa, ut alia transmittam, hujus mali est, quod nimirum pauci ante usum S. Cœnæ in se descendant & serium status sui examen instituant. Hinc fit, ut post multorum annorum iteratam S. Cœnæ celebrationem, meliores non fiant, sed periculoso valde torpore occupentur. Celebratio ipsa S. Cœnæ eos parum postea movet, quæ tamen, post institutum aliquod Christiano homine dignum examen sui, satis efficax medium potuisset esse, ad eos in viam aliquando reducendos. Quod si quidam examen status sui interni instituunt, id sæpe secundam normam quandam incertam, imo falsam plane fieri solet. Nimirum putant, si quis in examine illo certus esse velit suæ Salutis, ad sequentia attendendum esse: nimirum fatendum esse in genere nos esse peccatores; omnes homines multis erroribus & vitiis esse obnoxios; Hanc confessionem esse signum hominis vere pii & pœnitentia salutari tacti: Legendos insuper libellos, qui ad dignum usum S. Cœnæ viam monstrent; concionem unam vel alteram domi esse legendam: frequenter cultui sacro tum temporis esse vacandum; credendum, sacra Symbola sumentibus tam certo esse remis-

sa

sa peccata, quam certum est, eos panem edisse & vinum degustasse; Hoc peracto secure posse quemvis Deo gratias agere pro remissione peccatorum ob meritum Christi accepta, cujus recordatio in S. Cœna facta sit. Ita multi ex his characteribus de felicitate status sui judicare solent. Omnes vero Religionis Christianæ rite gnari, facile, me non monente vident, hæc plane non sufficere, ad immotam spem consequendæ Salutis habendam.

Monitum quoddam de explicatione vocis sigilli in priore dissertationis parte datum.

XX. Possem hic pedem figere & dissertationi imponere finem, quia omnia allata sunt, quæ ad scopum quem intendi, obtinendum facere possunt. At quia occasione eorum, quæ priore parte dissertationis hujus de *sigillo* notavi, nescio quæ suspiciones contra me ortæ, in gratiam virorum veri amantium, (his enim Solis, non Sciolis illis, qui quærunt quod nusquam est, reperiunt tamen, probari ac satisfacere studeo) quædam explicationis gratia sunt hic adjicienda. Scopus meus, ut in hac, sic in priore parte hujus dissertationis erat V. D. Ministris, Junioribus inprimis, salutaria quædam suppeditare monita, ad rite explicandam naturam S. Cœnæ, & ad præjudicia quædam valde communia, quæ animis Christianorum inhærent, evellenda. Eum in finem detegendæ erant causæ, quæ impediunt, quo minus multi Christianorum eum fructum ex usu S. Cœnæ referant, quem percipere possent. Distinxi causas illas in externas & internas. Inter externas prima hæc erat, quod nimirum Oratores quidam sacri de hoc argumento verba facientes, & libellorum, qui de usu S. Cœnæ agunt Auctores, nimis florido aliquando & variis metaphoris involuto dicendi genere utantur, quo fiat, ut multi, præsertim simpliciores, veram naturam & indolem salutaris usus S. Cœnæ non intelligant, sed putent nimirum, externo usui horum Symbolorum nescio quam insolitam vim physicam esse insitam, & simul cum fruitione panis & vini remissionem peccatorum & jus vitæ æternæ conjunctum esse necessario. Qui error, quin periculosus valde sit, nemo dubitaverit. Inter secundam causam externam retuli, quod multi Christiani, quando audiunt in S. Cœna offerri sigillum fœderis gratiæ, perperam hanc propositionem intelligant atque existiment, omnibus promiscue sacris Symbolis utentibus, & qualitercunque mortem Jesu Christi per Symbola illa repræsentatam recolentibus, beneficia morte Christi parta certissime tribui. Hinc clarissimis verbis mentem meam de hoc argumento aperiundam esse existimavi, ut juvenes V. D. Ministri discant circumspecte & perspicue de hoc argumento loqui. Superpondii loco

(nam qualis sit natura S. Cœnæ, quis ejus finis & Scopus, a Christo & Apostolis ediscendum est) ostendi cum mea explicatione prorsus conspirare Beatos Majores nostros *Zvvinglium*, *Oecolampadium* & *Bullingerum*. Imo ipse Cl. Heideggerus errorem hunc tangit quando loco XXV. sect: XIX. ita loquitur. *Neque etiam doctissimorum Virorum*, (quos tangat ex priore mea dissertatione satis manifestum est,) *qui baptismum & reliqua Sacramenta cum miraculorum signis contendentes, Deum ordinarie gratiam, eodem tempore, quo eam per signa repræsentant, conferre asserunt, opinio placere potest, quia & Sacramentorum efficaciam in majus extollit, & consolationem piorum minuit, & elementorum religionem auget, & nonnihil superstitioni pontificiæ concedit.* Occasione vero hujus meæ de *figillo* explicationis maxima de nihilo orta est historia. De Nihilo inquam, cum quia ego per vitam nunquam de sententia Reformatorum circa hoc argumentum dubitavi, sed saltem dolui & adhuc doleo, rem adeo captu facilem & simplicem a quibusdam tot meteoris orationis & rethorum floseulis involvi, ut multi Christianorum perperam naturam S. Cœnæ intelligant: Tum, quia ego persuasissimus sum, eos, qui explicationem meam carpserunt, aliter, si perspicuis verbis sensum Reformatorum de S. Cœnæ indole explicare in animum inducerent, loqui non posse, quam ego feceram. Quod si igitur errorem aliquem commisi, is in eo consistit, quod nimirum magis perspicue de hoc argumento, quam quidem id communiter fieri solet, disseruerim. Ut huic argumento lucem aliquam, (si tamen ego is sum, qui perspicue animi sui sensa exprimere potest) affundam, quædam hic addam in gratiam eorum, qui ἀθεῳ παθων controversias expendere possunt. Attendatur ad sequentes propositiones, quas Reformati Theologi omnes admittunt: I. est: Soli Regeniti beneficiorum per mortem Christi partorum sunt participes. II. Regeniti testimonio interno S. Sancti, tanquam sigillo certo gratiæ divinæ muniti, suæ cum Christo conjunctionis ante usum S. Cœnæ certiores facti sunt. (*) III. Nonnisi regeniti digne sacra Cœna utuntur & Jesum

(*) Plane cum his conspirant, quæ B. *Bullingerus* de hoc argumento disserit de Sacramentis Decad. V. Serm. VII. *Qui legitime* (inquit) *S. Cœnam celebrant, non tantum credunt Christum passum esse, aut pro aliis non pro se passum esse: sed credunt Eum pro ipsis esse passum; credunt Christum omnia bona ipsis liberalissime communicare adeoque & communicasse. Ergo sicut alimentum panis & vini trajectum in visera mutatur in humani corporis substantiam: ita Christus fide hausstus a Sanctis, iis spiritu suo unitur, ut unum sint cum Christo, & hic unus cum illis. Et ut cibus splendide apparatus & conspectus duntaxat in mensa non satiat: Ita si audias magnifice*

sum Christum per Symbola repræsentatum tanquam Redemtorem suum rite agnoscunt. IV. Sigillum non confert beneficium, sed voluntas Donatoris, cujus est documentum & pignus, atque semper certum aliquod jus in illo, cui quid obsignat, præsupponit. V. Sacramenta (ut ipsissimis Cl. nostri *Heideggeri* verbis, quæ extant thesi LX. de fœdere gratiæ, utar) *non sunt miracula, neque medicamenta, vel causæ vel vehicula gratiæ.* Quicunque has propositiones rite ponderat, si modo recte ratiocinari valet, neque adfectuum æstu abreptus est, videbit, non alio sensu S. Cœnam sigillum gratiæ dici posse, quam

gnifice tibi prædicari Christum, non autem credas tuum esse Christum nihil prodest, quantumvis pulchre sit instructa Oratio aut mensa. Sacramenta excitant & adjuvant fidem Sanctorum. Nam dum animus beneficia Christi, benedictionem redemtionem & dona animo comprehendit & volvit, dum iis magna cum voluptate Spiritus fruitur; dum in his gestit & exultat accedunt NB. *foris jam & Sacramenta quæ oculis adeoque omnibus incurrentia sensibus, visibiliter ea repræsentant, quæ animus interne comprehendit, agitat & volvit. Quoniam enim tota actio, quæ verbis & ritu constat, signo accensetur, vident oculi Symbola & omnia quæ in tractatione Symbolorum geruntur, quæ quasi loquuntur omnia. Audiunt aures verba & Instituta Christi: Tactus & gustus sentiunt & ipsi, quam suavis & bonus sit Dominus: ut jam totus homo velut corpore & anima in cœlum raptus fidem excitari juvarique, fructum denique ex fide in Christum suavissimum sentiat atque percipiat. Hæc omnia in credentibus locum habent, apud Incredulos inanimata manent signa: ergo fidei & Spiritus in legitimo usu Sacramentorum operantis virtute illa fiunt, sine fide & Sp. Sancto non sentiuntur.* Et paulo supra pag. 100. *Sancti & electi Dei non tam primum gratia Dei donisque cœlestibus participant, cum Sacramenta percipiunt. Etenim rebus prius quam signis participant. Nam aperte traditur nobis quod Abraham Pater noster prius fuerit justificatus quam circumcisus.* Et clarius adhuc de hoc argumento loquitur *Decad. V. Serm. IX.* pag. m. 150. *manducatur* (inquit) *corpus Christi & bibitur ejus sanguis spiritualiter, manducatur idem bibiturque Sacramentaliter. Spiritualis modus perficitur fide, quæ Christo connexi omnibus ejus bonis communicamus. Sacramentalis modus perficitur duntaxat in celebratione sacræ Cœnæ. Piis manducatio spiritualis perpetua est, quia fides eis perpetua est. Extra Cœnam & in Cœna Christo communicant, & in hac quidem magis reparant & continuant dudum cœptam: quod prius diximus, & nunc quidem adjuncta actione sacra multo celebrius & evidentius omnia fiunt. Increduli vero ac hypocritæ nunquam ipso Christo communicant, neque ante cœnam, neque in cœna, neque post cœnam quatenus scilicet in Incredulitate sua perseverant, Sacramentis autem dominicis participant sibi in judicium & condemnationem.* Similiter loquitur P. *Martyr in defens. Eucharistiæ contra Gardinerium* scripta pag. m 231 *Quod* (inquit) *caro sit vitalis cibus inter nos convenit. Sed nos eam animo & fide percipi affirmamus. Nos in regeneratione credentes, quando Christo inseruntur per fidem hujus cibi fieri participes videmus, & istam communionem in cœna Domini consignari Symbolis & efficaciter significari & testatam fieri, & quia ibi fides excitatur, suum augmentum suosque fructus habere, asserimus.* Et paulo infra: *Hac spirituali alimonia, quamvis, dum credimus, perpetuo vescimur, in cœna tamen sacra, quia nobis non tantum verbis, sed etiam Symbolis externis proponitur manducanda, hoc est credenda, ibi eam edi & bibi fatemur: & conjunctionem nostram cum Christo, quia hoc modo augeri scimus, ideo sacrum illud Mysterium frequentandum prædicamus.*

eo, quo ego thesi IX. dissertationis meæ prioris explicui. Ineptissima ergo est ἡ δεινὰ hæc ratiocinatio. Qui asserit, S. Cœnam certo tantum sensu & respectu quorundam duntaxat hominum, sigillum fœderis gratiæ dici posse, is prorsus negat Cœnam sigillum fœderis gratiæ appellari posse. Non minus hæc argumentatio insipida & puerilis est, quam si quis ita argutaretur: Qui asserit hominem certo tantum respectu rationalem dici posse, is negat prorsus hominem ratione esse instructum. Ut clarius vero argumentum hoc pateſcat, fingamus per momentum, Christum Sacramentum S. Cœnæ non instituisse, & dispiciamus quo sensu tum pii sigillo fœderis gratiæ muniti esse posse dici possint: omnia ad sequentes propositiones possunt redigi. I. Christi Soteris nostri mors est sola causa meritoria salutis nostræ. II. Vi hujus mortis certa quædam beneficia piis communicantur. III. Inter illa beneficia referenda largitio donorum Spiritus S., nimirum Justificationis, regenerationis &c. IV. Certæ debent esse notæ ex quibus pii Christiani scire possunt beneficia morte Christi parta ad se ipsos pertinere. V. A posteriore, id est ab effectibus menti insitis argumentando, possunt pii scire, utrum in semetipsis deprehendant notas donorum a Sp. Sancto acceptorum. VI. Ergo etiam scire possunt, se beneficiorum morte Christi partorum participes redditos. VII. Hæc dona animis piorum per Spiritum Sanctum inserta & implantata, sigillum illud sunt, ex quibus pii certo colligere possunt, se cum Christo vere unitos esse. VIII. Hinc emergit ille Syllogismus: Quicunque Sp. Sancti gratia pœnitentia seria tactus, fide salutari donatus, & virtutis studio intentus est, is beneficiorum morte Christi partorum factus est particeps & de salute consequenda certus esse potest. Atqui Ego. Eo. Ex quibus manifestum est, habituros fideles certum sigillum gratiæ, etiamsi S. Cœnæ Sacramentum institutum non fuisset. Jam vero cum Christo placuerit per certa Symbola mortem suam repræsentari & celebrari laudibus, videndum ergo quid hic accedat. Objectum contemplationis in S. Cœna est Jesus Christus, isque crucifixus; Ex morte Jesu Christi quædam beneficia ad vere pios redundant, quorum acceptorum jam ante usum S. Cœnæ ii probe gnari & memores sunt: dum igitur Jesum Christum per Symbola externa repræsentatum contemplantur & pia mente concelebrant, non accedit novum sigillum: jam enim animis ante cœnæ usum implantatum erat, sed res quædam externæ accedunt, nempe panis & vinum, Jesum semel vera fide apprehensum piis vivide per sensus repræsentantes. Neque

que propterea inutilia dicenda sunt illa Symbola, cum quia vivide sensibus rem pretiosissimam, quasi præsentem sistunt, & vehementius commovent quam sine usu Symbolorum: tum quia sciunt pii, Jesum Christum hoc Sacramentum instituisse, & mortem suam usque ad adventum suum concelebrari ita voluisse. Ex quo nisi me omnia fallunt, manifestum, S. Cœnam non alio sensu Sigillum dici posse quam eo, quem insinuavi Thesi IX. dissertationis meæ prioris de hoc argumento. (*) Sed clamant boni quidam Viri in nostris Catecheticis Institutioni-

(*) Plane ad mentem meam locuti sunt de hoc argumento Helveticarum Ecclesiarum ministri in *uberiore suæ confessionis declaratione ad D. Lutherum missa* An. 1536. Ita enim loquuntur.

Credimus, affirmamus, & confitemur, humanum genus sola Dei misericordia per Christum fide apprehensa justificari; Deumque eam salutem & felicitatem, quam Christus (absque ullis nostris operibus aut meritis) nobis acquisivit & largitus est, externam Evangelii prædicationem & sacrorum signorum seu Sacramentorum administrationem, annuntiare atque veluti ob oculos ponere.

Incidimus vero hic in suspicionem quasi prædicationi externi Verbi, & Sacramentorum aut nihil tribuamus, aut ea ipsis adimamus, quæ Dominus illis tribuit, atque ita totum Ecclesiæ ministerium pervertamus & aboleamus. Quum contra omni conatu atque diligentia subinde in id incumbamus, ut ne quid vel PARUM, vel NIMIUM in his constituatur. Didicimus enim tum ex S. Scriptura, tum ex christiano Doctore Augustino, eam demum esse miserabilem animæ servitutem ac veluti carcerem, Signa pro rebus, quas significant, accipere: Sicuti ex adverso non levis est error, existimare, Deum frustra sua Sacramenta instituisse, nullamque Ecclesiæ utilitatem afferre. Itaque serio etiam semper docuimus, Signa illa atque res externas propter interna dona non debere, quasi aut non necessaria aut inutilia, contemni. Scimus enim Cornelium illum Centurionem, etsi intus a Deo instructus atque illuminatus fuisset, opus tamen habuisse, ut nihilominus a Petro Apostolo & institueretur, & baptisaretur. Ne vero vel ad dextram vel ad sinistram deflectamus, sed in via regia atque recta hic perstemus, hoc est, ne aut externo Verbo & signis eorum quicquam derogemus, quæ illis Scriptura attribuit; aut vice versa, quod uniusque Creatoris est, creaturis ullis tribuamus, hominesve supra modum ad illos vel dirigamus vel astringamus. Ita semper hucusque & docuimus & in posterum hisce de rebus docere speramus, ut & Dei ordinatio suam retineat dignitatem & valorem: & homines a nobis per hæc externa a Deo ipso instituta adminicula ad Creatorem recta deducantur, sicque omnis Gloria Deo soli tribuatur.

Et Paulo inferius: *Quemadmodum vero nihil Ministerio Verbi Dei decedit, nullaque illud in re minuitur, etsi dicamus, Verbi prædicationem externam nullius esse momenti aut utilitatis, si Deus incrementum in corde non dederit: Paulo dicente: Eum qui plantat, eumque qui rigat non sanctificare, sed Deum ipsum, hoc est, eum non contemnere aut dedecore afficere Sacramenta, qui virtutem & salvificam operationem soli Creatori tribuit. Petrus enim hic quoque dixit: Baptismum quidem nos servare, non tamen quo carnis sordes abluuntur: Sed testimonium bonæ conscientiæ apud Deum. Veluti enim in reliquis Creaturis utpote Sole, Luna, Stellis, Igne, Lapillis pretiosis, herbis, & ejusmodi rebus, per quas Deus velut per organa quædam erga nos operatur, nullam consolationem ponimus, neque in illis constituimus veram atque originalem causam beneficiorum, quæ per illa nobis contri-*

tionibus Sacramenta appellari signa & sigilla fœderis gratiæ. Ita est, quis negat? Quæritur tantum quo sensu, & quorum hominum respectu utraque appellatio valeat. Signa sunt Sacramenta mortem Jesu Christi cruentam repræsentantia omnibus, qui S. Cœna utuntur, sive ii sint pii vel impii aut hypocritæ: at sigilla illa esse fœderis gratiæ, id est, ex usu S. Cœnæ externo omnes certo colligere posse, se participes redditos beneficiorum morte Jesu Christi adquisitorum nemo cui Reformatorum Religio satis perspecta est, affirmabit: nemo enim de tanto beneficio gloriari poterit, nisi is, qui auxilio Spiritus Sancti salutari fide, seria pœnitentia & pietatis studio ornatus est. At tales non sunt omnes Christiani S. Cœna utentes. Ergo neque omnes sigillum illud habent. Ex his characteribus solis pii argumentum petunt suæ cum Christo communionis. Idem sensit B. noster *Zwinglius Fid. Christi: Exposit.* p. 15. *Dominica* (inquit) *cœna fidem facit, hoc est certo significat Christum esse natum & passum. Sed quibus hoc significat! fidelibus & perfidis ex æquo. Universis enim significat, quod ad Sacramenti virtutem pertinet Christum esse passum, sive recipiant sive minus. At* NB. *pro nobis esse passum, id vero piis tantum & fidelibus tantum significat. Nemo enim pro nobis esse passum scit aut credit, nisi quem Spiritus intus docuerit agnoscere mysterium divinæ bonitatis. Is enim solus Christum recipit. Fiducia ergo in Deum, nihil nisi Spiritus dat.* Ex quo simul patet, quam ineptæ & a Φιλαδελφια alienæ fuerint de me conceptæ suspiciones, & quam male egerint illi, qui hominum quorundam clamoribus commoti, nescio quos rumusculos hinc inde sparserunt, & non satis explorata causa innocentem tamen vellicare sunt

fingunt. Ita nec in externis Signis ullam fiduciæ nostræ partem collocare debemus, etsi res sacræ a Deo sint ordinatæ, quibus Deus erga nos utitur: nec etiam illis per se consideratis Dei gloria est tribuenda. Sed fides nostra per illa est a rebus terrenis ad cœlestia, id est, ad Deum Creatorem, omniumque rerum (ac proinde etiam Sacramentorum) fontem & originem evehenda.

Et mox: *Sicut vero antehac non ægre tulimus, sed facile semper concessimus ejusmodi locutiones de Verbi Ministerio usurpari, quibus dicitur: Ministros homines ad Deum convertere: Peccata illis remittere: illis cor aperire: & quæ sunt ejus generis. Sic etiam facile patimur alios sic* (VERO tamen SENSU) *loqui: Ministros nempe regenerare & peccata Baptismo abluere:* atque etiam in Cœna *Corpus & Sanguinem Domini* EXHIBERE: Quandoquidem sic Ananias Paulum alloquitur: *Exurge & baptisare & abluepeccata.* Item de Cœna legitur; *Quod Dominus in ea panem acceperit, benedixerit atque dixerit: Accipite, comedite; Hoc est corpus meum, &c.* Ejusmodi locutiones etiam a veteribus sunt usurpatæ, ut Dona Dei ipsiusque beneficia illustrius exponerent.

sunt conati. (*) Sed plura non addam, postquam *Celeberrimus* & *Amicissimus Collega* J. J. *Breitingerus L. Græcæ Professor dignissimus*, causam meam tam cordate, docte, & explanate, in *Museo Tigurino* peroravit, consensuque B. Majorum nostrorum, ad quos hoc hominum genus semper provocare solet, comprobavit, ut nihil ad elucidationem majorem addi posse videatur. Hominum enim, qui ob ingenii imbecillitatem & defecatioris judicii defectum pretia rerum expendere non solent, tricas & vitilitigationes non moramur. Sed quod unum vindictæ genus homini Christiano supereſt, eos precibus Deo commendamus, atque ut sanam ipsis mentem inspirare velit, serio deprecamur. (**)

XXI.

(*) Utinam illi, qui explicationem meam, clarioribus quam quidem more receptum est, verbis expresiam de natura S. Cœnæ perstrinxerunt, imitati fuissent exemplum Duorum Excellentissimorum Theologorum, *Buceri* nempe & P. *Martyris*, inter quos, licet in articulo de S. Cœna diversis vocibus & phrasibus uterentur, summa tamen erat animorum conjunctio. Rem ita narrat Josias *Simlerus*, Vir doctissimus, in Vita P. *Martyris*. *Cum plurima* (inquit) *scripserit de Cœna Domini, in cujus explicatione cum plures Viri docti affectata quadam obscuritate utuntur, nihil nisi proprium, simplex, dilucidum in ejus scriptis legitur. Quin etiam cum Bucerus, quem coluit & admiratus est, sæpe illum hortaretur, ut in causa Cœnæ dominicæ obscuris quibusdam & ambiguis dicendi formulis uteretur, quibus ipse ideo utebatur, quod Vir bonus sibi persuasisset, posse hac ratione tolli gravem, quæ est de hac causa controversiam, & ita Ecclesiæ pacem diu desideratam restitui. Paruit tandem illi, & eisdem cum eo loquendi formis usus est; Sed mox periculo hujus rei animadverso, sententiam mutavit. Vidit enim hac ratione non posse illis satisfieri, qui crassam & carnalem præsentiam corporis Christi in cœna statuunt, nisi etiam crassæ eorum locutiones cum plena crassaque interpretatione recipiantur. Rursus etiam expertus est fratres infirmiores hac Orationis ambiguitate partim graviter offendi, partim ita implicari & perturbari, ut vix norint quid sibi in hac causa sentiendum sit. Quare Bucero suas locutiones suas concedens, ipse eandem, quam in aliis rebus in hoc quoque dogmate perspicuitatem secutus est, manstique nihilominus inter eos firma constansque amicitia: nam neque Martyris sententiam Bucerus improbabat, neque Buceri sensum, quantumvis ambiguis locutionibus uteretur, Martyr ignorabat. Itaque etsi diversa eorum in hac causa esset dicendi ratio, fuit tamen summus eorum consensus in omni doctrina religionis & perpetua amicitia vitæque conjunctio; quam si explicare vellem & omnia eorum officia, quibus mutuum amorem declararunt commemorare, verba me citius quam res ipsæ deficerent.* Hactenus Cl. *Simlerus*. Eadem modestia usus est Nobilissimus a *Lasco*, quod ex epistolis variis, a *Clarissimo* & *amicissimo Gerdesio*, Theologo Groningano editis, patet.

(**) Longe aliter de duabus his dissertationibus de legitimo fine & usu S. Cœnæ scriptis, judicarunt Viri ingenio & eruditione præstantes, quam obscuri illi, quos tangimus, Theologastri, videantur omnium instar, quæ de hoc argumento diserut Vir Excellentissimus, religionisque puræ castæque propugnator felicissimus A. F. W. *Sackius* in defensione Religionis christianæ Germanico idiomate exaratæ, parte VIII.

XXI. Coronidis loco adduxisse juvat ex *Hist. Sacramentaria Hospiniani* consensum inter Ecclesiæ Tigurinæ Ministros & Calvinum initum A. 1549. ex quo constabit, non aliter B. Majores nostros de hoc argumento locutos, quam quidem id a me factum est. Antequam vero capita ipsa consensionis recenset Hospinianus, exponit causam hujus conventus sequentibus verbis: *Res sic se habet; Multi Viri boni levi de causa offendebantur quod Calvinus de Sacramentis diversum quid a Tigurinæ Ecclesiæ Ministris tradere videretur. Tigurinam Ecclesiam, quæ multis præclaris dotibus ornata esset, merito reverebantur: Genevensi quoque Ecclesiæ & privatim Calvino, multum deferebant. Ut igitur cupivere Tigurinorum & Genevensium scriptis in discenda pietatis doctrina adjuvari, ne qua dissensionis species eorum progressus moraretur: ita utile judicabant, si familiari colloquio rationem inirent testandæ suæ consensionis in re Sacramentaria. Calvinus itaque, adjuncto sibi Comite Farello Neocomensis Ecclesiæ Pastore, Tigurum Geneva hoc anno profectus est, & cum Ministris ejus Ecclesiæ de causa Dominicæ Cœnæ contulit facileque inter eos utrinque veritatis amantes & studiosos convenit.* Sequuntur jam capita consensionis.

1. Cum Christus sit finis Legis, & ejus cognitio totam in se Evangelii summam comprehendat, non dubium est, quin huc spectet totum spirituale Ecclesiæ regimen, ut ad Christum nos ducat: Sicuti per eum solum ad Deum pervenitur, qui ultimus est beatæ vitæ finis. Itaque quisquis hinc vel minimum deflectet, nunquam de ullis Dei institutis rite & apposite loquetur.

2. Cum autem Sacramenta sint Evangelii appendices, is demum & apte & utiliter de eorum natura, vi, officio & fructu disserit, qui a Christo exordietur. Neque id modo, ut obiter Christi Nomen attingat, sed ut vere teneat, quorsum nobis datus sit a Patre, & quid nobis bonorum attulerit.

3. Sic ergo habendum est, Christum cum æternus esset Dei filius, ejusdem cum patre essentiæ & gloriæ, induisse carnem nostram, ut jure adoptionis, & id quod natura proprium habebat, nobis communicaret, nempe ut simus filii Dei. Quod fit, dum fide inserti in Corpus Christi, idque Spiritus Sancti Virtute, primum justi censemur gratuita justitiæ imputatione, deinde regeneramur in novam Vitam: quo reformati in imaginem Patris cœlestis, veteri homini renunciemus.

4. Ita

4. Ita Christus in carne sua considerandus est nobis sacerdos qui peccata nostra unico mortis suæ sacrificio expiavit, qui omnes nostras iniquitates delevit sua obedientia, qui perfectam nobis justitiam comparavit, qui nunc intercedit pro nobis, ut accessus nobis ad Deum pateat. Considerandus est tanquam Victima expiatrix, qua placatus est Deus mundo. Considerandus est frater, qui nos ex miseris Adæ filiis effecit beatos Dei filios. Considerandus est reparator, qui spiritus sui virtute reformat quicquid in nobis est vitiosum, ut mundo vivere desinamus & carni, ac Deus ipse in nobis vivat. Considerandus est Rex, qui omni bonorum genere nos ditat, qui nos gubernat sua virtute ac tuetur, qui spiritualibus nos armis instruit, ut adversus diabolum & mundum invicti stemus, qui nos ab omni noxa liberat, qui oris sui sceptro nos moderatur ac regit. Atque ita considerandus, ut ad se Deum verum & ad patrem nos evehat, donec impleatur illud, quod tandem futurum est, nempe ut sit Deus omnia in omnibus.

5. Porro ut se nobis talem exhibeat Christus, ac ejusmodi effectus in nobis proferat, unum cum ipso nos effici, & in ejus corpus coalescere oportet. Quia non aliter vitam in nos suam diffundit, nisi dum caput nostrum est, ex quo totum Corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensura cujusque membri augmentum corporis facit.

6. Hæc spiritualis communicatio, quam habemus cum filio Dei, dum spiritu suo in nobis habitans, facit credentes omnes omnium quæ in se resident bonorum compotes. Cujus testificandæ causa tam Evangelii prædicatio instituta est, quam Sacramentorum usus nobis commendatus, nempe Sacri Baptismi & Sacræ Cœnæ.

7. Sunt quidem & hi Sacramentorum fines, ut notæ sint ac tesseræ Christianæ professionis & Societatis, sive fraternitatis: ut sint ad gratiarum actionem incitamenta, & exercitia fidei ac piæ Vitæ, denique Syngraphæ ad id obligantes. Sed hic unus inter alios præcipuus, ut per ea nobis suam gratiam testetur Deus, repræsentet, atque obsignet. Nam etsi *nihil aliud significant, nisi quod verbo ipso annunciatur*, hoc tamen magnum est, *subjici oculis nostris quasi vivas imagines* quæ sensus nostros melius afficiant, quasi in rem ducendo, dum nobis Christi mortem omniaque ejus beneficia in *memoriam revocant*, ut *fides magis exerceatur*, deinde quod ore Dei pronunciatum erat, *quasi sigillis confirmari & sanciri.*

8. Cum autem vera sint quæ nobis Dominus dedit gratiæ suæ testimonia & sigilla, vere procul dubio præstat ipse intus suo Spiritu, quod oculis & aliis sensibus figurant Sacramenta: hoc est, ut potiamur Christo, tanquam bonorum omnium fonte, tum ut beneficio mortis ejus reconciliemur Deo, spiritu renovemur in vitæ sanctitatem, justitiam denique ac salutem consequamur: Simulque pro beneficiis his olim in cruce exhibitis *fide vero perceptis a nobis* & quæ *quotidie fide percipimus*, jam agamus gratias.

9. Quare etsi distinguimus, ut par est inter signa & res signatas, tamen non dissiungimus a signis veritatem, quin omnes, qui fide amplectuntur oblatas illic promissiones, Christum spiritualiter cum spiritualibus ejus donis recipere adeoque & *qui dudum participes facti erant Christi Communionem illam continuare* ac reparare fateamur.

10. Neque enim ad Signa nuda, sed potius ad promissionem quæ illis annexa est respicere convenit. Quatenus ergo in promissione illic oblata proficit nostra fides eatenus ista vis & efficacia, quam dicimus, se exerit. Ita materia aquæ panis aut vini Christum nequaquam nobis affert, nec spiritualem ejus donorum compotes nos facit, sed promissio magis spectanda est, cujus partes sunt nos recta fidei via ad Christum ducere: quo fides nos Christi participes facit.

11. Hinc concidit eorum error, *qui in elementis obstupescunt*, & illis affigunt salutis suæ fiduciam, cum Sacramenta a Christo separata nihil sint, quam inanes larvæ: & in ipsis omnibus hæc vox clare personet, non alibi quam in solo Christo hærendum nec aliunde petendam esse salutis gratiam.

12. Præterea si quid boni nobis per Sacramenta confertur, id non fit propria eorum virtute, etiamsi promissionem qua insigniuntur, comprehendas. Deus enim solus est, qui spiritu suo agit: & quod Sacramentorum ministerio utitur, in eo *neque vim illis suam infundit, nec spiritus suæ efficaciæ quicquam derogat: Sed pro ruditatis nostræ captu, ea tanquam adminicula sic adhibet, ut tota agendi facultas maneat apud ipsum solum.*

13. Itaque quemadmodum Paulus admonet, eum qui plantat aut rigat nihil esse, sed unum Deum, qui dat incrementum: ita & de Sacramentis dicendum est, *ea nihil esse, quia nihil profutura sint, nisi Deus in solidum omnia efficiat. Organa quidem sunt, quibus efficaciter ubi ipsi visum est, agit Deus: Sed ita, ut totum salutis nostræ opus ipsi uni acceptum ferri debeat.*

14. Con-

14. Constituimus ergo unum Christum, qui vere intus baptizat, qui nos in Cœna facit sui participes, qui denique implet quæ figurant Sacramenta: & uti quidem his adminiculis, ut totus effectus penes ejus spiritum resideat.

15. Sic interdum Sacramenta *vocantur Sigilla, dicuntur fidem alere, confirmare, promovere, & tamen solus Spiritus proprie est Sigillum, & idem fidei inchoator est & perfector. Nam hæc omnia Sacramentorum attributa inferiore loco subsidunt, ut ne minima quidem salutis nostræ portio, ab unico Authore, ad creaturas vel elementa, transferatur.*

16. Præterea sedulo docemus, Deum non promiscue vim suam exercere in omnibus qui Sacramenta recipiunt, *sed tantum in electis.* Nam quemadmodum non alios in fidem illuminat, quam quos præordinavit ad vitam: ita arcana Spiritus sui virtute efficit, ut percipiant electi quod offerunt Sacramenta.

17. Hac Doctrina evertitur illud Sophistarum commentum, quod docet, Sacramenta novæ legis conferre gratiam omnibus non ponentibus obicem peccati mortalis. Præterquam enim quod in Sacramentis nil nisi fide percipitur; tenendum quoque est, *minime alligatam ipsis esse Dei gratiam, ut quisquis signum habet re etiam potiatur.* Nam reprobis peræque ut electis signa administrantur, veritas autem signorum ad hos solos pervenit.

18. Certum quidem est, offerri communiter omnibus Christum cum suis donis, nec hominum infidelitate labefactari Dei veritatem, quin semper vim suam retineant Sacramenta: Sed non omnes Christi & donorum ejus sunt capaces. Itaque ex parte Dei nihil mutatur, quantum vero ad homines spectat, quisque pro fidei suæ mensura accipit.

19. Quemadmodum autem nihilo plus Sacramentorum usus infidelibus confert, quam si abstinerent, imo illis tantum exitialis est: *Ita extra eorum usum fidelibus constat, quæ illic figuratur veritas.* Sic Baptismo abluta sunt Pauli peccata, quæ jam prius abluta erant. Sic idem Baptismus Cornelio fuit lavacrum regenerationis, qui tamen jam Spiritu Sancto donatus erat. *Sic in Cœna se nobis communicat Christus, qui tamen & prius se nobis impertierat & perpetuo manet in nobis.* Nam cum jubeantur singuli se ipsos probare, inde consequitur, fidem ab ipsis requiri, *antequam ad Sacramentum accedant.* Atque fides non est sine Christo. Sed quatenus Sacramentis confirmatur, & agnoscit fi-

des confirmantur in nobis Dei dona, adeoque augescit quodammodo Christus in nobis & nos in ipso.

20. Utilitas porro quam ex Sacramentis percipimus, ad tempus quo ea nobis administrantur, minime restringi debet, *perinde ac si visibile Signum dum in medium profertur eodem secum momento Dei gratiam adveheret.* Nam qui in prima infantia baptizati sunt, eos in pueritia, vel ineunte adolescentia, interdum etiam in Senectute regenerat Deus. Ita Baptismi utilitas ad totum vitæ decursum patet. Quia perpetuo viget, quæ illic continetur promissio. *Et fieri interdum potest, ut Sacræ Cœnæ usus, qui in actu ipso propter incogitantiam vel tarditatem nostram parum prodest, fructum deinde suum proferat.*

21. Præsertim vero tollenda est quælibet localis præsentiæ imaginatio. Nam cum Signa hic in mundo sint, oculis cernantur, palpentur manibus, Christus quatenus homo est non alibi quam in cœlo nec aliter quam mente & fidei intelligentia quærendus est. Quare perversa & impia superstitio est, ipsum sub elementis hujus mundi includere.

22. Proinde qui in solennibus Cœnæ verbis, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, præcisé, litteralem, ut loquuntur, sensum urgent, eos tanquam præposteros interpretes repudiamus. Nam extra controversiam ponimus, figurate accipienda esse: ut esse panis & vinum dicantur id quod significant. Neque vero novum hoc aut insolens videri debet, ut per Metonymiam ad signum transferatur rei signatæ nomen, cum passim in scripturis ejusmodi loquutiones occurrant: & nos sic loquendo nihil afferimus, quod non apud vetustissimos quosque & probatissimos Ecclesiæ Scriptores extet.

23. Quod autem carnis suæ esu & sanguinis potione, quæ hic figurantur, Christus animas nostras per fidem Spiritus sui virtute pascit, id non perinde accipiendum, quasi aliqua fieret substantiæ Commixtio vel transfusio: Sed quoniam ex carne semel in sacrificium oblata & sanguine in expiationem effuso, vitam hauriamus.

24. Hoc modo non tantum refutatur Papistarum commentum de Transubstantiatione, sed crassa omnia figmenta atque futiles argutiæ, quæ vel cœlesti ejus gloriæ detrahunt, vel veritati humanæ ejus naturæ minus sunt consentanea. Neque enim minus absurdum judicamus Christum sub pane locare, vel cum pane copulare, quam panem transsubstantiare in ejus corpus.

25. Ac

25. Ac ne ambiguitas reſtet, cum in Cœlo quærendum Chriſtum eſſe dicimus, hæc loquutio locorum diſtantiam nobis ſonat & exprimit. Tametſi enim, philoſophice loquendo, ſupra Cœlos locus non eſt, quia tamen corpus Chriſti, ut fert humani Corporis natura & modus, finitum eſt, & cœlo, ut loco continetur, neceſſe eſt a nobis tanto locorum intervallo diſtare, quantum cœlum abeſt a terra.

26. Quod ſi imaginatione noſtra Chriſtum pani & vino affigere fas non eſt, multo minus licet in pane eum adorare. Quanquam enim panis in Symbolum & pignus ejus quam habemus cum Chriſto communionis, nobis porrigitur, quia tamen ſignum eſt, non res ipſa, neque rem in ſe habet incluſam aut affixam, idolum ex eo faciunt, qui mentem ſuam in eum convertunt, Chriſtum adoraturi.

Poſtquam Hoſpinianus hæc capita conſenſionis expoſuiſſet in fine hæc addit: *Hic Conſenſus non ſolum a reliquis Helvetiæ & Rhetiæ Eccleſiis approbatus eſt, ſed etiam multis doctis & moderatis viris, non parum placuit, qui in agnitione veritatis hoc ſcripto confirmati fuerunt. Operam quoque ſuam, ſi quibus forte non eſſet ſatisfactum, in addenda declaratione offerebant. Promittebant etiam ſe dociles fore, & melioribus Conſiliis obſequentes, ſi quid aliquis in ipſis deſideraret. Bucerus cum eum legiſſet, ſcriptis ad Calvinum ex Anglia literis, toti Eccleſiæ gratulatus eſt. Adverſarios autem hæc Conſenſio magis irritavit, ut acerbius ſcriptis in Calviniſtas inveherentur.*

Coronidis loco adjicimus inſignis Theologi judicium huc pertinens.

Hoc quoque ad Candorem, quem a Diſputatore requirimus, pertinet, ut noſtros & præceptorum lapſus ingenue fateamur, neu exiſtimemus quicquid aut nobis aut illis excidit, pertinaciſſime ſemper eſſe defendendum. Ut enim bona ſit cauſa noſtra, non tamen propterea patroni ejus falli non potuerunt. Peſſima ſæpe cauſa melius, quam optima propugnatur. Certe qui ſuos aut ſuorum nævos agnoſcere nequit, in aliis quoque & gravioribus candorem ſuum ſuſpectum reddit. Qui omnia *Lutheri, Zwinglii, Oecolampadii, Calvini* cæterorumque magnorum hominum dicta pugnaciter defendenda eſſe exiſtimat, is & obliviſcitur eos homines fuiſſe, & magis de aucto-

ritate

ritate partium suarum, de gloria Majorum & præceptorum suorum, quam de Deo & veritate videtur esse sollicitus: magis denique *Lutheranus* aut *Zwinglianus* quam Christianus. Ut taceam tam solicitas vindicias omnium, quæcunque a Majoribus nostris dicta sunt, nos sæpissime a causa Dei, causa perpetuo victrice, ad causam hominum, causam sæpe admodum infirmam, agendam abducere: ubi Adversariis non semper, saltem non tam liquido superiores sumus, quam in Dei & veritatis defensione. Nimirum

Hoc Ithacus velit & magno mercentur Atridæ. Ita Celeb. *Werenfelsius* in dissertatione de controversiis Theologicis rite tractandis,

VI.

VIRIS

Pl. Reverendis, Celeberrimis, Amplissimis, Eruditissimis

JOHANNI GRYNÆO,

S. S. Theologiæ in Academia Basileensi Doctori.

ET

J. GEORG. SCHELHORNIO,

Memmingensi, V. D. Ministro, & Perillustris hujus Reipublicæ Bibliothecario.

Hanc

ORATIONEM

In devotæ mentis, & nunquam intermoriturae

Amicitiæ tesseram

Dedicat, dicat.

Auctor.

ORATIO (*)

DE

Præcellentia Eruditionis Theologicæ, qua instructæ erunt mentes cœlo receptæ;

Collatæ

Cum imperfecta & umbratili, quæ in terris locum habet, rerum divinarum cognitione.



Multis, qui publice verba faciunt in more positum est, ut principio Orationis Auditoribus anxie exponant, quas antequam animum ad scribendum appulissent, versaverint animo curas, quibusque dubitationum fluctibus fuerint agitati, priusquam ad id quod eligendum cœterisque præferendum esset, secum statuerint. Postea, quasi maxima esset in terris exspectatio, quem partum tandem post tot gemitus edituri essent, narrant, argumentum ipsum & materiam de qua verba facturi sunt; edisserunt: Cujus dignitatem & præstantiam sæpe adeo verbis extollunt, ut nihil unquam magis salubre, & attentione dignum excogitari & laudari posse tantum non tibi persuadeas. Nec hoc contenti, serio monent, se *phalerato dicendi genere* non usuros; quasi ut id fieret genuina Eloquentiæ postularent præ-

(*) Lites & contentiones occasione hujus Orationis inter fratres quosdam exortas fuisse, cum sciant Eruditi in Helvetia Viri, non opus est, ut pluribus certaminis hujus mentionem faciam. Exterorum vero parum intererit scire, quinam illi fuerint, qui Orationem hanc primum impugnarunt, totque errores graves, uti putabant, in ea deprehenderunt. Quod in aliis certaminibus theologicis fieri solet, idem etiam hic evenit. Clandestinæ utplurimum esse solent, & nonnisi iis, qui in una eademque Ecclesia vel Academia vivunt, sunt certaminum & dissensionum cognitæ rationes. Orationem ipsam Lectoris Candidi & Eruditi judicio sucjicio, qui utrum tam acri censura ea digna fuerit, vel adhuc sit, per me decernet. Vide brevem hujus Orationis recensionem in Nova Bibliotheca Germanica Tomo II.

præcepta. Utrum consuetudo hæc cum regulis Rethorum conveniat necne, non nostrum, sed dicendi artis Magistrorum est decernere. Ad me quod spectat *Auditores*, missis verborum ambagibus, paucis cur hic sim & quid in medium prolaturus sim, dicam. Nostis autem omnes, me *Venerabilis Antistitis* nostri auctoritate & jussu, non meæ spontis impulsu, suggestum hunc conscendere, atque more Majorum in memoriam *Caroli* M. qui negotiosa hæc otia nobis feciſſe, atque invidendos reditus, & dignitatis nescio cujus simulacra parasse dicitur, in Amplissimorum Virorum consessu, de argumento gravi, qualitercunque differere. Volenti igitur nolenti verba ad vos mihi sunt habenda. Quod autem de præcellentia eruditionis theologicæ, quibus instructæ erunt cœlo receptæ mentes, collatæ cum imperfecta & umbratili, quæ in terris locum habet, rerum divinarum cognitione, non de alio argumento, dicere velim, hæc una ratio est, quod hoc argumentum mihi arridebat, dignumque vestra attentione videbatur: ut vero meam in dicendo imperitiam multis verbis excusem, vestramque eum in finem expetam clementiam, opus esse non existimo.

Præterquam enim quod *Eloquentiam* a me nunquam exspectastis, nostis me in numero Theologorum esse, quorum cerebrum innumeris rebus, vocibus, & phrasibus repletum esse solet & debet, de quibus puræ castæque latinitatis scriptores ne cogitarunt quidem, nedum ut rerum illarum laudem stylo fuerint prosecuti. Licet autem nullam mihi necessitatem impositam esse videam enixe vos orandi, ut vacivas mihi præbeatis aures, quandoquidem satis cognitum & perspectum habeo, vos eum in finem huc confluxisse, ut quid dicturus sim percipitatis; rogatos tamen vos volo, ut, quoniam argumentum ipsum de quo verba facturus sum, novitatis, quæ plerumque periculosa esse solet, speciem habet, amice & benevole dicta mea interpretemini, aut si minus recte, vel liberius, aut forte verbosius de hac vel illa parte argumenti mei locuturus sum, mihi ignoscatis, persuasi quippe hæc quoque ad *ignorantiam theologicam* necessario pertinere.

Ut autem ordinem aliquem, cujus etiam V. D. Ministri & Theologi, *nescio quo jure rationem habere debent*, observem, argumentum hoc ita tractabo.

I. Ut primo quidem loco potissimas causas, quæ impediunt, quominus majores in sanctioribus disciplinis faciamus progressus aperiam.

II. *Ostendam Impedimenta illa in statu felici, quem obtinebunt mentes cœlo receptæ, non solum esse sublata; sed & iisdem præsidia omnia, quæ ad consequendum summum eruditionis theologicæ gradum facere possunt, abunde adesse.*

III. *Tertio tandem quam vim hæc meditatio in animos cum docentium & discentium, tum omnium nostrum, cujuscunque conditionis & status simus, habere debeat, monstrabimus.*

Antequam autem in rem præsentem ire, atque ostendere possum, quam arctis limitibus circumscripta sit Eruditio nostra theologica, in causas hujus imbecillitatis primo est inquirendum. Possunt autem omnes commode ad tres referri classes. *Prima* ab ipsa *mentis constitutione, natura*, & *opinionibus*, quibus imbuta est, oritur. *Secundam* conficiunt omnia ea, quæ *extrinsecus accedunt*, mentemque vel magis vel minus ad ita vel aliter sentiendum inclinant & commovent. *Tertia* denique ex ipsa *sanctiorum disciplinarum indole* atque natura eruitur.

Quod igitur ad primam morbi hujus causam spectat, experientia constat, Infantes omnes ex utero matris in dias luminis auras prodeuntes, exiguis valde corporis & mentis instructos esse viribus. Mentes certe omnes, sive noviter dicantur creatæ, aut in prima rerum omnium creatione conditæ, sive staminibus suis primigeniis conjunctæ, & vehiculo indutæ, sive puræ, & ab omni materiæ labe secretæ, sive iisdem omnes facultatibus instructæ, sive Θεια quadam μοιρα ab ipso creationis & existentiæ momento diversis longe viribus ornatæ, omnes inquam in crassa, ut rerum omnium, sic divinarum imprimis & a sensibus remotarum versantur ignorantia. Neque est quod quis ad *Ideas innatas* provocet contrarium probaturus; quidquid enim de hac quæstione sit, quam hic non excutimus, hoc certum est, ad rite cognoscendas disciplinas ut omnis generis, sic divinas potissimum, multo labore & pertinaci diligentia opus esse, paucissimosque eorum qui literis vacant, insignem aliquem præ cæteris in iis obtinere gradum.

Cum mente tam imbecilla & rudi, conjunctum est corpusculum fragile, innumeris languoribus & morbis obnoxium, cujus opera mentes rerum in sensus incurrentium ideas consequuntur, simul tamen etiam in causa sæpe est, ut illæ a vero rectoque non sine quadam dulcedine abducantur, & retrahantur. Ignorantiæ autem huic & quæ

inde

inde utplurimum nasci solet, morum depravationi, occurri non alia via rectius posse quam per rationis, & optimarum artium ac disciplinarum culturam facile perspexerunt homines; hinc etiam mature in ludum literarum mittuntur pueri, præceptoribusque & professoribus traduntur eum in finem, ut ingenia honestissimis disciplinis perpoliant, atque ad vitam hanc prudenter & pie transigendam fingantur. Hic autem fieri solet, ut adolescentes interjecto aliquo temporis spatio, Parentibus aut amicis obsecundaturi, rei familiari consulturi, vel etiam, quod tamen rarius contingere solet, singulari quadam ingenii felicitate, perspectisque rerum & disciplinarum momentis inducti, Deo & rei sacræ commodis inservituri, animos ad excolendas præ cæteris sanctiores Literas adjungant, atque tandem post varios casus & cursus, post itinera dextrorsum & sinistrorsum suscepta, nomen *Theologi*, vel quod idem est *V. D. Ministri*, obtineant. Non quæram quo jure sæpe quidam huic muneri adjungantur, aut postquam id adepti sunt, eo defungantur, de quo multa dici possent. Ponam jam quidem plures non solum excellenti ingenio esse instructos, sed & ad docendas sanctiores literas, religionisque præcepta rite tradenda aptissimos esse. Neque vero, dum Theologis & V. D. Ministris solis facultatem rite tradendi religionis capita tribuo, asseruerim, eos, qui aliis artibus, ac disciplinis vacant, aut negotiorum publicorum, & civilium curam gerunt, rerum ad religionem spectantium ignaros esse; pulchre enim novi multos, adeo insigni rerum theologicarum peritia esse instructos, ut in decidendis gravissimis religionis articulis, judices & arbitri esse possint: sed V. D. Ministros & Theologos propterea singulari rerum divinarum instructos esse dico scientia, cum quod eorum una cura, labor & negotium esse debet, ut quicquid ad tradendas, explicandas, & defendendas sanctiores disciplinas facere potest, perspectum atque cognitum habeant; tum quod multa Theologo sint cognoscenda, quæ ad ipsius religionis in se spectatæ naturam atque indolem necessario non pertinent, quæque adeo cœteri impune ignorare possunt. Loquimur autem hic de eruditione Theologica in genere spectata, nullo habito ad hanc vel illam Christianorum sectam respectu.

Cum vero, ut sunt tempora nostra, ad peritiam rerum theologicarum, & Theologi eruditi nomen obtinendum innumera postulentur, partesque harum disciplinarum in immensum auctæ sint, paucorum autem ea sit ingenii vis atque fœcunditas, ut de diligentiæ, occasionis defectu, aliisque impedimentis nil dicam, palam est, difficillimum

limum esse in hac disciplina si ad omnes partes partiumque partes, quibus constat, respicias, excellere, & insignes in ea facere progressus.

At ostendendum est singillatim, quæ obstent, quominus viri ingenio non destituti, in sanctiorum disciplinarum cognitione altius provehantur.

Et principio quidem nemo diffitebitur, ad solidam rerum theologicarum peritiam non solum requiri judicium acre, ingenium excitatum, & memoriam capacem; sed & jugem meditationem, laboris patientiam, lectionem vastam, rerum divinarum examen serium & sincerum, veri denique studium ardentissimum. At quam pauci eheu sunt, quos his virtutibus ornatos esse jure asserere possis? Quot sunt ex hoc numero, qui ad stivam potius agendam, vel artem mechanicam exercendam aptiores essent, quam vero ad tradendas nobilissimas disciplinas, aut oracula divina publice exponenda? Quot sunt qui opinentur lectione alicujus systematis theologici, & facultate qualemcunque orationem conscribendi & ad populum habendi, V. D. Ministri scientiam & officia absolvi? Quam paucis inest indefessum & incorruptum veri studium, & digna ad tanta negotia præparatio? Sed ponamus hæc secus esse, atque abesse hæc vitia omnia; alia sunt multa, quæ impediunt etiam eos, qui dotibus ingenii non contemnendis ornati sunt, ardentissimoque studio his Literis vacant, quominus in stadio hoc feliciter decurrant.

Primo enim obstant accuratiori cognitioni rerum divinarum *animis anteceptæ & ab ipsa infantia haustæ opiniones de his vel illis religionis articulis*, quibus plerique vel huic vel illi sectæ addicti pertinaciter veluti saxo adhærent, nullisque argumentis, clarissimis licet & evidentissimis evelli sibi eas patiuntur. Dolendum autem nullas opiniones majores in animis radices agere iis, quæ specie religionis sese commendant, unde tot præstantissimorum Virorum, theologici etiam ordinis, de præjudicatis Theologorum opinionibus querelæ.

Facile autem colligi potest, quale & quam sincerum futurum sit religionis in hoc statu hominis, examen. Ut enim male judicat omnis corruptus judex, ita sinistre religionis capita expendunt, qui opiniones leviter admissas, nullique accurato examini subjectas pro regula, imo pro axiomatibus suorum decretorum habent. Eas autem semel arreptas, incredibilem in animos vim habere, & multum valere, vel id argumento esse potest, quod ineptæ plures & Deo indignæ opiniones, quæ passim inter quasdam Christianorum familias publice admit-

mittuntur, nullis atgumentis expugnari possint. Ut nihil dicam de iis, qui nescio quem infallibilem doctorem Romæ degentem cæci sequuntur: Infelix enim illud lolium id est cæcus assensus aliis in rebus ad religionem spectantibus datus, non solum in *Italicis*, sed & aliis in hortis crescit.

Cum anticipatis hisce opinionibus plerumque conjunctæ sunt *vehementiores animi commotiones*, quas *affectus* appellare solemus. His, quod dolendum valde, obnoxios esse multos Theologorum, quorum animus tranquillus, placidus, & nonnisi veri rectique studio incensus esse deberet, nemo facile infitiabitur. Animus non est vitia eorum qui sacris operantur acerbe perstringere aut in majus extollere, vel etiam hos vel illos nominatim vellicare. In genere tantum, quod argumenti nostri natura postulat, de vitiis quorundam pauca sunt dicenda; quod si ea quæ de quibusdam duntaxat dicentur, hic vel ille ad se rapiat, stulte nudabit animi conscientiam. Et ut quædam tantum speciminis gratia adducam, quis nescit in ordine hoc maximum esse *Sectæ*, & *partium studium*: citius certe exspectabis ut coquus de coquo, vel Sutor de sutore incorrupte judicet, quam ut multi Theologi non dicam de aliorum sed & suæ sectæ addictis placitis, sincerum ferant judicium. Hinc quo animo sententias a se dissidentium expendant, facile est judicatu. Vix sine commotione eorum libros legere possunt. Hinc audias sæpe ejusmodi homines ita ratiocinantes: Hic in hoc vel illo argumento errat, ergo in aliis etiam acutum cernere non potest; hic non unum commisit circa quæstionem criticam errorem; ergo ineptus est ad systematis alicujus nexum videndum, & dijudicandum. Hic vir cætera doctissimus, multa loca S. Literarum plane aliter explicat, quam nobis placet; Ergo in cæteris etiam audiendus non est. Illi quidem qui ab Ecclesia Romana secessionem fecerunt sese infallibiles esse non fatentur, sed potius vehementer impugnant Pontificis Romani ridiculum fastum, ita tamen simul, ubi cum dissentientibus res est, sæpe agunt, ut jurares ipsosmet vere persuasos esse, se errare non posse. Hinc etiam suis duntaxat opinionibus addictos cumulatim laudant. Quicquid ab illis dictum est obscurum licet vel tritum, excellens est, & admiratione dignum; ut vero dissentientium dictis & scriptis æquum ponant pretium, vix ac nevix a se impetrare possunt. *Quid magis*, exclamat *Beatus Werenfelsius*, *[*judicium acutissi-*

(*) In Dissertatione Apologetica pro plebe christiana adversus Doctores, judicium de dogmatibus fidei illi auferentes, pag. 37. Opusc. edit. prioris.

acutissimorum hominum corrumpit atque illud partium studium, quod semper inter Doctos, eos præsertim, qui sacris præsunt regnavit? Explicet mihi aliquis, cur de certis dogmatibus aliter Jesuitæ sentiant, quam omnes alterius ordinis homines: Omnes Franciscani aliter quam omnes Dominicani; omnes Sorbonæ Theologi quam omnes Transalpini; Et ne nostros omittere videar omnes Theologi Lutherani ut vocantur quam omnes Reformati; omnes hujus Religionis aut Academiæ Doctores quam alterius. Ridiculum esset dicere, dissentientes simile habere corporis temperamentum, aut similem ingenii διαθεσιν; his adversantes contrariam; aut hoc provenire ex ex diversitate aëris, quem dissentientes respirant. Studium partium hoc est, aut nescio quid sit studium partium. Nimirum simulatque aliquis sectæ, ordini, societati, adscribitur, omnes protinus ejus opiniones adoptat. A sua parte nullum est præjudicium, nullus error, nulla injustitia, nullum partium studium. Ab adversa nil nisi præjudicia, errores, injustitia, & nil nisi partium studium; si centum & amplius suæ parti intercedunt controversiæ cum parte opposita, centum & amplius sua pars recte decidit; pars adversa ne in unica quidem veritatem attingit. De hoc sane quoties cogito, toties animum subit ingenuum Optati Milesitani ad Donatistas dictum. Nemo vobis credat, nemo Nobis, omnes contentiosi homines sumus: *O amabilem candorem & nostra ætate rarum! longe aliud hodie auditur ubique, & ab una,* & altera parte disputantium. *Nemo* utrinque clamant, *Nemo, ne in ulla quidem re parti adversæ credat. Omnes credant nobis, & quidem in omnibus. Adversarii quotquot sunt contentiosi homines sunt, nemo nostrum. Imo vel contentiosissimi a se impetrare nequeunt ut dicant, homines sumus, nedum ut dicant: contentiosi homines sumus.* Ita eximius ille Theologus.

Hic autem affectus sine *odio* & *ira* subsistere non potest. Unde fit ut multi Religionis momenta sedata mente trutinare non possint. Novi plures dari hujus morbi causas, Ut tamen dicam quod sentio, præcipua hujus æstus ratio ex eo petenda mihi videtur, quod Juvenes inciderint in tales Magistros vel Auctores, qui quoslibet dissentientes atro notarunt carbone, eorum sententias erroneas quidem sed leves sæpe in majus extulerunt, & inter errores pietati inimicos atque graves, & inter eos, quos parum cavet natura humana, & in optimi cujusque animum irrepere possunt, sollicite nunquam distinxerunt; unde mirum non est, eos ad omnem opinionem novam exhorrescere, & puerorum instar de longinquo anguem videntium pedem retro referre, atque credere sub quolibet lapide i. e. sententia dissentientis, dormi-

dormire scorpium. Quod si quando legant, quod tamen raro fieri solet, scripta Virorum aliis quam quæ ipsimet sequuntur placitis addictorum, non tam id fit ut quæ utilia sunt inde discant, aut juxta Pauli monitum omnia probent & quæ bona sunt retineant, sed ut aliquam eos carpendi, iisque insultandi reperiant materiam.

Quis miretur tales impediri, quominus in cognitione rerum divinarum aliquos faciant progressus? Solent equidem hi homines odium quo feruntur in dissentientes, communiter honesto *zeli pro gloria Dei* titulo tegere. Sed fraus sæpe manifestissime pellucet, dum sole meridiano clarius est, eos pro receptis opinionibus, pro existimatione sua, pro commodis suis, pro auctoritate sua, & factione sua tuenda, non vero pro virtutibus divinis decertare; certe *veri nominis zelus* cum amore proximi est conjunctus; *veri nominis zelus* controversiæ momento, & rei dignitati est attemperatus; *veri nominis zelus* cum accuratissima cognitione est conjunctus: *veri tandem nominis zelus*, ut plura alia silentio prætermittam, non erroribus tantum sed vitiis potissimum, quæ magis quam errores saluti hominum officiunt, bellum indicit. His & aliis characteribus de quibus tempus dicendi non est, cum destituatur ille tanto cum strepitu jactatus quorundam zelus, non est cur putent se sapientioribus verba dare posse.

Sed & alia sunt quæ obstant progressui cognitionis rerum divinarum. Huc merito referas δοκησισοφιαν *quandam* multis *familiarem*. Nimirum sunt ex iis, qui sanctioribus disciplinis vacant, qui non solum de ingenio suo, quo forte non contemnendo præditi sunt gloriosius sentiant, sed & non satis cognoscant, quanta sit rerum cognoscendarum multitudo & sublimitas, quantumve temporis postuletur, ad unam aliquam eruditionis Theologicæ partem rite & solide addiscendam. Hinc postquam quædam evolverunt systemata & interpretum quorundam quos solos acutum cernere putant, sententias sibi familiares reddiderunt, nihil aliud sibi relictum esse putant, quam ut iis firmiter adhæreant, neque necesse adeo esse putant, ut in eruendo vero veteres, & recentiores diligenter in consilium vocent. Omnia si eos audias, quæ de rebus divinis dici possunt, & in S. Literis continentur, in plena sunt collocata luce, plana sunt omnia & cognitu facilia, omnia satis discussa; Prophetarum omnium, & Apocalypseos sensum non minus accurate intelligunt quam epistolarum divi Johannis. Hinc ægerrime ferunt, si quis novas vel hypotheses, vel locorum S. Scripturæ explicationes in medium proferat. Diu enim est inquiunt,

quiunt, ex quo ecclesia, quid sit circa hoc vel illud argumentum sentiendum decrevit; in his adquiescendum; alias per omnem vitam novis examinibus locus esset futurus.

Alii nonnisi *nova*, in speciem *sublimia*, & a *cæterorum* omnium Theologorum & interpretum mente *abhorrentia quærunt*; Quicquid tritum, simplex & naturale est fastidiunt. Volunt adire loca nullius ante trita pede: hinc explicationes scripturæ raras & insolitas magni faciunt, & opiniones noviter inventas, nullo licet tibicine fultas, imo ineptas aliquando & stramineas laudant. Quod si tam felices sunt, ut ipsimet postquam satis cerebrum fatigarunt, novam aliquam hypothesin, aut S. Literarum interpretationem effinxerunt, mire sibi plaudunt, & publice ingeminant, miraculo simile esse, rem captu adeo facilem a nemine hactenus Theologorum vel interpretum detectam fuisse. Putares hos homines alios plane quam cæteros oculos habere, & noctu non minus clare cernere, quam in plena luce. Quod si vero illi aliqua linguarum orientalium, & artis criticæ peritia instructi sunt, ingenio mirum in modum fræna laxant. Vix offendunt versiculum, in quo non sit aliqua ad ritum veterem allusio, quæ non uni in Antiquitatem excursui locum suppeditet. In horum hominum explicationibus (verbis utor *Excellentissimi Theologi S. Werenfelsii nunc cœlitibus adscripti*) „dicta invenis Auctorum omnis generis; græca, hebraica, „ chaldaica, syriaca, arabica. Cernis in his commentariis opus phry„ gionicum, omnium pæne linguarum characteribus variegatum. Uni„ cum tantum non reperis sensum loci quem intelligere cupis, plane „ ut post multa necquicquam lecta, tandem iratus comicum illud usur„ pes: *Feciſtis probe incertior ſum multo quam dudum.* Rursus alii, sed eodem scientiæ, & eruditionis tumore inflati, putant id demum esse in rebus theologicis sapere, si *quæ omnium conſenſu certa & plana ſunt* convellere, & *incerta* si pote reddere possint. Non placet gustui horum hominum simplicitas in Christi & Apostolorum scriptis occurrens: Nonnisi *mathematicam fidem* crepant, putantque Theologorum dissensum circa dogmata satis docere, sine pietatis detrimento *ſcepticiſſimum* foveri posse. Jurares hos homines neque edere, bibere, aut dormire nisi prius consultis calculis & algebraicis numeris; si hos audiremus *Euclidem* Evangeliorum loco haberemus, & cœlo reciperetur nemo ἀγεωμετρητος.

Denique & hoc progressui cognitionis accuratioris rerum divinarum officit, quod quidam *amore quarundam hypotheſium*, aut *dubiarum*, aut

aut *verarum* quidem sed non *magni ponderis* abrepti, neglectis momentosissimis, iisque, quæ adhuc diligenti pervestigatione in lucem essent proferenda, omnem in iis *explicandis & tuendis* consumant ætatem.

Satis exemplorum adducere possem, nisi vererer ne ea recitando eruditissimorum quorundam & rerum theologicarum peritissimorum in me provocarem odia; novi enim quam sit *irritabile genus Vatum quorundam.* Qui rerum inter Theologos gestarum notitiam habent, vel me tacente plurima hujus erroris reperient vestigia.

Sed pergendum est ad enarrandas *causas externas* quæ non semel officiunt Examini severiori rerum divinarum. Præcipuas autem duntaxat, ut brevitati studeamus recensebimus. Atque hic primo loco occurrit *rerum a Theologo cognoscendarum multitudo.* Veteres *Oratorem* ita definiunt; *Orator est vir bonus dicendi peritus:* ita Theologus pariter breviter, & ex vero definiri posset: quod sit *Vir pius, Religionis christianæ probe gnarus.* At si quis ætate nostra his duntaxat virtutibus ornatum Theologum provehere, & commendare vellet, sat scio Doctoribus Academicis deridendum se propinaret; *Philologum, Philosophum, Criticum, Historicum, Chronologum*, uno verbo *Polyhistorem* responderent oportet esse Theologum. Hoc certum, disciplinam nobilissimam tot partibus & partium partibus hodie constare, ut ad eas singillatim perlustrandas, & rite cognoscendas nulla sufficiat ætas. Nostis *Auditores* quam difficile sit in una aliqua disciplina excellere; pauci quos Æquus amavit, multarum scientiarum peritia nobilitati sunt. Quis miretur igitur, si illi quibus tam variis disciplinarum & eruditionis partibus vacandum, imperfecte & tenuiter eas cognoscant, atque impediantur quo minus missis multis operosis disquisitionibus ad res gravissimi momenti pervestigandas animum adjiciant? Ut nihil dicam multos profecta demum ætate, & nihil tale opinantes tam gravibus muneribus admoveri, atque ita præpediri, quominus tam difficile & periculosum iter gnaviter & inoffenso pede decurrant. Huic adjunctum est aliud malum priori sororio nexu copulatum, nimirum *officium, non magis utilia quam subtilia, & parum profutura cognoscendi, deque rebus obscuris non minus quam claris, garriendi & disputandi.* Sane tot scholasticis tricis repleta est quibusdam in locis nobilissima scientia, tot quæstiunculis parum profuturis scatet, ut ne quidem Apostoli, si in terras redirent eas intelligere, & de iis *more Academico* i. e. scilicet *erudite* differere possent. Eas tamen si non intelligas, si non omnes nodos quos nectunt contentiosi & curiosi homines

solvere possis, unus e multis eris, facileque latebis. Ex vero dixerat *P. Cunæus* vir *Doctissimus* in libello de Republica Hebræorum de Evangelistarum & Apostolorum scriptis loquens, *Horrida illa simplicitas, quam olim tanto quisque felicius secutus est hercule, quanto propius tempora eorum attigit: nunc in hoc mundi senio, postquam intra famelicæ artis spatia stetimus levibus & inanibus præceptis factum est, uti corpus divinæ sapientiæ enervaretur, & caderet.* Et quod de Philosophia *Seneca* dixerat jure de multis quæstionibus Theologicis dici posset. *Antiqua* (inquit) *sapientia nihil aliud quam facienda & vitanda præcepit, & tunc longe meliores erant Viri: postquam docti prodierunt, boni desunt. Simplex enim illa & aperta virtus in solertem scientiam versa est, docemurque disputare, non vivere.* Quis autem rebus ita comparatis tam acuto est ingenio, ut semper solidum ab inani discernere possit? Quis ab omni gloriæ & ambitionis cupiditate ita est alienus ut relictis tot quæstionibus subtilibus potius quam utilibus, cognoscendis necessariis duntaxat & æternum duraturis totum sese dedat? Quis sine *Heterodoxias* crimine silentio prætermittere auderet minutas quasdam quæstiones, & controversias? At dum ita in supervacuis sæpe Theologis desudandum, & tempus pretiosum terendum est, fieri aliter non potest, quam ut momentosissima sæpe aut negligant aut quasi aliud agendo tractent, nedum ut illustrandis veritatibus cognitis, aut perveſtigandis difficilioribus & obscurioribus oraculorum divinorum sensibus, uti deceret, vacare possint.

Tertio felici huic progressui eruditionis Theologicæ obicem ponunt *Pontificum*, *Conciliorum*, *Synodorum*, *systematum*, & *formularum omnis generis decreta.* Non est animus Auditores de hisce multa verba facere, vel de norma interpretationis S. Literarum, & judice controversiarum differere. Quis enim vestrum ignorat dissentientium inter se Christianarum familiarum sententias? Pontificum decreta impedire quominus Viri Docti illorum obnoxii Imperio & addicti sententiis, libere res ad Religionem spectantes expendere, & sacras literas ea libertate, quæ viros veri amantes decet, tractare possint, adeo manifestum est ut nihil supra. Hujus legis in *Concilio Tridentino* sancitæ, ne quis nempe scripturam nisi juxta sensum Ecclesiæ interpretetur, dum mentionem facit *celeberrimi inter Pontificios Doctores nominis Dupinius*, iniquitatem illius tecturus, asserit sed raro commento, latam illam *contra Novatores, sed non contra se*; quod idem est ac si dixisset, eos omnes qui sensum scripturæ cœci subjiciant decretis *Papæ*, almæ matris

matris filios & genuinos interpretes, cæteros vero qui oculos ad lucem claudere nolunt, a sanctissimi, & in S. Literis versatissimi scilicet Pontificis voluntate recedere, adeoque gravissime peccare. Ipse *Rich. Simon*, Criticus audacissimus in notis versionis gallicæ novi testamenti, verba Petri, negantis prophetiam esse ἰδίας ἐπίλυσεως ita explicat: In hac (inquit) re non suo quisque ingenio confidat, sed consulat eos quos Jesus Christus interpretes Evangelii sui constituit, i. e. si scapham scapham appellare velis, Pontificum vel conciliorum decreta sequatur. (*) Ipsi *Protestantes*, qui solam sacram scripturam pro regula credendorum habent viderint, ne dum aliquando minus caute, atque parum circumspecte de *Analogia fidei* loquuntur, in eandem incidant Scyllam in quam Pontificii sunt prolapsi. (**)

IV. Impediunt porro veri cupidos, quo minus altius in hoc literarum genere provehantur, *rixæ*, *contentiones*, & ut rem barbaram barbara voce exprimam, *hæretificationes*, quæ sæpe occasione novæ alicujus hypotheseos, innocuæ licet, aut interpretationum S. Literarum oriri solent. Facile quidem concesserim Illos, qui nonnisi nova & paradoxa sectantur, firmissimas vero omniumque vere Eruditorum consensu receptas sententias, easque maximi momenti non solum publice vellicant, sed & defensores earum falsæ perstringunt, occasionem litium suppeditare; sed & hoc certum, sæpe *fratres* contra *fratres* eidem sanctissimæ disciplinæ addictos & in summa rerum conspirantes, ob hypotheses innocuas, nihilque divinæ Soteris doctrinæ aut dignitati detrahentes, insurrexisse, maximos clamores excitasse, & in majus extulisse controversiæ momentum, non sine plebis & optimorum virorum scandalo. Qui rerum, quæ in cætu Protestantium inde ab illustri Reformationis tempore contigere, notitiam habent,

(*) Verba gallica ita sonant: *Que chacun ne doit pas s'en rapporter à ses propres lumieres; mais qu'il doit consulter ceux que Jesus Christ a établis pour être les Interprêtes de son Evangile. La Liberté, que plusieurs avoient prise de ce tems-là, parmi les Chrêtiens, d'expliquer l'Ecriture selon leurs idées, avoit fait naître plusieurs hérésies.*

(**) Quos hic tangam non adeo obscurum est, nimirum eos inter Protestantes, quorum numerus non est exiguus i qui omnes recepti systematis theologici cui subscripserunt articulos pro analogia fidei, & norma S. Literarum interpretationis habent. Quam turpiter hi errent facile esset ostendere. Eos, ut alios taceam falsæ sed docte impugnavit Anonymus Anglus in dissertat. *de non legenda scriptura sacra* Cl. *la Roche Bibliothecæ Anglicæ* inserta. Quam caute contra in hoc negotio sit versandum, præter alios nuper erudite & prudenter ostendit Vir *Venerandus & Doctissimus J. Jacobus Lavaterus S. Theologiæ Professor Tigurinus, Collega noster conjunctissimus* in Dissertat. de *Interpretatione S. Scripturæ, præcipue de Analogia fidei.*

facile mihi assensum suum dabunt. Vel solæ illæ controversiæ *Coccejanæ*, *Cartesianæ*, *Particularistarum*, & *Universalistarum*, *Wolfianæ* &c. tantis animorum motibus hinc inde agitatæ manifestissimo, sed tristi Exemplo esse possunt. Interim eadem semper luditur fabula. Si quis vir doctus, veri amans, & confessioni etiam suæ, quod ad summam rerum serio addictus, aut novam hypothesin, ad huic vel illi dogmati Religionis lucem afferendam in medium adducit, aut quædam argumenta vel testimonia scripturæ hactenus afferri solita infirma esse judicat, licet firmiora constanter retineat, statim sunt qui strepitum faciant. Hinc audis hæc & alia sophorum quorundam dicta: *Hic homo monstri aliquid alit; Equo ne credite Teucri*, &c. Quis autem, cui pacis & quietis studium inest, rebus ita comparatis, diu noctuque cum detrimento sanitatis, oculorum, & facultatum, sanctioribus disciplinis illustrandis vacabit, si tale sit laboris & diligentiæ præmium? Quis non videt, male sanorum quorundam susurros & clamores impedire, quo minus majus semper indies rei sacræ accedat incrementum & ornamentum?

V. Denique, ut multa alia silentio transeam, *Eristica scripta*, quibus misere tempus ad sui defensionem Theologi multi uti debuerunt & adhuc tenentur, multum officiunt progressui sanctiorum disciplinarum.

Quot volumina sæpe Viri præstantissimi & innocentissimi, ad famam & existimationem tuendam, & erroris vel hæreseos crimen a cervicibus suis depellendum conscripsere, qui tempus hoc pretiosissimum ad illustrandas altiores disciplinas longe felicius, & majore cum utilitate, impendere potuissent? (*)

Verum quidem est, multum sæpe lucis ex ejusmodi conflictibus veritati affundi; simul tamen negari non potest, magnam partem ejusmodi libellorum constare famæ & innocentiæ defensione, verborum, phrasium & hypothesium genuina & sæpe non necessaria explicatione, rebusque aut prorsus nullam Religioni adferentibus lucem, aut pias & pacis studiosas mentes offendentibus.

Sed veniendum tandem est ad *tertiam* causarum classem, quæ impediunt, quo minus nostra de rebus divinis cognitio perfectior sit atque accuratior. Atque hæ petitæ sunt ex ipsarum disciplinarum theo-

(*) Legenda hic est veri amantibus dissertatio celeberrimi Clerici, adjecta epistolis criticis, in qua solvitur hoc problema; *An semper respondendum sit calumniis Theologorum?*

theologicarum indole, natura & tractandi methodo. In anteceſſum tamen duo ſunt monenda. *Prius* eſt, nos ſtrictim duntaxat de argumento nobiliſſimo & ampliſſimo dicturos : *poſterius, nos cum omnibus Proteſtantibus, non obſtante hac noſtra imperfecta rerum divinarum cognitione, nihilo minus tamen ex animo profiteri, ea quæ ad ſalutem cognitu ſunt neceſſaria, clare & perſpicue in S. Literis tradi.*

Verſatur autem diſciplina theologica potiſſimum circa *Explicationem S. Literarum*, circa *dogmata & elenchum diſſentientium*, circa *Prophetias*, & *res in cœtu chriſtianorum geſtas*. De ſingulis pauca ſunt monenda.

Quod (a) ad *S. Literarum interpretationem* ſpectat, notum eſt, primam interpretis curam eſſe debere, ut voces phraſesque idiomatis hebraici & græci perſpectas atque cognitas habeat. Hic autem fatentur Theologi eruditiſſimi & linguarum orientalium peritiſſimi, cognitionem linguarum orientalium, veterum hiſtoriarum, conſuetudinum, rituum, & opinionum, non tantam hodie comparari poſſe, quæ ſufficiat omnibus ſcripturæ locis intelligendis, omnibus difficultatibus & dubiis ſolvendis, omnibusque apparentibus contradictionibus conciliandis. Hinc ſæpiſſime ad conjecturas eſt fugiendum, inter quas quæ potiſſimum aliquando ſit eligenda, Deus aliquis dixerit. Exactam omnibusque numeris abſolutam notitiam originis linguæ hebraicæ, vocabulorum imprimis ſemel duntaxat occurrentium, poteſtatisque, quam habere debeant, non dari, apud cordatos omnes in confeſſo eſt. Unico quidem neque adeo magnæ molis volumine continentur ſcripta veteris Teſtamenti; ſed deſunt nobis interpretes coævi, qui omnium ſententiarum, circumſtantiarum, rituum, populorumque de quibus ſcriptores ſacri verba faciunt, accuratam dederint explicationem. Novi, quæ de *paraphraſium chaldaicarum & commentariorum Rabbinicorum* utilitate a Viris doctis monentur; nihil ego detraxerim Rabbinorum laboribus : at & hoc concedent mihi illi ipſi, qui auctoritatem illorum ſcriptorum extollunt, ſæpius nobis illos verba dare, neque magis quam nos multorum locorum difficilium, hiſtoriarumque antiquiſſimis temporibus geſtarum, accuratam habere cognitionem, vel ſufficientia ad id præſtandum in manibus habere præſidia. Idem de *Onkeloſi & Jonathanis* interpretationibus dixerim; ut taceamus, harum paraphraſium jactatam antiquitatem nondum extra omnem dubitationis aleam eſſe poſitam. Verum eſt, Viros linguarum orientalium peritos hinc inde ex *chaldaico*, *arabico*, *perſico*, *æthiopico*,

imo

imo ex *finensi* etiam idiomate S. Literis attuliſſe ingentem lucem. At præterquam quod poteſtates vocabulis ſubjectæ, ſucceſſu temporis, mobilitate vulgi, & migrationibus populorum frequenter mutentur, ſæpe nos addubitare jubent ipſæ virorum doctiſſimorum de his vel illis locis S. Litterarum diſſenſiones. Hinc quidam felicius *Jobum* ex *Chaldaiſmo*, quam vero ex *Arabiſmo* illuſtrari poſſe contendunt.

Inſignem utilitatem ad explicandum vetus teſtamentum, ut de novo jam nil dicam, afferre LXX. interpretum græcam verſionem uno ore aſſerunt eruditi. At Eosdem ſæpiſſime a textu hebraico diſcedere, imo aliquando ſenſus dare adeo a ſignificatione linguæ hebraicæ abhorrentes, ut nulla origo tam diſcrepantis verſionis dari poſſit, notiſſimum eſt; hinc diverſitatem illam quidam a codicibus quibus uſi ſunt Alexandrini illi interpretes, alii ab imperitia linguæ hebraicæ, qua laborarint, alii denique a corruptionibus & mutationibus quas paſſa ſit nobiliſſima verſio, repetere ſolent. Ignoramus, tuto quidem & ſine periculo, & fata codicum ante factum canonem & collecti canonis utriusque fœderis auctores: ignoramus multorum pſalmorum auctores, occaſionem ſcribendi, ſcopum & circumſtantias temporis, & perſonarum: ex quo ſimul judicari poteſt, ut in tranſitu hoc dicam, quid de conſuetudine apud nos recepta cantica nimirum Davidis non interrupta ſerie canendi habendum ſit. De origine & valore punctorum vocalium, & variantium lectionum, quas *keri* & *cethib* vocant, ſub judice lis eſt; vel minimæ hujus linguæ particulæ vehementer nos exercent, varia nimirum inſtructæ ſignificationis poteſtate. Hic emphaſin hic illic quærendam putat, alius nullam; hic ad ἐξεργασιαν ubi occurrunt vel occurrere videntur, præſertim in libris poëticis, phraſes & voces idem ſignificantes, provocat; alter cum majeſtate loquentis in ſacris Dei pugnare ejusmodi tautologias, ut ipſe vocat, contendit. De ſenſu Literali & myſtico vehementes ſunt Doctorum pugnæ. Hic omnem verborum amplitudinem urgendam cenſet, & ad canonem ſuum, nimirum verba Spiritus S. ſignificare quicquid ſignificare poſſunt, provocat: alius non ad vivum omnia reſecanda, ſed circumſtantiarum duntaxat, nativæ ſignificationis & connexionis habendam eſſe rationem clamat. Hic, ubi de hujus vel illius vaticinii implemento agitur, dudum, & ante multa ſecula, adductis hiſtoriarum monumentis, eventu comprobatum tuetur; alius in remotiſſimis ab illis temporibus ſeculis, id eſt, ætati noſtræ proximis, quærendum eſſe contendit, aut nondum impletum eſſe putat. Stylus ipſe He-

Hebræorum, in primis in libris poëticis & propheticis, hyperbolicis locutionibus scatet, atque adeo sæpe non solum ipsius vocis significatus dubius & anceps est, sed & si cognoscitur, quousque significationis amplitudo extendenda sit, dici non potest. In quo metri hebraici consistat ratio, nondum inter se conveniunt Eruditi. Neque plantarum animaliumque nomina, quorum textus s. mentionem facit, ubique assequimur. Quidam typorum numerum in immensum augent, alii pauciſſimos admittunt; rursus denique alii putant, adquiescendum in iis, quos N. Fœderis scriptores pro talibus nobis obtulerunt; ut alia multa silentio præteream.

Quod si ad N. Fœderis libros accedamus, verum est ad eos intelligendos melioribus nos munitos esse præsidiis, quoniam excellentissimorum literatæ græciæ scriptorum magna est copia, ex quibus plurima, quæ seculi nostri felicitas est, viri docti ad illustrandos N. Fœderis libros depromserant, & adhuc depromere solent. Hoc tamen non obstante, multa sunt quæ impediunt quo minus *perfectam* rerum in N. Fœdere patefactarum notitiam adipiscamur. Nihil dicam de auctoribus Canonis N. T. quorum curam in conferendis codicibus ignoramus, nihil de antiquissimorum Manuscriptoram fatis; Hæc enim parum officiunt Religionis cognitioni: nil de variis lectionibus; nihil de stylo hebraismis non paucis repleto; nihil de variis obscurioribus parenthesibus, trajectionibus, ellipsibus &c. &c.

Hoc tantum monebo, S. Soterem nostrum & Apostolos verba facere de rebus, de quibus nullus philosophorum græcorum, Poëtarum, & historicorum nullus, loqui potuit. Certe si literati illi viri in terras redirent, atque in codicem N. Testamenti inciderent, frustra ingenia sua in explicandis iis, quæ ad naturam Evangelii J. Christi pertinent, torquerent. Multa præterea in N. Testamento citantur loca ex veteri petita, quæ difficulter sæpe, sive codicem hebraicum, sive græcum, sive denique sensum duntaxat non verba secuti sint auctores sacri, ad institutum eorum applicantur: neque parum interest, utrum accommodationes in N. Fœdere admittas necne, de quo inter se litigant Theologi & interpretes. Ignoramus, saltem obscure intelligimus statum Ecclesiarum, ad quas Apostoli literas dederunt ignari quippe opinionum, quibus illi ad quos epistolæ directæ sunt, antequam Religioni nomen dedissent, fuerint imbuti. Apostoli enim in suis epistolis non tam Christianos prima edocebant christianæ religionis elementa, sed aliunde jam ipsis tradita esse ponebant. Obscure insuper cognoscimus, quæ in antiquissimis cœtibus peracta sint, & quæ

fuerit v. gr. prophetantium in cœtu Corinthiaco ratio; neque semper constat, utrum Christiani quibuscum per literas sanctissimi viri de rebus ad religionem spectantibus agere volebant, hebræi duntaxat fuerint origine, an vero etiam ex gentilibus orti. Ut de distinctione recepta capitum, & versiculorum aliisque moram sæpe nobis objicientibus nil dicam.

In utriusque fœderis explicatione autem accuratiori cognitioni obicem ponunt anticipatæ animo opiniones. Nimirum antequam ad S. Literarum lectionem seriam & interpretum explicationes accedimus, animus opinionibus quibusdam, vel si mavis, certorum articulorum cognitione, quam systema appellamus, est imbutus. His utimur utplurimum ad nexum & cohærentiam propositionis alicujus aut integri capitis ostendendum. Lege v. gr. duarum diversæ sectæ addictorum in epistolam ad Romanos paraphrases, & mox, quid velim, patebit. Imo multi eo usque progrediuntur, ut incertissimas hypotheses, si Diis placet, in utroque fœdere reperiant. Hic in Patribus antediluvianis originem philosophiæ corpuscularis & Chymiæ, alter in Apocalypsi lapidem philosophorum reperit; hic in primis capitibus Mosis non solum vortices, sed totum mundum Cartesianum comprehendi; ille scriptores sacros Copernici sententiæ addictos fuisse, clamat.

Alii in interpretatione S. Literarum potius respiciunt quid utile sit, ad confirmandum hunc vel illum cui addicti sunt Religionis articulum, quam ad veritatem ipsam. Hinc audias eos dicentes; diversæ quidem hic locum habent interpretationes, quarum nulla est absurda; at præstat huic non alteri album adjecisse calculum explicationi, quia hæc mirifice facit ad hanc vel illam systematis nostri partem confirmandam. Nonnulli operam dant, ut sensum quærant latum, in quo explicando habenas ingenio laxare possunt; alii data opera significationem vocum & phrasium contrahendam esse clamant, ne inveniant forte, quod ab opinionibus, quas firmas esse volunt, & optant, abhorreat. Ut de aliis perversis interpretantium studiis nil dicam. (*) *Ex quibus*, ut alia, quæ adduci possent taceam, patet, quam difficile imo impossibile sit, ut versio aliqua omni ex parte accurata, id est, per omnia cum idiomate vel hebraico vel græco consentiens ador-

(*) Legendi hic Auctores, qui de interpretandi S. Literas regulis data opera scripserunt v. gr. Cl. Werenfelsius in dissertat. de ἰδίᾳ ἐπιλύσει, & de scopo interpretis; Cl. Rambachius de idoneo S. Literarum interprete, aliique multi.

adornari possit: Incidit mihi hic responsum *Genebrardi*, viri linguarum callentissimi, quod dederat *Henrico III.* Regi Galliæ; cum enim potentissimus ille Rex desiderio videndæ versionis gallicæ utriusque Fœderis tactus, consilium Genebrardi petiisset, atque interrogasset, quantum temporis & sumtuum ad ejusmodi opus perficiendum postularetur, respondisse ipsum ferunt; ad minimum per triginta annos huic operi esse vacandum; adhibendos triginta Viros in linguis & disciplinis Theologicis versatos, denique bis centena millia thalerorum in sumtus esse eroganda, neque tamen sic aliquid præstari posse, quod extra omnem plane censuram, & erroris periculum positum esset. (*)

Quod si ad dogmata theologica, (ut de Theologia morali & casibus conscientiæ nil dicam) uti vocantur, contemplanda animum convertimus, denuo quam tenuis & manca valde Eruditionis nostræ theologicæ ratio sit, patebit. In genere notamus imperfectissimam esse nostram cognitionem rerum in sensus non incurrentium. Hinc sæpe ubi de spirituum & monadum attributis, & adfectionibus agitur, hæremus. Quemadmodum enim sensus nobis dati non sunt ut intimam corporum essentiam habeamus perspectam, sed ut tantum de iis sciamus, quantum ad commoda vitæ nostræ promovenda, deumque celebrandum necesse est: ita neque mente sumus instructi, ut perfectam spirituum adipiscamur scientiam; sed ut, comparata quali-

(*) Rem narrat *R. Simon* in præfatione versioni gallicæ N. Testamenti præfixa, nixus auctoritate *Renati Benedicti*: neque interim ingenua hæc confessio Protestantium causæ obest: Per *rerum naturam* fieri non posse putamus, ut ejusmodi versiones omni ex parte cum textu originali conspirantes conficiantur. Gratulabimur autem nobis, si Pontifices Romani in decidendis controversiis infallibiles & linguarum originalium peritissimi, tandem laborantibus succurrent, & nebulas omnes hic occurrentes dispellent. Eruditissimus *Wagenseilius*, Vir linguarum orientalium callentissimus, in libro, cui titulus: *Tela ignea Satanæ* pag. 522. rationem redditurus, cur versiones S. Literarum omni ex parte cum Textu fontis græci vel hebraici convenientes hactenus a Viris doctis adornatæ non sint, ad *arcanas divinæ Providentiæ* provocat *vias*, dicens: Cogitavi egomet mecum tacitus sæpe de hac re, & miratus sum, cum multorum librorum in alias linguas versiones extent ad amussim factæ, & primigenium textum tanta similitudine referentes, ut nullum inter hunc & illum discrimen aliud intercedat, quam diversitatis linguarum, ecquare fieri non potuerit ut a tot seculis S. Scripturæ aliqua concinnaretur versio, quæ suos non proderet nævos & ingenuitatem assidue servaret. Atque cæpi tandem totum hoc cœlesti tribuere providentiæ, quæ non patiatur a quoquam omnibus numeris absolutam edi versionem, ut nimirum apud omnes omnino nationes toto orbe dispersas semper fontibus illis, qui immediate ex æternæ sapientiæ sacratissimo abysso scatuerunt, præ canalibus, per quos beatissimi humores aliorsum ducuntur, sua majestas & auctoritas illibata conservetur, atque ut subinde rivulos hos comites sumerent, & ad fontis latices irent, si qui verum saporem divinissimæ aquæ sincerius perguſtare discuperent. Ita *Wagenseilius*. Utrum eo recurrendum sit, judicent Viri me doctiores.

cunque rerum in sensus non incurrentium notitia, quæ ad res divinas pariter & humanas rite ponderandas & in usum revocandas in his terris facere possunt, cognoscamus. Quod si corporum ante oculos positorum, spirituumque finitorum tam imperfectam habeamus notitiam; quid mirum est, si Dei naturam, perfectiones, agendi modos, consiliorum rationes, & fines imperfectissime cognoscimus? Hinc recte *Lactantius; cum ad illum mentis humanæ intentio & acumen & memoria pervenerit; quasi abductis & consumtis omnibus viis subsistit, hæret, deficit, nec est aliquid ulterius quo progredi possit.*

Quis igitur in tanta rerum nostrarum caligine vel unius attributi divini exactam dabit & numeris omnibus absolutam definitionem? Quis poterit explicare, qua ratione Deus singulis ut ita dicam momentis, præsentia, præterita, contingentia, necessaria & futura cognoscat? Quis scire quid sit a se esse, & ab æterno esse? Quis Ejus modum agendi in creaturas cum ratione & sensu instructas, tum prorsus iis destitutas, declarabit? Quis consiliorum & decretorum divinorum ordinem ab omni æternitate cœptum cum suis causis, & finibus, (de quibus tamen tanta confidentia quidam quasi Deo a consiliis fuissent garriunt) in clara collocabit luce? quis definiet, qua ratione fieri potuerit, ut volente Numine infinita quædam materiæ prodierit massa innumeris seminibus fœta? Quis administrationem divinæ providentiæ, causasque ejus in regno Naturæ, & gratiæ deteget? Quis nodos circa originem mali moralis, & physici occurrentes, imprimis ubi ad hoc vel illud individuum deventum est, solvet? Quis viam monstrabit, per quam primum peccatum in omne genus humanum fuerit devolutum? Quis Theologus tandem causam reddet sufficientem, cur Deus hanc non aliam rerum seriem, hunc nunc alium mundum produxerit? Quis novit qualis sit Infantium in utero materno religionis cognitio? quis non suam circa Trinitatis, incarnationis, & satisfactionis Jesu Christi dogmata fateatur ignorantiam? Quis edisserat, cur his duntaxat populis non aliis lux Evangelii apparuerit? Cur non citius Christus in mundum venerit? Quis futuræ in cœlis administrationis per omnem æternitatem rationem, beatarum mentium cognitionis gradus, quis denique infelicium orci victimarum fata singula enarrabit? Hæc, ut alia plura mittam, satis ostendunt, quam imperfecta sit nostra & manca valde *dogmaticæ Theologiæ* cognitio. Hinc quo quis est in his rebus magis versatus, eo magis etiam frequentissime de his vel illis interrogatus subtilioribus quæstionibus respondebit: *Nescio; ignoro; non liquet.*

Ex

Ex quo simul etiam, Auditores, facile patet, quam imperfecta futura sit nostra *theologiæ polemicæ* peritia. Ut enim non dicam studium polemicum inter *mala necessaria* referendum, quis nescit sæpissime de verbis non de rebus fuisse acerbe disputatum, & quidem inter fratres: disputatum de rebus quidem aliquando, sed rebus exigui momenti: sæpe de rebus de quibus neuter disputantium perspicuam & accuratam habebat notitiam, adeo ut si verum dicere voluissent, in hæc erupissent factis induciis verba: *Hactenus amici de rebus vel incognitis plane vel obscurioribus disputavimus;* ut de his inquam nil dicam, quam difficile est in hoc argumento versantibus sibi cavere a studio partium, a falso Zelo, ab argumentis omnibus ab invidia petitis?

Quanto ingenio, labore, & judicio opus est, ad omnia dissidentium inter se Christianorum systemata suis fundamentis rite aptata, nullisque admistis falsis interpretationibus corrupta, rite cognoscenda? Quis sine temeritatis nota asseret, se nodos omnes circa religionis negotium occurrentes, quos nobis omnis ætatis homines proponunt, solvere posse? Et cujus tandem ætas sufficeret ad omnes stultas, ineptas, & audaces opiniones, quæ in ecclesia inde a condito orbe motæ, & agitatæ sunt, non dicam refellendas, sed saltem rite cognoscendas? Neque enim Theologis polemicis, cum variis Christianorum sectis duntaxat, sed cum gentilibus, Judæis, Mahomedanis, Atheis, Deistis, Scepticis, Fanaticis & nescio cujus furfuris hominibus aliis, pugnandum & certandum est.

Fac vero Theologum hæc ad unguem callere, multa alia ipsi præstanda sunt, antequam triumphum canere potest; pugnandum enim illi erit cum præjudicatis opinionibus, & amore sectæ altissime animis errantium infixis. Hos hostes nisi prius represserit, frustra erit. At quam inexpugnabilis est quorundam pigritia, ubi de Religionis examine agitur? Quam pauci curant disputationes Theologorum serias etiam & attentione dignas nedum subtiles & scholasticas? Quot sunt qui ad *solum vocabulum controversiarum* exhorrescant? Quam paucis veteres avias de pulmone revellas? Quam pertinaciter plerique adhærent opinionibus cum lacte quasi materno hausti? Quam rarus est veri nominis Proselytorum numerus? Quam parum vulgo disputationibus proficitur? O quam recte facerent multi Theologi, si potius de pravis affectibus suis, quibus laborant, reprimendis & purgandis, quam dissentientium opinionibus convellendis prius essent solliciti.

Sed accedimus ad *Theologiam prophetticam*, visuri, utrum hic acutius

tius cernamus. Tantum autem abest, ut in hac disciplinarum Theologicarum parte de accurata quadam scientia gloriari possimus, ut potius illi ipsi, qui incredibili cum studio illi per plures annos incubuerunt, fateantur, si ea quæ de futuro Messia, ejus doctrina, muneribus, perpessionibus & conversione gentium excipiantur prophetæ monent, pleraque densis esse tenebris obsepta.

Ex sacris equidem Literis novimus dari prophetas, id est homines inusitata quadam rerum divinarum cognitione instructos, & facultate futura prædicendi ornatos; qua ratione autem Deus mentibus illis illabatur, eas agitet, atque efficiat, ut quæ cæterorum mentis aciem fugiunt cernant, tuto ignoramus. Quod si ad ipsorum Prophetarum deventum est explicationem, multa impediunt quo minus facile & perspicue eorum mentem capiamus. Talia sunt stylus ipse Prophetarum hyperbolicus, innumeris figuratis verbis & phrasibus repletus, adeoque intellectu difficilis, orientalium quippe potius quam nostris auribus gratus, & accommodatus; unde haud facile dixeris, quousque dicta ejusmodi sint urgenda, ne Spiritus S. fini, verbis intento, aliquid addamus, vel demamus. Et cui cognitæ tandem sunt omnes loquendi rationes, consuetudines, gnomæ, & parabolæ, antiquissimis hebræis, aut aliis orientis populis cum quibus illis consuetudo quædam intercesserat, & contra quos volente ita Numine insurrerant Prophetæ, usurpatæ? Quis temporum, locorum, personarum ad quæ omnia digitum intendunt sacri vates, perspectas habet circumstantias? Quis in tanto veterum monumentorum illius ætatis defectu temporum ordines sine formidine lapsus designabit? Ad hæc sæpe ita loquuntur divini vates, ut utrum facta, de quibus loquuntur, suum nacta sint complementum nec ne, ignores; unde & multi in certis quibusdam temporum periodis eventura demum putant, quæ dudum eveniisse alii existimant. Adde, quod in ipsius orationis propheticæ vel capitis medio occurrant sæpe vaticinia de Messia, vel de cœtu christiano, ubi tamen sive antecedentia sive consequentia consulamus, nihil quod affine sit huic argumento deprehendere possumus. Quod si quis non solum hanc pericopam, aut versiculos hosce sed integrum caput vel psalmum ad Messiam referre velit, singulasque phrases & propositiones ad eam exigere, quam difficilem susceperit laborem, experiundo discet. Certe non semel, sed frequenter auctoritate potius Soteris & Apostolorum quam vero ipsius vaticinii evidentia, verborumque significatione de rebus ad œconomiam N. Testamenti agi edocemur.

mur. At erunt qui ingeminent, dari tamen multos eruditos & pios Theologos, qui singulariſſimos noſtri, & proxime elapſorum ſeculorum eventus, ex obſcurioribus Prophetarum oraculis eruerint. Non nego fuiſſe qui *Tranſactionem paſſavienſem*, *bellum inter Guelfos & Gibelinos geſtum*, *repudiatam formulam Interim dictam*, *Concilium tridentinum*, *Joh. Frid. Saxoniæ Electoris captivitatem*, aliaque ejusdem naturæ in *cantico Salomonis* prædicta eſſe contendant. Idem Eſaj. cap. XXXIII. 7. *Mortem Guſtavi Adolphi*, *Hungariæ fata* cap. XXXII. *irritos in Belgio Epiſcopatus inſtituendi conatus*, cap. XIX. *Academiam Pragenſem a Jeſuitis occupatum iri.* Ezech. cap. XXXIX. enarrari, & prædici exiſtimant; ut de aliis ejusmodi interpretationibus nil dicam. (*)

Nihil ego doctiſſimorum & piorum Virorum, quibus hæc interpretamenta placent meritis, & eruditioni detrahere volo; at diffiteri tamen non poſſum, me, licet citata capita decies legam & relegam, de his ibi rebus agi, perſuaderi non poſſe, & quoniam meis non aliorum oculis cernere debeo, rogo illos, qui acutius cernunt, ut meæ lippitudini aut ſi malunt cœcitati, ignoſcant. Hoc tamen mihi miſero ſolatio eſt, quod videam interpretes omnibus præſidiis ad rite exponendum S. Literarum ſenſum inſtructos; viros Religionis chriſtianæ gnariſſimos: viros denique veri amantiſſimos hic mecum etiam cœcutire, imo potius longe majorem eorum partem, aut ignorantiam ſuam fateri, aut longe alia ibi contineri non ſine cauſa pronunciare. Ex quo ſane ſi ad magnum Theologorum doctiſſimorum, qui in plurimis Prophetarum locis explicandis ſe hærere fatentur, numerum reſpicias, nemo nobis vitio vertet, ſi dicamus etiam hac in parte noſtram ſcientiam Theologicam valde eſſe imbecillam, vel ut cum Paulo Apoſtolo loquar, nos ex *parte tantum prophetare.*

Denique ut paucis de rebus in cœtu chriſtiano inde a temporibus Chriſti, (ut altius non aſcendam) geſtis aliquid dicam, plurima ſunt quæ obſtant quo minus certam rerum in eo geſtarum, dogmatumque ſive verorum ſive falſorum, quibus per omnia ſecula ſubſcripſerant Chriſtiani, habeamus notitiam.

Ita ſcire noſtra v. gr. quam maxime intereſſet, quid ſeculo primo poſt Apoſtolorum exceſſum in cœtibus Chriſtianorum geſtum ſit, quæ fuerit de ſingulis Religionis chriſtianæ partibus eorum ſententia, quinam ſucceſſores, & eorum labores, &c. &c. At nos monumentorum

(*) Loca hæc collegit Cl. Rambach. diſſertat. de Idoneo S. Literarum interprete ſquibus plura ſi neceſſe eſſet addi poſſent.

torum defectu laborare, nemo est eruditorum qui ignoret. * (2.) Ad cognoscenda dogmata opus est ut Patrum antiquorum evolvamus scripta ; at hi ipsi obscure sæpe suam expresserunt mentem, allegoriis potius quam accuratis ratiocinationibus adsueti ; hinc ubi quid de articulo hoc vel illo controverso senserit hic vel ille Pater quæstio est, oriuntur statim tenebræ, & quilibet eum in suas partes rapere vult. Ita Pontificii non minus quam *Lutheri* & *Zwinglii* discipuli, in antiquissimis Patrum scriptis suas de S. Cœna, ut de aliis decretis Religionis nil dicam, sententias reperiunt.

3.) Historiam antiquissimarum hæresium nondum satis esse excussam conqueruntur passim Viri Docti ; Et difficillimum est systemata eorum rite habere perspecta. Ipsi Patres non semel nexum ejusmodi hypothesium male intellexerunt, aut consectaria pro sententiis genuinis errantium substituerunt, ut de partium studio & Zelo impotenti, quo nonnunquam abrepti sunt, obscurisque phrasibus quibus hominum illorum opiniones exprimere voluerunt, nil dicam.

4.) Ex duorum vel trium Patrum scriptis opinionibusque difficulter de sententia doctorum omnium, qui eodem seculo vixerunt, judicare licet, quandoquidem multi alii, quorum scripta injuria temporum perierunt, longe aliter sentire potuerant.

5.) Nondum omnes plane leges probabilitatis ita sunt excussæ & determinatæ, ut quot præcise gradus respectu *qualitatis* & *quantitatis* testium, omniumque circumstantiarum, quæ ad factum aliquod probandum vel rejiciendum ponderandæ sunt, postulentur, definiri possit. Agnoscunt & fatentur hoc philosophi acutissimi inter quos refero illustr. *Leibnitium*, inter principes Philosophos & eruditos labentis seculi merito numerandum.

6.) Si animum ad historiæ leges convertimus, denuo quam difficile sit de veritate rerum gestarum rite persuasum esse patebit. *Cicero* ita eas expressit dicens. *Quis nescit primam esse historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat ; ne qua suspicio gratiæ*

(*) Fassus hoc est Eusebius, qui qua potuit industria primorum temporum monumenta collegit Hist. Eccl. Lib III. cap. IV. dicens : Ὅσοι δὲ τούτων καὶ τίνες γνήσιοι ζηλωταὶ γεγονότες, τὰς πρὸς αὐτῶν ἱδρυθείσας ἱκανοὶ ποιμαίνειν ἐδοκιμάσθησαν ἐκκλησίας, ὑ ῥᾴδιον εἰπεῖν. μὴ ὅτι γε ὅσοι ἂν τις ἐκ τῶν Παύλου φωνῶν ἀνελέξοιτο. i. e. Quot vero horum Apostolorum & quinam veri imitatores eorundem judicio digni judicati sint, qui fundatas ab ipsis Ecclesias pascerent, nequaquam facile est dicere ; præterquam illos, quos ex ipsius Apostoli verbis facile quivis possit colligere.

gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis. Et alibi: *testes fide dignos esse oportet, quibus causa justissima sit, cur scire potuerint, nulla cur mentiantur.* At exiguam valde harum legum curam habuisse etiam ipsos Scriptores ecclesiasticos sole meridiano clarius est. Postquam enim per votorum numerum christiani quid verum atque rectum sit in Conciliis definiverant, itum est in sectas, neque dubitarunt, ubi de factis & dogmatibus dissentientium agebatur, falso quippe Zelo & studio partium abrepti, veris falsa admiscere, imo apertis mendaciis, si quid in rem suam esse existimarunt uti contra alios; suis vero sententiis addictos ineptientes licet sæpe, & affectibus velificantes in cœlum tollere laudibus. Quid dicam de historia Martyrum, Monachorum, & Anachoretarum? Respondeat pro me *Melchior Canus* Episcopus R. Ecclesiæ valde celebris: *dolenter hoc dico*, (inquit) *potius quam contumeliose, multo a Laërtio severius vitas Philosophorum scriptas quam a Christianis vitas sanctorum; longeque incorruptius & integrius Suetonium res Cæsarum exposuisse quam exposuerunt Catholici, non res dicam Imperatorum, sed Martyrum, Virginum & Confessorum. Illi enim in probis, aut Philosophis, aut principibus, nec vitia nec vitiorum suspiciones tacent, in improbis vero etiam colores virtutum produnt: Nostri autem plerique vel adfectibus inserviunt, vel de industria quoque ita multa confingunt; ut eorum me non solum pudeat, sed etiam tædeat. Hos enim intelligo ecclesiæ Christi cum nihil utilitatis attulisse, tum incommodationis plurimum.* Ita M. Canus.

7.) Ad unius alicujus sectæ originem, fata, & opiniones detegendum, aut rem uti vocant facti, quæ alicujus momenti esse judicatur probandam vel falsitatis convincendam, non solum incredibili diligentia, vasta lectione, laboris pertinacia & otio, sed & judicio acuto, eruditione exquisita, & amore veri acerrimo opus est, quibus tamen dotibus pauciſſimi, qui historiæ ecclesiasticæ studio vacant, instructi sunt. Lege quisquis es historiam *Manichæismi* a doctissimo *Beausobrio*, nunc cœlitibus adscripto conditam, & quæ inter *Blondellum* & *Spanhemium* de *Joanna Papissa* utramque in partem disputata sunt, ut de multis aliis exemplis nil dicam & senties hæc scribi non potuisse a doctissimis viris, sine maximo studio, lectione vastissima, & ingenii mira bonitate.

8.) Denique, ut multa alia silentio transeam, sæpe post immensos labores, difficillimas discussiones, vigiliasque plures hoc unum sæpe obtines ut scias, hos vel illos huic non alii sententiæ addictos

fuisse, quod tamen utrum vel verum, vel falsum sit, tua nosse parum interest. Notæ sunt disputationes in Gallia olim inter *Claudium*, & inter *Arnaldum*, aliosque de *fide Græcorum* circa explicationem verborum institutionis S. Cœnæ agitatæ, in qua quid vires valeant utraque pars tentaverat. At quid mea tandem & cœtus sacri refert - quid esurientes græculi de hoc argumento senserint? Et si nostra id scire haud parum interesse existimas, mentemque eorum post immensos labores cepisti, num sequitur tandem saltem ex mente Protestantium: *Græci moderni eam quam nos tuemur fovent de S. Cœna sententiam; Ergo vera est?* (*) Atque hæc ni fallor (ut plura alia mittam) satis superque probant, quam *imperfecta*, *imbecilla*, & *tenuis* sit nostra in his terris rerum divinarum cognitio.

Transeundum nunc est ad secundam orationis nostræ partem, nimirum ad contemplandam beatarum mentium cœlo receptarum præcellentem rerum divinarum cognitionem. Ne quis autem forte interroget subridens, undenam mihi perspecta sit cognitio Theologica beatorum, & utrum forte concilio eorum aliquando interfuerim; ante omnia dico, me nihil de cognitione, & statu mentium illarum dicturum, quam quæ vel manifestissimis S. Literarum testimoniis probari, vel ex indole, naturaque status perfectissimi & glorioſi regni gloriæ erui vel *certo*, vel *probabiliter* possunt.

S. Literæ igitur cum de statu beatorum in cœlis verba faciunt, testantur: Eos non in *ænigmate*, sed *facie* ad *faciem* divinas res cognoscere; *Deum videre:* Eos esse *consummatos* & *perfectos*; *videre gloriam*, quam *Christo dedit Pater: Esse eos angelis similes* quorum cognitio viresque nostris ut notum est longe sunt superiores; *Ipsos perpetuo penes Deum*, qui *lucem inaccessam habitat*, *degere*; *agnum in Throno Dei sedentem*, id est Soterem omnia *suppeditare* quæcunque ad perfectam lætitiam & felicitatem facere possunt. (**)

Eos

(*) Plures alias causas, quæ accuratiori rerum in cœtu christianorum gestarum notitiæ obicem ponunt, in medium producunt Viri docti v. gr. *Abbas Fleuri* & *Weismannus* ut de aliis nil dicam in suis historiæ ecclesiasticæ præmissis dissertationibus.

(**) Digitum hic intendimus ad notissimum locum in Apocalypsi Cap. VII. v. 16. & 17. ubi de beatis in cœlo dicitur οὐ πεινασουσιν ἐτι, οὐδε διψησουσιν ἐτι, οὐδε μη πεσῃ ἐπ᾽αυτους ἡλιος, οὐδε παν καυμα. Similiter descripserunt Philosophi veteres statum felicem mentium post mortem. Ita *Socrates* in *Æschinis* Socratici Dialogo de morte verba faciens de τῳ των ευσεβων χωρῳ inter alia sic ait: ἐνθα ἀφθονοι μεν ὡραι καγκαρπε γης βρυουσι, πηγαι δε ὑδατων καθαρων ῥεουσι. - ὑτε γαρ χειμα σφοδρον, ὑτε θαλπος ἐγγινεται, ἀλλ᾽ ἐυκρατος ἀηρ κειται, ἀπαλαις ἡλιου ἀκτισιν ἀνακιρναμενος. i. e. ibi tempestates copiosæ scatent fructibus omnia proferen-

Eos *in regno Patris fulgere instar solis; corpora eorum si cœlis recipiantur fore gloriosa, incorruptibilia, corpori glorioso Christi conformia, nullis infirmitatibus obnoxia; spiritum hominis beati fore vivificum, id est, qui virtute* insita vitam corpori perpetuo communicet, & quæ alia S. Literarum loca sunt, quibus status illius deprædicatur felicitas. Quod si universam œconomiæ gratiæ in sacris delineatæ administrationem consulamus, constabit porro quid de futuro mentium humanarum statu sit sentiendum. Ex ea nimirum edocemur, mentes primorum hominum olim fuisse puras, & luce imaginis divinæ instructas, sed ob peccatum in tenebras nulla ingenii acie, & studii humani solertia discutiendas, incidisse. Pias vero & sensu peccati tactas S. Soteris obedientia, & morte, Spiritusque sancti auxilio a culpa & pœna non solum esse liberatas, sed & efficacissimis præsidiis ita communitas, ut rursus emergere incipiant, novasque vires accipiant. Easque tandem mortis vinculis solutas tanto Soteris beneficio in plenam libertatem iri assertum pristinamque, id est omnis labis, & maculæ expertem recuperaturas lucem & splendorem.

Ex hisce summatim quædam, quæ ad *duo* saltem revocamus capita, de statu hominum cœlo receptorum colligi possunt. *Prius est:* cuncta quæ ad rerum divinarum cognitionem accuratam, Deique castissimum & perfectissimum amorem pertinent, quibus vera & intemerata felicitas, & in omne ævum duratura lætitia absolvitur, abunde adfutura, atque adeo voluntatem, omnesque animi inclinationes, puras fore, sinceras, & ab omni mistura mali liberas: *Posterius*: omnia

ferentis terræ, fontes purarum aquarum placent. Neque enim est grave frigus, aut calor immodicus, sed circumfusus bene temperatus aër mollioribus solis radiis tepefactus. Clarius adhuc loquitur M. *Tyrius dissertat. prima.* pag. 15. edit. *Davisii*: porro, inquit, meta ipsa itineris non cœlum erit nec quæ in eo sunt corpora, sed & hæc sunt transcendenda, ipsumque supra cœlum caput proferendum donec ad illum quem quærimus locum, in quem nulla cadit mutatio ejusque serenitatem veniamus.

Ἐνθ' οὐκ ἐς οὔτ' ἄρ' χειμων πολυς, οὐδε ποτ' ὀμβρω
δευεται - - - αλλα μαλ' αἰθρη
πεπταται ἀννεφελος λευκη δ' ἐπιδεδραμενη αἰγλη.

i. e. Quam non fuscat hyems, nec multo semper ab imbre
Tingitur - - - sed candidus aër
Dispellit nebulas & lux purissima cingit.

ubi nullus corporis hujus affectus, qui miserrimam hanc dum in his versatur animam exercet, & hoc omne quod in ea vacare contemplationi potest, fremitu suo tumultuque in præceps agit, contemplationi nostræ interveniet.

quæ ex crassa & vitiosa ignorantia, pravorumque judiciorum & affectuum fontibus in his terris oriri solent, longe a beatissimo illo statu fore remota.

Hæc ex vero & sine formidine erroris dici possunt, longe plura autem probabiliter de eorum & cognitionis & perfectionis statu colligi possunt, si ex præmissis ratiocinemur, quod jam quidem per partes sed breviter est ostendendum.

Principio igitur ponimus fundamenti loco, mentibus per omnem æternitatem perpetuum accessurum esse cognitionis rerum divinissimarum incrementum, & hanc scientiam easdem ad ardentiorem semper Dei amorem inducturam, cum incentiva omnia ad Dei laudes celebrandas, ex cognitionis divinæ amplitudine, & evidentia oriri soleant.

Tale autem incrementum cognitionis locum habiturum in vita futura, multa sunt quæ suadent ut credamus. Primo enim Deus ipse infinitus est, attributa ipsius sunt infinita, infinita denique sunt opera ejus, mens vero nostra utut beata, finita tamen est & majoris cognitionis capax. Quum autem Deus beatis illis animabus pro insita & singulari, qua in eas fertur benevolentia & amore infinito, quo complectitur Soterem, qui caput est beatarum mentium & cum quo arctissime tunc sunt unitæ omnia concessurus sit, quæ ad veram lætitiam & felicitatem consequendam magis magisque conferre possunt, dubium non est, quin cognitionem rerum divinarum amplissimam illis sit concessurus.

Accedit quod infinita novarum rerum agnoscendarum, de quibus mox aliquid dicendum est, occasio, perpetuam contemplandi virtutum divinarum amplitudinem majoraque discendi suppeditatura sit copiosissimam materiam: neque enim mentes illæ otiosæ erunt, aut in uno semper contemplationis puncto defixæ, sed cupiditate cognoscendarum & celebrandarum virtutum divinarum ita incensæ, ut in cognitione veri nunquam sibimetipsis satisfacturæ sint.

Sed juvat paulo specialius *media* ostendere, quorum ope crescere per omnem æternitatem poterit hæc cognitio, cum perpetuo Deum celebrandi studio conjuncta. (*) Atque id *primo* fieri poterit per *sensus*,

(*) Consulendi hoc de argumento præter alios Thomas *Burnetus*, in libro de *vita functorum statu*; Johannes *Watts* de *morte & cælo*, cujus meditatio ex anglico idiomate in linguam germanicam translata, cura τῦ Μακαρίτε *Rambachii*, *Halæ*, 1727. in 8. edita est. *Anonymi* denique Angli libellus gallica veste indutus & *Amste-*

sensus, quibus corpuscula illa excellentissima instructa erunt. Si S. Literas audimus, habebunt olim mentes cœlo receptæ postquam rursus cum corpore conjungentur, σωμα πνευματικον i. e. uti videtur, corpus tenue, æthereum, instar radiorum solis agile, cujus ope immensos cœli vortices trajicere, & supra planetas elatæ mundanum oceanum intueri, & natantes in vasto gurgite innumeros terrarum orbes suis incolis repletos intueri, & novi illius mundi vias omnes pererrare poterunt. Eum in finem dubium non est, quin sensibus acutissimis futuræ sint præditæ, oculisque cum primis usuræ sint per quam acute cernentibus & vivacissimis; cumque multorum Philosophorum & Theologorum judicio, plures sint mundi stellæque omnes totidem soles, aliis & aliis orbitis lucem præbituræ, in his ipsis vero variæ creaturæ, quarum naturam perspectam jam quidem non habemus commorentur, facile est colligere, quam infinita & amplissima discendi materies nova hæc spectacula exhibitura sint, & quam incredibilem ex ea re capturi sint beati voluptatem. Quodsi enim Physici & Astronomi, qui per vitam omnem legibus naturæ indagandis, corporumque cœlestium motui, magnitudini & naturæ perveſtigandis intenti sunt, nova detecta veritate non sine tripudio in illud ἑυρηκα, ἑυρηκα erumpunt, quid futurum illis sit, qui singulis quasi momentis novas Deum celebrandi occasiones habent, & inveniunt, facile quivis vel me tacente colligere poterit. Neque hæc suavia somnia esse ex eo patet, quod S. Literæ testentur, beatos visuros esse gloriam quam dedit Soteri Pater. Quanquam enim & hoc per revelationem fieri possit, causa tamen non est cur ope sensuum, quibus corpora beatorum instructa sunt ipsum S. Soterem super omnia evectum, splendoremque ipsius, oculis cernere non possint. Quam maxime etiam probabile est, multorum, eorumque celeberrimorum Philosophorum opinione confirmatum, mentes omnes jam quidem cœlo receptas, ante corporum resuscitationem tenui quodam corpusculo & vehiculo, quod veteres ὀχημα vocarunt, esse indutas, cujus ope omnia illa cernere possunt, de quibus hactenus dictum est.

Amstelodami 1700. impressus titulo: de *futuro felicitatis statu*. Postremum hunc secuti sumus in enumeratione mediorum, quibus beatorum rerum divinarum cognitio perficietur, ita tamen ut resectis paulo subtilioribus, ea tantum adduxerimus, quæ propius ad verum accedere videntur, adjectisque ut aliis exemplis, ita etiam recensitis omnibus, quantum temporis spatium permittebat obstaculis, quæ voluntatem a serio rerum divinissimarum studio avocare possent. Accuratius longe omnia excuti potuisse & debuisse non nego. Sed meminerit B. Lector hoc orationem, non librum scribere voluisse.

Possunt beatæ mentes *secundo loco* suam augere divinarum rerum scientiam *aliorum ope.* Nimirum Theologi omnes concedunt, communem aliquam inter cœlites futuram esse linguam, cujus ope mutuas animi cogitationes invicem communicare possint. Utrum ea hebraica, vel alia futura sit, necesse non est ut sciamus, vel definiamus. Cum autem inter cœlo receptas mentes multæ sint, quæ cognitione alias superent, & divino quodam erga se invicem sint ab una parte incensæ amore; ab altera vero parte mentes omnes incredibili ardeant res præstantissimas sed hactenus nondum satis perspectas cognoscendi desiderio, dubium mihi non est quin hac ratione per mutuum nimirum vocis commercium multarum rerum cognitionem sint adepturæ. Quis v. gr. neget, pios Patriarchas, Prophetas & Apostolos, majore divinarum rerum luce fuisse perfusos, quam cæteros homines, magno licet eruditionis theologicæ apparatu instructos? Hoc autem si verum est, ut nemo negat, verisimillimum est, eos cæteris lucem prælaturos, & ea quæ ad virtutum divinarum laudes faciunt, enarraturos: cumque in concilio illo cœlestium animarum Angeli, Dei in administratione mundi perpetui ministri, cæteras omnes intelligentia & longa rerum experientia superent, probabile est eas ex iisdem etiam multa audituras hactenus ignota; in confesso denique cum sit accuratiorem cognitionem eorum, quæ in mundo hoc sive tempora antediluviana, sive postdiluviana spectes, sive rationem habeas aliorum hactenus nobis ignotorum orbium statusque eorum naturalis, & moralis acta sunt multum facere ad divinarum virtutum ὑπεροχὴν extollendam, dubium non est quin ea illi cum beatis sint communicaturi. Imo vel ipsæ mentes Angelis minores, non desinent singularia Dei Dei beneficia ab O. M. Numine in his terris accepta cum laude referre, atque ita celebrandis virtutibus novam indies suppeditare materiam.

Quanquam autem multa ope sensationum, & familiaris commercii cognoscere possint mentes cœlo receptæ multa tamen nonnisi per *revelationem* ipsis innotescere poterunt. Quicquid enim ex indole, natura, atque perfectionibus rerum erui ratiocinando non potest, aut a mero Dei bene placito licet sapientissimis rationibus innixo dependet, nonnisi revelatione hominibus potest innotescere. Unde & ea, quæ ad regnum gratiæ pertinent, nonnisi per revelationem Angeli ipsi cognoscere possunt. Hæc tamen revelatio per partes, & temporum intervalla crescet, mentesque novarum & præstantissimarum rerum cognitione imbutæ & ornatæ, ita contemplationi rerum divinissima-

rum

rum vacabunt ut ad majorem semper lucem accipiendum novis quasi stimulis incitentur. Ita nonnisi per revelationem scire poterunt beati statum creaturarum in aliis forte mundis degentium, divinæque quæ reguntur administrationis modum & ordinem; aut statum ecclesiæ militantis in his terris. Tantum autem de hisce revelabit Deus, quantum ad suas virtutes, quæ in administratione hac sese exerunt celebrandas & laudandas, necesse erit.

Ex eodem fonte manabit propheticorum Vaticiniorum accuratior intelligentia. Quamvis enim vates cœlo recepti multa cum consummatis illis animabus communicare possint hactenus ignota, opus tamen erit hic Dei auxilio, quoniam vates ipsi complexum omnem & fines vaticiniorum sciviſſe non videntur. Credibile etiam est nobis per eandem revelationem pleniorem mysterii Trinitatis & ἑνσαρκώσεως, notitiam iri concessum. Quamvis enim omnia quæ in natura Dei sunt infinita & quatenus infinita sunt, nunquam plene finita mens cognoscere possit; certum tamen etiam est, eam de omnibus, quæ quidem sese mutuo non tollunt, sed quarum aliqua explicatio dari potest, scientiam posse adipisci. Huc referas inprimis quæstionem in hac vita mea opinione solutu impossibilem, nimirum de electione mundi hujus tot malis repleti. Præclare quidem differunt Philosophi de hoc argumento, asserentes D. T. O. Maximum, generisque humani cupidissimum atque sapientissimum, nonnisi optimum eligere posse; quum autem hunc orbem non alium condere voluerit, per se constare, eum jure optimum dicendum; ut alia multa quæ afferre solent, mittam. At, cum missis speculationibus metaphysicis, animos ad contemplanda tot mala, moralia inprimis, quibus orbis obrutus quasi est, convertimus, & quæ quotidie aguntur perpendimus, atque ad hæc vel illa individua, eorumque statum externum & internum singillatim conjicimus oculos, persuadere nobis vix possumus, mundum aliter condi non potuisse & tam immensum malorum omnis generis cumulum ad constituendum perfectissimum mundum necessario pertinuisse. Cognoscere autem in his terris administrationis divinæ rationem nostra opinione vel ideo perfecte non possumus quod Deus cum rationes pleniores, quibus commotus hunc non alium produxerit mundum in hac vita dare noluerit; tum quod Regiminis divini per omnem æternitatem locum habituri, modum ignoremus. Cum autem ab una parte administrationis illius divinæ hujus & futuræ vitæ plenior cognitio multum faciat ad virtutes divinas extollendas; ab

altera

altera vero non tantum mentes abstrusarum rerum cognitioni inhiantes, sed & pientissimas malorum in hoc mundo grassantium, & perpessionum varii generis quibus obnoxii pii sunt contemplatio vehementer sæpe afflixerit, atque conturbaverit, dubium non est, quin ad hanc quæstionem solvendam Deus in altera vita sufficientem suppeditaturus sit lucem. Ita pariter mihi persuadeo hac via i. e. revelatione Dei multarum aliarum rerum quarum plane nunc sumus ignari ampliſſimam nos adepturos scientiam.

Denique (IV.) augebunt hanc rerum divinarum cognitionem in futuræ gloriæ regno *Ratiocinationes* beatarum mentium. Quemadmodum enim Mathematici & Physici in veritate quadam vel propositione jam demonstrata non statim adquiescunt, sed eadem utuntur ad novas & hactenus ignotas veritates detegendas, ita dubium pariter non est, quin cœlestes illæ animæ tanta luce perfusæ, novis illis veritatibus, quas diversis rationibus, quarum mentionem ex parte jam jam fecimus, usuræ sint ad majorem cognitionis apparatum comparandum. Et cum magnitudo & splendor novi hujus mundi infinitam semper suppeditatura sit ratiocinandi materiem, in immensum crescet rerum ad Physicam, & Theologiam naturalem facientium cognitio. Idem dicendum de cognitione rerum moralium. Detectis tot veritatibus per revelationem Dei & beatarum mentium commercium acceptis utentur Beati ad perveſtigandas alias vias in gratiæ & gloriæ statu locum habituras; Imo cum naturæ regnum licet glorioſum tum temporis, cum regno gratiæ arctissime futurum sit copulatum, cognitio veritatum naturalium lucem afferet veritatibus moralibus rite indagandis, & ita viciſſim. Ex quorum principiorum & consectariorum nexu orietur scientia plane divina, harmonica, & ut ita dicam perfecte demonstrativa. Sic probabile quam maxime est, nos postquam adepti erimus pleniorem mentium angelicarum & humanarum naturæ cognitionem non solum commercii illius, quod inter mentem & corpus intercedit, & de quo tanta virium contentione sæpe non sine acerbitate disputare nunc solent Philosophi, rationem recte intellecturos, sed & de natura, potentia, viribus atque officiis angelorum, animarum item in singulis habitaculis viventibus existentium longe accuratius quam nunc fieri potest, edoctum iri. Ita cognituros nos persuasus sum in quo consistat illa *gravitativa*, ut Physici vocant totius systematis planetarii in solem, & solis viciſſim contra nitentis proportionata vis & efficacia. Denique, ut multa alia silentio transeam, hac etiam

etiam via Beatos systemata de divina prædestinatione, libertatis cum providentiæ divinæ administratione, & concordia, rectius & plenius nos percepturos crediderim; de quibus in hac rerum caligine Christiani tanto cum animorum æstu, & mutuæ charitatis dispendio, eheu! tam pertinaciter certarunt & adhuc decertant.

Sed non solum ita in immensum crescet in futura vita *eruditio theologica* per media, quæ indicavimus; sed & omnia illa ab animabus illis nobilissimis aberunt, quæ cognitioni rerum divinarum accuratiori obesse possent.

Laborabunt ergo primo beatæ mentes nulla turpi & vitiosa rerum scitu necessariarum, necessariarum inquam, non ineptarum, non difficilium nugarum, non scholasticarum tricarum ignorantia; nulla erit circa articulos credendi fluctuatio, nulla perversa & carni blandientia judicia; nullis perversis & stultis opinionibus, quæ ex ignorantia solidioris scientiæ oriri solent, & ratiociniis falsis in præceps abripientur; nunquam illas imaginationis fallaces species, aut memoriæ defectus turbabunt; sed contra plenam quantum in finitas mentes cadere potest, rerum, ut audivimus, divinissimarum habebunt cognitionem. Et quemadmodum in Dramatibus quæcunque intricata & perplexa sunt, in ultimo actu explicantur; pariter quicquid in orbis administratione negotium nobis facessivit, ultimi diei lux expediet. Huic cognitioni & quidem soli verum ponent pretium absque fastu, invidia, aliisque affectibus qui inter mortales locum habere solent. In harum rerum meditatione erunt perpetuo defixi; In his nunquam finiendum illud transigent incredibili cum voluptate ævum.

Ex quo ipso (2) constat, procul ab hoc statu felici remotas futuras omnes ineptas & humanis mentibus altæ infixas opiniones, inclinationesque, labis in his terris contractæ individuos comites, imbecillitatis & corruptionis humanæ testes; sed potius omnium mentis, sanguine Soteris nostri lotæ & purgatæ desideriorum & inclinationum summa erit puritas, perpetuis illis & admiratione dignissimis objectis & incentivis ad altissimum apicem evecta, nullis vicissitudinibus aut hominum, vel temporum mutationibus obnoxia, sed constans, sincera, & perenniter duratura.

3.) Quamvis insuper, ut ex dictis clarum est, perpetuum aliquod futurum sit scientiæ in cœlis incrementum, nullus tamen ostentationi vanæ, nullus controversiis acerbis, nullus bellis literariis locus erit. Quicquid cognoscent Beati non erit vagum, aut parum profuturum nedum

ineptum, in quibus tamen non sine sudore addiscendis miserum illud, quod hic vivendum est ævum, multi eruditorum transigunt.

4.) Nullus hic locus erit sectis, & quæ exinde oriuntur inter mortales malis: omnes dependebunt ab uno infallibili Doctore, & duce Jesu Christo, a quo accipiunt doctrinam castissimam nullis verborum æquivocationibus, & scholæ terminis obscuratam. Et quamvis gradus futuri sint gloriæ, adeoque etiam cognitionis, nullæ tamen inter beatas mentes propterea erunt lites & æmulationes. Hic loci enim non rara est ut in terris, fratrum gratia, sed animorum copula conjunctissima. Una hic erit *analogia fidei*, *una concordiæ & consensus* formula, nimirum perpetuum & ardentissimum Deum celebrandi studium. Nulla hic habebuntur collegia contra fratres, nulla concilia, in quibus qui numero plures sunt, vel principum auctoritate muniti, alios opprimant; sed consilia, vel potius colloquia nonnisi ad amorem Dei & societatis cœlestis commoda promovenda facientia. Nulla illis adversus ineptos Zelotas & falsos fratres pugna, aut necessitas imposita famam & existimationem tuendi, nullum cum hæreticis certamen. Nulli in hac pacis urbe erunt hæreticæ pravitatis uti vocantur inquisitores, qui in aliis plane locis, tetris nempe & caliginosis, commorabuntur; nulla hic theologia politica, id est, perpetuum aliquod studium Religionis sententias ad nutum aliorum mutandi & fingendi, locum hic habebit: sed merus amor, merus candor, studium veri plane incredibile.

5.) Neque etiam corpuscula, quibus indutæ erunt purissimæ mentes obstaculum aliquod felicitati ponent. Neque enim fragilitati erunt obnoxia, sed glorioso corpori Christi similia. Nullis igitur languoribus, morbis, & cruciatibus erit locus; nullus theologis illis consummatis de pane lucrando labor: nullæ anxiæ & sordidæ curæ: nulla de alenda familia sollicitudo; nullæ ad obtinendam stationem prensationes: nullæ de insectationibus collegarum querelæ: nullæ de oppressa libertate conscientiæ, de proscriptionibus & exiliis lamentationes; sed mente potius & corpore per interminabilem æternitatem summa & incredibili cum voluptate, gaudio & lætitia singulari, prostratis & victis omnibus felicitatis hostibus, in divini Numinis laudibus celebrandis totæ exultabunt. Quod gaudium ad summum accedet Fastigium, quando consummato seculo gratiæ, post Judæorum & Gentilium conversionem, integra sanctorum Panegyris ex omnibus terræ angulis collecta nonnisi meros Hymnos in Dei & Regis ad summam

mam dignitatem evecti laudes seclis innumerabilibus canere poterunt & sine ullis temporum vicissitudinibus, sine ullo mixti doloris aut tædii temperamento, cum universo Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, omniumque piorum choro triumphabunt. O vitam vere theologicam, imo potius divinissimam! O faciem pulcherrimam hujus civitatis sacræ! O diem præclarum, cum ad illud divinorum animorum concilium cœtumque proficiscemur, cumque ex hac turba & colluvie discedemus!

Tunc certe demum æterna illa luce perfusi cognoscemus, quanta sub nocte jacuerit nostra dies; tunc accurate sciemus, quid sit vere Θεολογειν: tunc consummatum habet plenumque bonum sortis humanæ mens, cum calcato omni malo petiit altum & in interiorem naturæ sinum venit; tunc juvat inter sydera ipsa vagantes divitum pavimenta ridere, & totam cum auro suo terram.

Mirum igitur non est Viros Eruditos, imbecillitatis & imperfectionis rei theologicæ memores molestiarumque, quæ cum disciplinis hisce in terra sæpissime conjunctæ sunt probe gnaros, tædio quodam ut vitæ hujus, sic & laborum fuisse tactos, atque incredibili cum desiderio ad beatam illam Academiam contendisse. *Melanchthon* certe, vir doctus, in disciplinis Theologicis probe versatus, & totius Germaniæ communis præceptor, paucis diebus ante mortem in pagella consignavit causas, cur minus a morte abhorrendum sit, hoc modo. A sinistris scriptum fuit: Discedes a *peccatis, liberaberis ab ærumnis & a rabie Theologorum: a dextris vero: venies in lucem, videbis Deum, intueberis filium Dei, disces illa mira arcana, quæ in hac vita intelligere non potuisti: Cur simus sic conditi, qualis sit duarum naturarum copulatio in Christo &c. &c.*

Sed contrahenda sunt orationis vela atque ad finem properandum paucisque quod restat per modum applicationis vel perorationis ostendendum, quam vim in animos cum discentium tum docentium, imo nostrûm omnium habere debeat institutus ille inter *Theologorum Viatorum*, & beatarum in cœlis mentium rerum divinarum cognitionem, paralleliſmus.

Ad vos igitur me primum converto, *ornatissimi studiosi*, vosque rogo, ut vacivas mihi præbeatis aures. Erunt fortasse quidam ex vobis qui putent, ea quæ de imperfecta theologicarum disciplinarum cognitione, rerumque cognoscendarum difficultate dicta sunt, animos a pertinaci studio verum inquirendi posse abducere, negligentiæque

non leve dare pondus, quandoquidem ex dictis sequatur, nos adhibita omni diligentia & cura, accuratam & perfectam rerum divinarum cognitionem non posse consequi. Sed qui ita colligunt vehementer errant, & suam in ratiocinando infantiam demonstrant. Quemadmodum enim Artifex, qui victum manuum opera comparare debet, ridiculus esset, quod labori vacare strenue nollet propterea, quod viribus omnibus impensis, toleratisque omnibus molestiis, nunquam tamen tantas comparaturus esset divitias, ut *Crœsum* vel *Crassum* divitiis æquare posset; ita similiter ineptus & ille, qui literis omnia cura & diligentia incumbere nollet, quod ad summum perfectionis gradum in hac rerum caligine ascendere nunquam valeret. Tantum abest, ut meditatio harum rerum impetum pertinacis laboris & diligentiæ retardare debeat, ut potius asseram, vos nonnisi jugi meditatione, studio incredibili, & optimorum librorum diuturna nocturnaque lectione, ad *doctam* hanc *Ignorantiam* perventuros. Is enim demum vere eruditus est, qui quid in singulis aut saltem præcipuis disciplinis certum, eximium, & præstans est, cognitum habet: qui certa ab incertis, levia a momentosis accurate distinguit; qui terminos scientiarum naturæ humanæ non transiliendos designare potest; non vero is, qui qualicunque scientiæ apparatu instructus est, neque momenta vel rerum vel disciplinarum rite expendit.

Quicunque ergo ad veram eruditionem vel *doctam* illam *ignorantiam*, cujus demum ope scimus, nos in hac vel illa disciplina ulterius progredi non posse, pervenire volunt, nulli labori debent parcere, & vigiliis nullis, sed potius jugi meditationi & labori est vacandum; cum viris eruditis de his vel illis disciplinarum, quæ nobis addiscendæ sunt partibus, est conferendum, nihil temere & præcipitanter sed circumspecte incipiendum vel pertractandum. Sine hoc, confusa rerum cognitione eritis contenti, simulque vobis docti videbimini viri; sed ignotos duntaxat falletis, notis eritis derisui; nullum certe animal intolerabilius est homine semidocto, superbo & inani fastu tumente, præsertim si is muneribus publicis admoveatur. Atque hæc ipsa meditatio de imperfecta rerum divinarum cognitione vos alius officii vel virtutis commonefacere potest, nimirum *modestiæ* servandæ in dijudicandis rebus divinis & humanis, earumque pretio. Hæc ut virtutum omnium vernix quidam est, ita inprimis adolescentes, optimarum artium ac literarum studiosos quam maxime decet atque ornat. Scitum est vere eruditorum dictum: *Illi sibi demum plurima scire videntur,*

tur, qui nesciunt quid sit scire. Recte Cicero ait: *Quam bellum est velle confiteri potius quod nescias, quam ista effutientem nauseare atque ipsum sibi displicere.* Et alibi: *Ex cæteris Philosophis* (nos jure addimus Theologis) *nonne optimus & gravissimus quisque confitetur, multa se ignorare, & multa sibi etiam atque etiam esse discenda.* Quod si igitur tanta est rerum discendarum multitudo, si omni studio, diligentia, atque attentione adhibita nihilominus tamen imperfecta est valde nostra cognitio, annon ridiculum & ineptum esset, ob levem quandam & confusam plane quæ in hac ætate obtinet rerum variarum cognitionem, altos gerere spiritus? Certe nondum ad veri nominis eruditionem & sapientiam pervenistis, si ob qualemcunque apparatum eruditionis præclare de vobis sentitis, atque propterea data quavis occasione cristas tollitis. Inprimis autem hoc dictum sibi putent, qui sanctiores excolunt disciplinas. Nolite quæso mirari, ea quæ de Deo, ejus attributis, decretis, voluntate, de Mysteriis Religionis christianæ publice & privatim traduntur valde imperfecte a nobis & a vobis cognosci; ipsarum rerum natura, si serio de his rebus meditati estis non patitur, ut scientia hæc nostra theologica geometricam æquet evidentiam. Neque alibi facile eam deprehendes: quivis pulviculus eruditissimum hominem de ignorantia sua & arctis scientiæ nostræ limitibus convincere potest. Mirumne est igitur nos in divinis multa ignorare? Ne autem existimetis me forte non satis in hac disciplina versatum accurate de hoc argumento differere non posse, adducam verba Theologi & Philosophi omnium judicio acutissimi & eruditissimi, Sam. *Werenfelsii*, nunc choro beatarum in cœlis mentium adscripti, cujus ego vobis scripta frequenter commendare soleo, & dum vixero commendare non desinam.

Hic Excellentissimus vir, postquam prolixe de atomis eorumque natura disseruisset, atque ostendisset, nos quid atomus, vel monas sit nescire, tandem in hæc verba quæ probe sunt vobis perpendenda, erupit: *Disce hic modestiam homo, tu cui mens tua rerum mensura videtur, & qui quod non comprehendis, imo quod stultius est, quod non imaginaris, audacter ne esse quidem dicis. Quicquid dicat de se infinito, Deus ipse infinitus, non credis: quare tandem? non capio, ais. O vocem insanam! Exerce industriam; exerce cui tantum tribuis, perspicaciam in hoc pulvisculo; videbis quousque acumen tuum penetrare possit: Tum demum meditando, inquirendo, perscrutando fessus, cum vidisti quam parum profeceris, accede, & ita tecum reputa: si minima tam parum cognosco;*

si innumerabilia esse scio, quæ, quid sint, qualia sint, quomodo sint, non percipio, quantum a cognitione infiniti absum! in hac caligine, quæ alia tutior via est, quam mentem menti infinitæ submittere, quæ ab hac revelantur credere, tenere, neque extra ea unquam evagari.

Quod si vobis *Polyhistoris* monitum magis arridet, audite Joseph. *Scaligerum* occasione infaustarum in Belgio de prædestinatione litium, quæ initio superioris seculi ortæ sunt, ita pronuntiantem,

Ne curiosus quære causas omnium,
Quæcunque libris vis Prophetarum indidit,
Afflata cœto, plena veraci Deo,
Nec operta sacri supparo silentii
Irrumpere aude, sed prudenter præteri.
Nescire velle, quæ Magister optimus
Docere non vult, erudita inscitia est.

Tandem & hoc ex instituto nostro parallelismo discere ante omnia debetis, nimirum cum genuinæ sapientiæ studio mature esse conjungendam veram pietatem. Nonnisi purgatæ menti aditus ad cœlestem Academiam patet. Procul vero a sanctissimo hoc beatarum mentium concilio arcebuntur profani, quantocunque disciplinarum apparatu instructi.

Præcipua, uti audivistis, pars futuræ felicitatis consistet in tenerrimo & ardentissimo Dei amore, qui ex continua & sanctissima virtutum divinarum contemplatione tanquam ex purissimo fonte scaturire solet. Quæ igitur conjuncta esse debent, nolite separare. Mera histrionia est qualiscunque eruditio, vera pietate, in qua supremus sapientiæ apex consistit, destituta. Efficite igitur tandem aliquando ut homines credant & sentiant, eos qui optimarum Literarum, sanctiorum præsertim studiis vacant, non solum doctos sed sapientes & pios evadere. Rusticus certe & unus e plebe, modica sed salutari religionis notitia instructus, & optimi Numinis amore sincero incensus, longe præferendus doctissimo & celeberrimo Polyhistori, pietate vera vacuo. Illi enim omnia abunde adsunt, quæ ad veram mentis tranquillitatem fixamque & firmam consequendæ salutis spem facere possunt: Hic, ubi ad extrema deventum est, in sterili notitia variarum rerum parum profuturarum, & umbra vanæ laudis adquiescere debet.

Sed & ad vos, Viri *Fratres* & *Patres* pl. *Reverendi*, qui in Illustri

hoc

hoc noſtro gymnaſio publicorum doctorum officio defungimini, & diſciplinam S. Soteris noſtri vel S. Literarum cultoribus, vel univerſo cœtui commendare ſoletis; ad *Vos* inquam ſeſe convertit oratio mea. Vos quidem haud ignoratis, quot hæc meditatio noſtra & inſtituta oratio contineat res utiles; neque adeo opus eſt, ut pluribus quid vobis & nobis agendum ſit edoceam. Quoniam vero dulcedo quædam de rebus graviſſimis loquendi me tenet, patimini ut tribus verbis quid nobis omnibus faciendum putem, rebus ita comparatis, exponam. Audiviſtis nimirum & pulchre noſtis ad diſciplinas ſacras rite & erudite tractandas multa requiri; vitam vero ſimul noſtram eſſe brevem, fluxam, plurima obſtare, quo minus magnos in hoc Literarum genere faciamus progreſſus, & doctiſſimum quemque adhibita omni diligentia exclamare debere. *Heu quantum eſt quod ignoramus!* Inter virtutes grammatici retulit *Quintilianus quædam ignorare.* Inter virtutes theologicas poſtrema non eſt fateri nos in rebus theologicis plurima ignorare, nec ſcire ea ſi vellemus etiam in hac rerum caligine, poſſe.

Quid igitur ante omnia nobis tentandum, omnibusque viribus efficiendum ſit ipſimet videtis. Nimirum hoc, ut rerum habeamus delectum, & pretioſa & utiliſſima a minus neceſſariis mature diſtinguamus, momentoſiſſimis diu, minus vero neceſſariis inculcandis parum inhæreamus; Ut nihil doceamus quod neſciſſe rectius fuerit, ſciviſſe, noſtra nil interfuerit. Hoc non ita intellectum velim, *Viri fratres*, ac ſi ea, quæ ad ornatum ſtudii theologici, vel ad ejusdem accuratiorem cognitionem plurimum faciunt neglecta velim: minime. Non ſum *ignaviæ* Patronus aut *fratrum ignorantiæ* fautor. Sed hoc unum volo, ut qui Doctorum munere defunguntur, irretortis oculis præcipuum finem eruditionis ſacræ ſemper intueantur. Vacandum eſt fateor S. Literarum ſtudioſis humanioribus Literis, Philoſophiæ, hiſt. ſacræ & civili, arti criticæ, cognitioni denique articulorum Religionis non ſolum noſtræ, ſed & diſſidentium inter ſe Chriſtianorum; at non tam ſi verum fateri volumus laborandum nobis eſt, ut ſtudioſi theologiæ, *Philologi*, *Philoſophi*, *Oratores*, vel *Hiſtorici*, & in arte polemica exercitati Viri evadant, quam vero ut ſint *viri* Dei; *Viri* præcellenti cognitione Dei & rerum divinarum inſtructi; *viri* ardentiſſimo pietatis incenſi Zelo; *Viri* ad omne bonum opus præſtandum parati: *Viri* denique qui non ſolum doctis, ſed & plebi ſanctiſſima Religionis capita perſpicue & ſolide tradere poſſint. Ad hoc autem obtinendum non omnibus controverſiis, quas homines diſputaces temere excogi-

excogitarunt diu est inhærendum, neque omnia theologorum dogmata peræque eodem Zelo sunt pertractanda, aut prolixe refutandæ hæreses, vel ante plura secula defensitatæ sed jam neglectæ, vel tales saltem de quibus ne centesimus quidem nostrorum Auditorum notitiam habet, nedum ut periculum sit, eos erroribus hisce vacivas præbituros aures. Certe Doctores qui in hoc negotio adeo præpostere seduli sunt, similes mihi videntur Venatori, qui canes suos mature adversus Leones & ursos armaret in regione ubi nulli Leones & ursi reperiuntur, nec unquam reperti sunt. Gravissimis duntaxat, utilissimis & cum æternæ salutis spe certissime conjunctis diu est immorandum; ita quidem, ut non ante quiescamus quam ea ita animis Auditorum infiximus, ut de rebus illis non solum apte possint disserere, sed & ut de illis plenissime sint convicti atque persuasi! Communiendi inprimis sunt Auditores nostri contra crescens indies magis incredulitatis vitium; contra eos qui religionem albis dentibus rident, aut perinde esse ajunt, quamcunque profitearis; contra discipulos *Machiavelli* i. e. tales, qui Religionem legibus urbium, circumstantiis personarum & temporum, denique commodis suis attemperandam esse autumant. Communiendi contra eos qui larvatam quandam pietatis umbram sectantur, atque cultus externi & officiorum boni civis præstatione omnem Religionem absolvi existimant; contra securitatem carnalem non minus pietati & saluti hominum quam pestilentissimæ hæreses inimicam; contra tot præjudicatas opiniones de Religione: contra tot hominum vitiis immersorum studia: degenerem eheu! nostrum Christianismum: contra denique pestilentia decreta S. Soteris nostri præceptis contraria, quæ vel aperte satis, vel per cuniculos sanctissimam ipsius disciplinam subruere solent. Hæc, inquam in scholis & templis sunt ingeminanda, urgenda & infigenda. Hæc ut urgeantur postulat eheu temporum nostrorum infelicitas.

Hoc præcipuum Doctoris publici, & Verbi Divini Ministri officium est.

Hæc porro nostra circa cognoscendas res divinas mentis imbecillitas aliud nobis, *Viri Fratres* in Christo Domino nostro conjunctissimi officium in memoriam revocat, nimirum *moderati animi studium in dijudicandis eorum, qui a nobis circa religionis negotium dissentiunt, sententiis.* Audivistis quam difficile sit in tanta rerum & controversiarum copia omnia rite cognoscere, verum a falso accurate semper discernere, & quam facile in animum optimi cujusque & veri amantissimi

tissimi irrepat error. Non semper affectibus præpedimur quominus verum cernamus, & tueamur, sed sæpe obstat falsus conceptus, vel ipsas res comprehendendi difficultas. Nemo volens errat. Distinguamus igitur erroris pondus, neque omnis error aut dissensus nobis videatur statim periculosus. Dum extra cœlestem vagamur Academiam nemo est ἀναμαρτήτος; homines erimus dubitationibus & erroribus obnoxii, dum in his terris degimus. Nullus in terris est infallibilis Judex, eumque qui se talem esse in sua aula jactitat, explodimus & Antichristum appellamus. Modo igitur fratris error non sit lethalis, sed talis in quem innocentissimus quisque incidere & qui cum amore Jesu Christi S. Soteris facile consistere possit, neque ab ipso vel Apostolis pro damnabili unquam habitus sit, patienter est ferendus, idque exemplo ipsius Domini nostri Jesu Christi qui solus salvare potest & damnare. Is enim errores quos discipuli sui ante effusionem Sp. Sancti ex ignorantia foverant, æquo animo tulit. Morbis inquit Seneca medemur non irascimur; atqui & hic est morbus animi, mollem medicinam desiderat, ipsumque medentem minime infestum ægro. Licet igitur fortean circa minutas quasdam opiniones, de quibus salva semper amicitia dissentire licuit, inter vos esset sententiarum divortium dispari scilicet ingenio, judicio, lectione imbuti & ornati, atque vel magis vel minus huic vel illi Præceptori addicti, sufficeret tamen quod in purissima Jesu Christi disciplina, & in necessariis, quæ omnium Eruditorum Theologorum judicio & consensu gravissima sunt, conveniatis omnes. Ipsemet Paulus Apostolus divina licet, & nostra longe majore luce perfusus, ut ita agamus, monuit, I. ad Corinth. cap. XIII. *Caritas* (inquit) *nunquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Juvat ex commentario in hunc locum Viri alicujus *Celeberrimi*, quique inter Eruditos S. Literarum Interpretes non postremus est, quædam huc facientia decerpere, & vobis proponere. Inter alia autem ita loquitur Vir doctissimus. *Egregie docet Paulus comparatione ex puerili & virili ætate deducta, minimum tantum fore discrimen inter hodiernam hanc nostram eruditionem quæcunque sit, & eam*

quæ futura est in cœlo, quantum est inter opiniones puerorum & peritiam virorum, quod attinet ad res hujus vitæ. Quamvis igitur tumeamus, oportet nos fateri vastissimam eruditionem theologicam mortalium in hisce terris collatam cum Angelica, aut cum ea quæ olim erit beatorum hominum puerilem plane esse. Rideremus puerum, qui, ne de majoribus erroribus pueritiæ agam, existimaret sibi perspecta esse quæ videremus eum imperfectissime nosse, & propterea sibi ipsi plauderet. Sic & nos si ita loqui fas sit, rident beatæ illæ mentes quæ multo præstantiores sunt nobis, quam nos sumus puerulis, cum audiunt, nos audacter & supercilioſe loquentes de his quæ non novimus nisi instar ejus, qui videt aut vidisse putat per nubila lunam. Certe eos nostræ cœcitatis & ridiculæ superbiæ in tanta ignorantia miseret. Si videamus forte pueros inter se de puerilibus opinionibus primum disceptantes, deinde ad verbera devenientes, quam acerrimo queunt pugilatu certare; non possumus non illis irasci, quod propter id, quod neutri sciunt, ita inter se pro ætate pugnent. Quid vero putamus cogitare Angelos, cum vident viros adultos aut senes, jam non pugnis sed legibus, edictis, exiliis, pœnisque omnis generis in se invicem, propter multa quæ iis aut penitus, aut partim ignota sunt, sævire? Profecto non modo pueros sed & nequam pueros ac flagris dignos esse censent. Cum autem advertunt inconspicui illi factorum nostrorum speculatores, viros, qui graves haberi volunt, dies noctesque garrientes de iis quæ nesciunt, disceptantes inter se primum privatim deinde palam; tum scriptitantes, ac infesto stylo digladiantes, postea coitiones facientes, ut numerum secum consentientium cognoscant videantque, ne quid factionis opinio capiat detrimenti in eo terrarum angulo, in quo plurimum possunt ac tandem aliis (viris ne dicam an pueris) solenniorem in modum convocatis leges condere de iis, quæ ignorant quasi divinas aliis sui similibus obtrudere, & omnibus rationibus dissentientes vexare; cum animadvertunt, inquam hæc Angeli, quid illis animi esse putamus? Parum abest quin non jam ludos, sed tragœdias nostras perturbent, male illico mulctatis cœcis illis, qui in alios cœcos sæviunt. Et facerent, nisi summus ἀγωνοθέτης juberet eos exspectare donec judicium ipse sit de hisce omnibus laturus, & superbos ac immites a modestis & mansuetis separaturus. Interea forte beati illi Spiritus iidemque generis nostri amantes, non voce quidem quæ aures verberet, sed tacitis ut ita dicam in animum nostrum insusurrationibus nos monent, ut memores nostræ ignorantiæ paulisper cohibeamus judicium, donec intra pauculos annos rem pernoscamus, cum nos Deus ex hac vita evocaverit, ostenderitque in clara luce, quam nunc frustra in his tenebris quærimus veritatem. Hactenus Eruditissimus ille Vir.

Ne

Ne quis autem præter mentem meam hæc dicta malam in partem rapiat, quem in finem allata sint, & quo tendat Oratio mea, dicam. Digitum nimirum intendo ad infaustas illas lites, quæ inter eos, qui non sine sanguine ab Ecclesia Romana secessionem fecerunt, & communi *Protestantium* nomine veniunt, ortæ sunt. Nostis quæ potissimum obstent, quominus in unum cœtum coalescamus, & in mutua oscula ruamus; nimirum sententiæ quædam sublimes, captu difficiles, multis tenebris obseptæ, certe supra vulgi captum positæ, & ut verbo dicam dissensiones circa divinæ prædestinationis modum & indolem, obicem ponunt. Ad has componendas inde ab infaustarum disputationum origine impenderunt operam Ecclesiæ Tigurinæ Ministri; omnes vel sanguine redemtum voluissent infaustissimum illum dissensum cujus ne nunc quidem post tot doctissimorum Virorum oblatas inducias videmus finem. Si pacis filii esse volumus, idem & nobis faciendum. Certe vel sola illa *Oratio*, ut de aliorum Theologorum Tigurinorum, quorum testimonia ab Eruditis collecta sunt nil dicam, Magni nostri *Bullingeri* de moderamine in doctrina de providentia & prædestinatione servanda, nisi degeneres tantorum virorum liberi esse volumus, commovere nos debet, ut quicquid Eruditionis, pietatis & sapientiæ nobis inest, ad tollenda illa dissidia & contentiones nullos triumphos habituras supprimendas conferamus. Scio vos omnes *Lutheranos* pro fratribus habere, publicis etiam in precibus, quæ singulis septimanis habentur, Deum orare, ut coadunet utriusque partis animos. Quid æquum magis atque naturæ negotii hujus magis consentaneum est, quam ut omnia, quæ quidem animos eorum a nobis possunt reddere alienos studiose evitemus? quod fiet, si de erroribus quos illi veritates esse certas existimant, acerbe non judicemus: si tales esse dicamus, ut illis non obstantibus salva inter nos possit esse amicitia, & vinculum fraterni amoris arctissimum: Fiet si fratrem forte uni vel alteri sententiæ, quam illi fovent addictum æquo animo feramus, præsertim si is eruditus, pius & pacificus sit; Si semper meminerimus nos non ob abstrusas quasdam sententias, sed gravissimas ob rationes & aliud longe majus ab Ecclesia Romana discessisse. Vir Celeberrimus Joh. Heinr. *Hottingerus* alicubi refert, tantam fuisse primis Reformationis temporibus inter Doctores publicos & V. D. Ministros Tigurinos animorum consensionem, quanta in Ecclesia militante unquam obtineri possit. Quid obstat *Viri Fratres & Patres* in Christo conjunctissimi, quominus & nos junctis

ctis viribus ad eandem felicitatem contendamus. Obtinebimus autem eam certissime, si ignorantiæ atque imbecillitatis nostræ memores sæpe perpendamus, quas magnificas laudes mitissimus Soter noster Jesus Christus & Apostoli ipsius, charitati, & mutui amori tribuant. Certe in extollenda hac virtute vix sibi satisfacit Paulus, *Theologus* sine dubio Excellentissimus. Ex animis igitur nostris quicquid moderato huic & vere christiano pacis studio obesse potest, qualia sunt sinistræ suspiciones, æmulationes, ambitio, falsus Zelus, temere habita susurratoribus fides &c. evellamus. Quicquid contra vel eruditionis, vel ingenii, vel Zeli inest nobis ad charitatem veram inter nos alendam, & latius proferendam conferamus, atque jam in terris, licet imperfecte cœlestis societatis, quæ inter beatas mentes locum habebit imaginem quandam vel præludium exhibeamus.

Denique omni virium contentione id etiam agamus *Viri Fratres*, ut in animis aliorum ardentissimum quoddam desiderium rerum cœlestium excitemus. Fiet autem id, si frequenter Auditoribus nostris religionis christianæ dignitatem, præceptorum divinorum admirabilem vim & præstantiam; promissionum divinarum pondus, scientiarum absque pietatis studio vanitatem, futuræ veræ felicitatis gaudia ob oculos ponamus. Fiet id, si Theologia nostra non sit a Religione disjuncta, i.e. si nihil doceamus, quam quod utile, grave, & cujus cognitio perseveret in cœlis; si eadem Theologia non sit tetrica, distinctionibus & quæstiunculis parum profuturis hirsuta, sed simplex, casta, & amabilis, adeo ut omnes quotquot veræ laudis gustum habent, rerumque divinarum aliquo tanguntur sensu, Religionem non possint non amare. Certe hic labor noster est, hæc cura, hoc negotium nostrum, ut homines a terrenis desideriis & studiis abstractos, ad cœlestia meditanda & omnibus votis expetenda inducamus, Adolescentibusque & optimarum artium studiosis mature ostendamus, quam sit homo res abjecta, nisi supra humana sese extulerit: quam contra Religio sit res seria, & attentione digna; Denique non verbis, sed ipso opere demonstremus, Religionem omnes nostras pervasisse venas, nec terris, sed cœlis nos natos esse.

Sed & *vos tandem omnes, cujuscunque dignitatis*, eruditionis, status, vel ætatis sitis, ex hac nostra meditatione discere potuistis, quæ potissima vestra in his terris cura esse debeat, si quidem veræ felicitatis compotes fieri vultis. Nimirum in his terris, quam primum incipimus vivere & sapere, cogitandum est de reditu in Patriam. Præcipua

cipua igitur cura esse debet, ut pie vivamus, atque beate moriamur. Id fieri non potest sine Religionis cognitione & amore. Ad cultum illius tenemur omnes maximi, medioximi, infimi. Negotia hujus vitæ obstare non debent, quo minus de iis solliciti simus, sine quibus neque in terris, neque post discessum nostrum vere felices esse possumus. Ipsi illi qui publica tractant negotia, & ad clavum Reipublicæ sedent, vel me tacente qua sunt sapientia, ex dictis facile colligere possunt, quantum præsidii & ornamenti Reipublicæ moderatoribus afferat solida rerum divinarum cognitio, Religionisque cultus & amor. Dei certe immortalis munus est Princeps vel Imperans Religionis rite gnarus, ejusque amore captus. Ita enim non solum Reipublicæ, sed & Religionis sollicitam habebit curam: Ita facile solidum ab inani dignoscet, & controversiarum pondera trutinabit; ita jura conscientiæ omnibus humanis legibus superiora caute & prudenter tuebitur, & inter errores S. Soteris doctrinæ contrarios & societati civili noxios, & inter eos quos parum cavet natura humana, quique salva pace publica, salvis Religionis nostræ fundamentis, salva inter fratres amicitia, credi possunt, qua est sapientia non exiguum esse faciendum discrimen facile judicabit; Solida hac cognitione Religionis imbutus & ejusdem amore tactus Princeps, eos maximi faciet, qui non solum eruditione sed & moderati animi pacisque studio florent, haud facile præbiturus aures iis, quos impotens Zelus aliis insultandi agitat, quique ex pustulis ulcera facere, & in media pace classica canere amant. Pulchre enim novit, ubi *Maresii*, & *Calovii* dominantur, ne ipsam quidem salutem, si vellet, scholas, Academias & Ecclesias salvare posse, & hujus genii homines, neque disciplinarum & scientiarum progressui, neque paci publicæ consulere.

Idem quicquid ad veram eruditionem, castissimæque Religionis progressum facere potest, lubens conferet, cumque veræ sapientiæ magnitudinisque animi sit, omnem amplitudinem in virtute positam existimare, quicquid temporis a negotiis publicis reliquum habet, culturæ nobilissimarum disciplinarum, sanctiorum præsertim, consecrabit, animumque sæpe a terrenis negotiis & cura administrandæ Reipublicæ abstractum, divinarum & cœlestium rerum meditatione, quod a maximis principibus, iisque qui altissimum civitatum gradum obtinebant, factum esse historiarum monumenta docent, animum pascet, atque ad consequendum cœleste Brabeum sese præparabit, verumque

suum πολιτευμα non in terra, sed in Republica perfectissima, Imperioque vere cœlesti & stabili quærendum esse pulchre cognoscet.

Nobis omnibus denique, cujuscunque conditionis & status simus, incumbit, ut mature singulis rebus sic & scientiis suum justum ponamus pretium; ut Religionem inprimis, religionem inquam, alte in animum demittamus, cœlestia & a sensibus abstracta, meditemur, eaque in terris & discamus, & peragamus, quibus per omnem æternitatem vacandum est.

Quemadmodum enim illi, qui Reipublicæ inservire, civiliaque & publica negotia per vitam curare volunt, omnibus illis addiscendis & pertractandis incumbunt, quæ ad prudentem rerum illarum administrationem facere possunt: Ita qui cœlestis illius Regni cives esse volunt, jura Principis immortalis non solum cognoscere, sed & officia debita præstare, dum vivunt debent; sic enim non aliter, ad possessionem munerum splendidissimorum & divinissimorum admittentur. Hæc igitur, dum ætas viget, dum occasio datur, meditemur; Huc nos paremus, hoc cogitemus, ad hoc tandem nos exerceamus.

Dixi.

MONITUM AUCTORIS AD LECTOREM.

PAuca B. Lector, antequam Orationem hanc lectam tineis & blattis comedendam tradis, monendus es. Et principio quidem noli mirari, nos errorem quem ὑστερονπρωτερον scholæ Magistri vocare solent, hic committere, & quæ in limine forte fuissent dicenda, ad finem rejicere. Præterquam enim quod quotidie homines multa præpostere agant, quæ tamen a sapientissimis viris non raro laudantur, rationem sufficientem habui, cur in fine, non vero initio Te compellarem; atque hæc fuit necessitas, quæ legem non habet. Hoc melius ut cognoscas, rem tibi exponam. Postquam nimirum Oratio hæc habita fuerat, quidam amici iique integerrimi & Literatissimi plures ob rationes eam prelo dari voluerunt. His vacivas aures primo quidem præbere nolueram, conscius quippe tenuitatis meæ, & quod omnia quæ a me adducta fuerant, trita, vulgaria centiesque uberius & facundius ab aliis essent narrata. Instantibus tandem cessi, spe-

sperans fore ut hic vel ille adolescens utilitatem aliquam ex illius lectione capiat. Postquam autem duæ primæ philyræ editæ essent, ad aures meas pervenerunt varii hinc inde per urbem sparsi rumores, & judicia de ea lata, alia aliis magis vel minus iniqua. Hæc me induxerunt, ut in fine Te B. L. compellandum censuerim. Erant Viri graves & dignitate conspicui, mihique, quod scio bene cupientes, qui orationem meam, sed animo ut credo minime malo, censuræ subjiciebant, quod ad totius Orationis scopum non satis attenderent. Cum his ego facile in gratiam redeo, persuasus quippe eos propenso in me esse animo, æquitatis insuper in ferendis judiciis amantes, quique, auditis mei instituti rationibus & defensione, suspicionibus omnibus sine mora nuntium sint missuri. Alii vero affectibus & odio, quo feruntur in Auctorem, compulsi, non solum scopum Orationis pejorem in partem rapere, sed & Auctorem ipsum gravissimi erroris suspectum reddere voluerunt. Hi nulla licet ratione unquam a me læsi, a longo jam tempore quicquid a me vel dicitur vel scribitur, aspero dente mordere & acerbe perstringere solent. Ad hujus vero generis hominum acerbas & inficetas sæpe criminationes aures meæ dudum occaluerunt. Nota enim mihi est illorum in dijudicandis altioris indaginis rebus ἀκρισια animique impotentia. Quid enim agas cum iis, qui aut facultate res rite perpendendi sunt destituti, vel affectuum impetu ita perturbati, ut rationis decreta & momenta gravissimarum veritatum audire nolint? Interim non desino Deum rogare, ut animis ipsorum christianam charitatem, sine qua, etiamsi Orthodoxissimi essent, si modo in quo veri nominis orthodoxia ponenda sit, semper sciant, discipuli mitissimi Soteris nostri Jesu Christi esse non possunt, Indat: hac enim si semel sunt ornati, de fratribus benignius incipient judicare. Quod si vero lædere innocentem pergant, sciant, me honesti Civis & publici Doctoris jura, quoad vixero, acerrime esse defensurum. Qui vero modeste, quod viros eruditos decet, argumentis mecum contenderit, erroremque aliquem monstraverit, ei grates habebo, atque sententiam protinus mutabo. Monitoribus nunquam fui asper, aut pertinaciter unquam meliora edoctus opiniones meas defendi. Testes hujus rei esse possunt Viri Doctissimi & Literatissimi, quibus, auditis hisce rumusculis, orationem denuo legendam dedi, eosque rogavi, ut siquidem errassem, amice me monerent. Sed missis querelis, ad ea venio, quæ mihi objecta fuerunt. Varia quidem ad aures meas fuerunt delata, quorum tamen hoc unum attentione

tione dignum videbatur, quod nimirum quidam contenderint, me in demonstratione imperfectæ rerum divinarum cognitionis causarumque hujus nostræ ignorantiæ longius, quam par erat, fuisse progressum, atque non obscure *scepticismo theologico fuisse patrocinatum.* Gravis sane, si vera esset, accusatio. At salvam esse rem & falsam accusationem facile est ostendere. In gratiam igitur eorum, qui, prava licet suspicione decepti, rationis nihilominus decreta & legitimæ defensionis modum attente & ἀθεϱ παθων expendere solent, sequentia consideranda offero. Et principio quidem ad defensionem meam sufficerent Virorum Eruditione, pietate & ingenii acumine excellentissimorum, quorum censuram ex legibus civitatis nostræ hæc meditatio subiit, de hac Oratione Judicia. Hi enim oculis mentis & corporis probe instructi, nullo modo reperire poterant errorem a censoribus mihi imputatum. Num autem verisimile, Viros tantis virtutibus præditos, aut tam stupidos rerumque divinarum adeo ignaros esse, ut crassissimum errorem post attentam lectionem deprehendere non potuerint, aut calculo suo comprobare voluisse sententiam, quæ pietati omni bellum indicit? Quisquamne eo impudentiæ venerit ut talia de Viris doctissimis & religiosissimis non dicam asserere, sed vel suspicari duntaxat ausit? Ubinam tandem gentium sumus? Et si custodibus addendi sunt custodes, quis custodes ipsos custodiet? Ubi tandem sunt illi infallibiles judices & censores, qui soli acutum cernunt? Caveant sane hi homines, ne rejecto Pontifice Romano, sexcentos & quod excurrit infallibiles Doctores erigant, atque ita in gravissimam incidant Heterodoxiam.

Abhorret insuper ab omni specie veri horum hominum Oratio. Non solum enim mihi impingunt gravem errorem, animumque ab amore Religionis christianæ plane alienum, sed & stultum me simul & mente captum esse judicant. Quid enim, testor omnium conscientiam? magis a vero abhorret, quam hoc, nimirum S. Theologiæ Professorem, Religioni reformatæ addictum, publice in frequentissimo Doctissimorum & gravissimorum Virorum conspectu, idque Tiguri, serio & ex animi sententia scepticismum theologicum defendere voluisse? Num credibile talem esse sani cerebri? At ego, ut paulina phrasi utar Ἀνδϱες Κϱατιϛοι ἐ μαινομαι. Eo magis autem iniqua est hæc censura, quod talia de me suspicandi nemini unquam dederim occasionem, sed quod potius non paucis editis speciminibus veritatem Religionis christianæ pro viribus defenderim, incredulorum argumen-

ta impugnaverim, atque adeo toto animo a scepticismo abhorruerim, ut non dicam nullam esse thesin theologicam attentione dignam, quam non publice & privatim defenderim. Quid autem magis ab humanitatis omnis legibus alienum quam Innocentem Religionisque christianæ cordatum defensorem gravissimi erroris ex meris suspicionibus arguere? Quid quod in ipsa oratione, antequam ad causas imperfectæ cognitionis rerum divinarum, quæ ex disciplinarum sanctiorum indole peti solent, progressus sum, distertis verbis uti ex pag. 18. patet, dixerim, me cum omnibus Protestantibus Theologis fateri; *Ea quæ ad salutem scitu cognituque necessaria sint, clare & perspicue in S. Literis esse revelata.* Hæccine autem probant, me voluisse ostendere de Religione christiana utramque in partem posse disputari? Mirus sane essem ego scepticismi fautor. At, inquiunt Censores mei, bona verba quæso, Protestatio tua facto est contraria. Plures enim quam necesse erat ignorantiæ nostræ adduxisti causas, & imperfectiorem feceris, quantum in Te erat, nostram rerum divinarum scientiam, quam veritas permittit. Respondeo 1.) posito, non concesso, me plures quam par erat adduxisse rationes, quibus probem, nos hæc vel illa scire in divinis non posse, aut imperfecte valde cognoscere; Num igitur sequitur, me scepticismo favere? Quæ enim hæc est consequentia? Hic vel ille existimat nos pauciora quam reliqui putant de rebus divinis cognoscere; ergo asserit nos plane in divinis cœcutire; Ergo credit omnia esse incerta, & de Religione utramque in partem posse disputari? Sane quemadmodum ex eo, quod multa de rebus divinis cognoscamus, non sequitur nos omnia scire posse; ita pariter ex eo quod multa ignoremus, male colligitur, nos nihil plane de iisdem rebus affirmare posse. Quod si vero Censores mei plura sciant, quam ego nos cognoscere posse existimo, num propterea vapulo? annon potius eorum meritus sum misericordiam quam iram? Si *puer* sum cognitione forte tamen *puer* sum *bonæ spei*, qui suo tempore æque in Virum doctum, ac Censores mei sunt, evadere possum; ætate enim ad omnia sapimus rectius. Erat ergo imperitiæ meæ aliquid concedendum: dies diem docet, & ut hactenus non plane ignavus homo fui, sic spes est fore ut Eruditissimorum meorum censorum exemplis commotus, pudendam tandem ponam ignorantiam.

2.) Quando in oratione mea dixi Theologos de his *vel illis* capitibus inter se dissentire, hoc non ita est intelligendum, ac si res ipsa, de qua inter se per omnia non conveniunt, cognosci plane non pos-

sit; sed hoc tantum, disceptationes nimirum theologorum probare, aut rem ipsam, circa quam dissentiunt, non esse ad eum evidentiæ gradum perductam, ut nulli dubitationi aut obscuritati sit relictus locus; aut quosdam malle præjudicatis opinionibus, quam vero veritatibus magno probabilitatis gradu instructis adhærescere.

3.) In hac Oratione non agitur de his vel illis inter Christianos controversis articulis, sed saltem de *cognitionis* in se spectatæ *gradibus*. Multa sunt quæ salva pietate, salva Religione ignoramus. Hæc tamen si cognoscerem perfectius & cum cognitis jam veritatibus conjungeremus, sine dubio scientia nostra rerum divinarum esset solidior. Verbo: quid *imperfecte* cognoscamus, ostendere potissimum volui, non vero asserere, nil nos de cognitu necessariis scire posse, nedum affirmare, de rebus theologicis nos utramque in partem disputare posse.

4.) Ad scopum principalem Orationis meæ Censores mei rite attendere debuissent. Id enim agebam, ut quam beatus & felix Beatorum status futurus sit, quantamve rerum divinarum cognitionem adepturi sint pii post mortem ostenderem. Ad hoc igitur efficiendum, necesse erat, ut non solum monstrarem, quam imperfecta sit nostra in his terris rerum divinarum cognitio, sed & ut causas impedimentorum majorum progressuum aperirem. Quæ a me dicta sunt, dudum a cordatis & orthodoxis theologis hinc inde sparsim monita sunt. Hic autem Orationis scopus postulabat, ut præcipuæ, imperfectæ cognitionis rerum divinarum causæ junctim Auditorum animis offerrentur. Atque hinc factum esse puto, ut Viri quidam haud indocti, neque male mihi cupientes, auditis variis imperfectionis nostræ causis in unum quasi cumulum conjectis, fuerint offensi, qui tamen, si ad universum orationis filum attendissent melius, benigniorem in partem mea dicta fuissent interpretaturi.

Denique 5.) videant Censores mei, ne incauti, dum scepticis esse nolunt, in castra vel Pontificiorum vel Deistarum transeant, quando ex imperfecta illa rerum divinarum cognitione a me enarrata sequi existimant, scepticis ex eo aliquid accedere præsidii. Deistæ ob difficultates in Religione christiana occurrentes, varias in quas sciissi sunt christiani opiniones, diversasque interpretationes theologorum, clamant, nonnisi rationis decreta esse audienda; Pontificii vero ob has ipsas difficultates ad infallibilem judicem necessario esse confugiendum existimant. Protestantes vero hanc scyllam & charybdin secure præternavigant, asserentes inter alia, ea quæ ad salutem scitu sunt necessaria,

saria, perspicue in Revelatione contineri. Hoc ipsum ego asserui. Quod si vero hoc non obstante præsidium inde accedit certum Scepticismo, a quo Censores mei se alienissimos esse profitentur, quod facile quo sunt ingenio & eruditione præditi concesserim, alterutri memoratarum factionum sese addicere debent, aut fateri, se hactenus in quo natura scepticismi theologici consistat, ignorasse: quod postremum etiam lubentius credo, eosque eo nomine ab omni Heterodoxia aperta & voluntaria absolvendos puto.

Atque hæc quidem sufficere puto ad scopum, quem in Oratione intendi ostendendum, & innocentiam meam vindicandam. Firmiter sum persuasus, Viros eruditos, sollicitudine quadam minus necessaria antea captos, lectis hisce & expensis, rectius de dictis meis & animo judicaturos, & meliorem in partem verba mea interpretaturos.

Illis vero, qui nullas admittunt rationes, neque legitimæ defensionis jura curant, sed affectibus abrepti nihil aliud possunt quam meliores carpere, sanam apprecor mentem. Vale. B. Lector, & Conatibus nostris fave.

IN FUGAM VACUI.

AUsim confirmare, majorem tam Veterum Hæresium, quam præsentium dissidiorum partem, in Ecclesia *hinc præcipue natam fuisse* & esse, quod Concilia, Episcopi, Doctores Ecclesiæ nullo discrimine, *quævis scholarum dogmata & cathedrarum placita pro articulis fidei catholicæ venditarunt, parique ad salutem necessitate credenda conscientiis imposuerunt:* Ex quavis vero interpretationis scripturarum discrepantia *nimis facile hæreses vel schismata fecerunt.* Idem, postquam distinxit inter *articulos fidei Catholicæ, & articulos ad scientiam theologicam pertinentes*, ita pergit. Ingens est horum articulorum discrimen: Confusio vero eorum, *omnium confusionum & turbarum fomes semper in Ecclesia extitit.* Catholicorum articulorum ignoratio omnibus est damnabilis, dubitatio periculosa; negatio: hæretica, impia. Theologicarum conclusionum ignoratio omnibus damnabilis non est, neque dubitatio aut negatio semper hæretica vel impia. Catholici articuli sunt fundamentum fidei & salutis: Theologicæ conclusiones struuntur super fundamento, modo ut *aurum*, *argentum*, modo ut *paleæ*, *stipulæ.* In Catholicis articulis fundatur fidelium consensus, fides, spes, charitas, salus. In Theologicis conclusionibus *semper aliquæ fuerunt,*

runt, erunt, & esse possunt dissensiones salva fidei & charitatis compage absque salutis jactura. De Catholicis denique articulis consensus Ecclesiæ prorsus est necessarius: de theologicis conclusionibus lacerare velle Ecclesiam, *non christianæ charitatis, sed Antichristiani est supercilii.* In utroque genere Evangelici omnes a Papistis longissime sunt separati; invicem vero in genere priore h. e. in articulis Catholicis conjuncti; in solo posteriore dissensiones aliquæ hactenus agitantur inter theologos, quæ nisi *ambitiose magis quam consulto plebejorum auribus inculcatæ fuissent, ad tam infelix schisma res nunquam venisset.* Verba sunt Davidis Parei Theologi Heidelbergensis in Irenico.

Celeb. WERENFELSIUS Epigramm. LXXIV.

In hominem ad aliorum fidem sese accommodantem.

Magno cum studio propugnas Dogmata Patrum:
Numinis hoc a me, gloria poscit, ais.
Forsitan hoc a te, poscit quoque gloria Patrum
Forsan & hic aliquid, poscit amice, tua.

Idem Epigrammat. LXXVII.

In Pseudozelotam.

Qua ratione probet, quæris, sua dogmata, Fronto?
Quemlibet hæreticum, qui negat illa, vocat.
Devovet hunc diris, hominemque ad Tartara damnat.
En sua quam valide dogmata Fronto probet!

ORATIO
DE
Disciplina Arcani Veteris Ecclesiæ, nostra ætate non usurpanda. (*)

QUod plerisque, qui non sponte, sed auctoritate & legibus coacti, ad dicendum animum inducunt, contingere solet, ut nimirum non tam soliciti sint, qua ratione argumentum aliquod rite tractare, quam quid potissimum in maxima utilissimarum rerum copia deligere debeant, id mihi etiam evenisse diffiteri non possum. Quamprimum enim Venerabilis Ecclesiæ nostræ Antistitis auctoritate, atque imperio mihi injunctum fuit, ut in Illustri hoc Auditorum Consessu, more Majorum verba facerem, multiplici rerum præcellentissimarum varietate, quæ animo meo objiciebantur, ita eram turbatus, atque in diversas partes tractus, ut ubi potissimum pedem figerem, anceps prorsus atque dubius essem. Sciebam equidem, nihil in tanta Virorum Excellentissimorum & Doctissimorum frequentia proferendum, quod Summorum Virorum Auctoritate indignum, aut a loco hoc & tempore alienum, vel denique personæ, quam sustineo, viribusque meis, minus aptum, atque conveniens foret. Hoc unum autem animum meum anxium, atque solicitum habuit,

(*) Non est quod miretur Lector, huic Orationi passim, præter consuetudinem, citationes locorum, & Auctorum fuisse insertas; factum hoc, quia Amici, quibus Auctor multum tribuit, eam publice legi voluerunt. Cæterum *de Arcani Disciplina*, præter Cl. Pfaffium, legi possunt Geb. Meyeri Dissertatio de recondita Veterum Theologia, Helmstad. 1679. edita. Tenzelii Dissertat. de Disciplina Arcani, ejusque contra Eman. a Schelstraten defensio. Casaub. Exercit. XVI. contra Baronium. Binghami Orig. Eccles. Lib. X. Cap. V. & quos ille in scenam producit; Basnage Annales Eccl. Polit. Tom. II. Dissert. 12. ut de nostris Theologis, Claudio, Dallæo, Albertino, qui cum Ecclesiæ Romanæ Doctoribus congressi sunt, nihil dicam.

buit, quo potissimum argumenti genere desiderio vestro & officio meo ex parte satisfacere possem. Dum autem animus huc illuc incertus ferebatur, in mentem venit, me forte haud male acturum, si de *Infelicitate Literatorum* verba essem facturus. Præterquam enim, quod singulari occasione ad argumentum hoc tractandum fuerim inductus, ipsius materiæ dignitas, utilitas, atque jucunditas me invitabant. Sine mora igitur animum ad meditandum & scribendum appuli, varias infelicitatis, quibuscum Eruditi colluctantur, causas in suas classes dispescui, doctissimorumque omnis ætatis Virorum Exemplis comprobavi. Animus erat, Adolescentes amore laudis, & literarum studiis incensos, edocere, verum mentis præsidium, decus, atque requiem, non in Eruditione duntaxat, sed in virtute potissimum, probitate atque fiducia in Deum, esse ponendum & quærendum. Huic autem labori & meditationi intento, nunc hæ, nunc illæ rationes, in mentem venerunt, quæ tanti mihi ponderis esse videbantur, ut iis tandem cedere, & hoc quicquid erat laboris perire, potius quam rectæ rationis decretis refragari maluerim. Præcipua autem, ut verum dicam ratio quæ me in ipso laboris cursu constitutum ab incepto abstraxit, hæc fuit; verebar nimirum, ne in tanta juventutis litteratæ paucitate & raritate, ii ipsi, qui incredibili quodam Literarum amore sunt incensi, auditis tot emergendi impedimentis, & infelicibus Virorum præstantissimorum casibus, torpescerent, animumque plane dejicerent. Cum enim nihil magis generosæ indolis Adolescentes ad sapientiæ atque Eruditionis studium impellere possit, quam si audiant, virtuti atque recte factis suum constare decus, atque sua esse reposita præmia, viam honoris cunctis patere, neque generi, nedum inertiæ, sed virtuti gloriam tribui; nemo non videt, eos tot argumentis & Exemplis in contrarium allatis, a recto tramite, qui ad serena virtutis & Eruditionis templa deducit, pedes esse deflexuros.

Atqui Doctoris publici officium est, omnibus viribus conniti, ut vera, recta, atque mascula Eruditio in animis Auditorum magis magisque radices agat, uberrimosque proferat fructus. Depulsus igitur de hoc gradu, neglectoque qualicunque labore, de alio argumento, nulli periculo, atque siniistræ interpretationi obnoxio, consilium cepi. At nullum tum quidem temporis, quod quidem animo meo adblandiretur, in mentem incidit, unde mecum statui, omnem de Oratione habenda curam, atque solicitudinem abjicere, atque in aliud tempus, aliumve animi statum, hoc quicquid esset laboris transferre,

atque

atqûe ad quotidiana ſtudia & libellos meos recurrere. Factum autem opportune eſt, ut, de quo fruſtra eram ſolicitus, aliud agendo in libellum quendam *Chr. PFAFFII, Tübingenſis Academiæ Theologi & Cancellarii, Viri non magis ob inſignem & vaſtiſſimam Eruditionem, quam vero ſingulare, fratres eheu! ob quasdam leviores quæſtiones diſſidentes componendi ſtudium, Celeberrimi*, inciderem (*). Heic *Eruditiſſimus Vir* in eo erat, ut doceret, qua ratione, vel incredulis & luxurianti-bus ingeniis, vel rerum ſublimium minus capacibus, quorum eheu! noſtra ætate maximus numerus eſt, frænum aliquod injici, atque ad audienda rectæ rationis, & Revelationis decreta induci poſſint. Inter alia autem conſilia ſaluberrima optat *Doctiſſimus ille Vir*, ut noſtra ætate ad reprimendum hoc malum *Diſciplina Arcani* antiquis Eccleſiæ Doctoribus uſurpata denuo poſtliminio in uſum revocaretur, exiſtimans, pruritum illum, quo ſæpe optima ingenia abripiuntur, repreſſum, ſtudiumque ſanctiſſima quæque illotis manibus tractandi, extinctum, aut ſaltem imminutum iri. Hæc cum mecum perpendiſſem, eaque quæ apud Veteres, & Recentiores de hoc argumento legeram, in memoriam revocaſſem, tantum abeſſe putavi, ut hæc *Diſciplina* in uſum revocata, tollendo aut reprimendo huic malo apta atque idonea eſſet, ut potius hanc ipſam Veterum conſuetudinem multorum errorum, ſpretæque Religionis caſtiſſimæ cauſam fuiſſe, mihi perſuaderem. Eum in finem ſtatui, ſine ulteriore mora, ea quæ olim de hoc argumento legeram, denuo evolvere, atque in hoc ipſo *Virorum Eruditiſſimorum congreſſu* de hac *Arcani Diſciplina*, non contradicendi, ſed nudam veritatem dicendi ſtudio, verba facere. Argumentum, quod ex intimis Antiquitatis Eccleſiaſticæ receſſibus petitum eſt, neque perſona, quam ſuſtineo, neque auribus etiam forſan *Præſtantiſſimorum* Virorum indignum.

Cum autem non temporis tantûm ſed & ordinis habenda ſit ratio, certis legibus atque cancellis Orationem includam. Atque eum in

(*) Digitum intendimus ad ea, quæ Cl. Vir in Diſſertat. de Præjudiciis Theologorum Parte poſter. pag. 133. & prolixius pag. 149. ſq. diſputavit. Nollem autem quenquam exiſtumare, nos ex profeſſo contra Præſtantiſſimum Theologum in arenam deſcendere; præterquam enim quod ab omni prurigine diſputandi abhorreamus, res de qua agitur non illius eſt naturæ, ut cum quoquam nedum cum Cl. Pfaffio litigemus. Meditationes ſaltem Cl. Viri Auctori anſam dederunt hoc argumentum pertractandi. Tantum abeſt, ut Auctor cum Cl. Pfaffio, Theologo erudito, modeſto, pacifico, de hoc argumento contendere in animum induxerit, ut potius cum Eo, & ei ſimilibus fratribus in unum cœtum coaleſcere optaret, ut unitis viribus contra Incredulos, & Papæ mancipia, inſurgere poſſent.

in finem hujus *Disciplinæ Arcani indolem* atque *naturam*, deinde illius *Originem* pandam; post ad *rationes*, quibus inducti Veteres eam consuetudinem induxerant, pergam, quamque nullius eæ roboris sint non solum ostendam, sed & *varia incommoda*, quibus obnoxia fuit, in medium proferam, unde denique ultimo loco necessario erit inferendum, *eam Disciplinam nostra ætate in usum non esse revocandam.*

Habetis Auditores O. O. P. rerum a me dicendarum Summam. Forte ipsius Argumenti novitas efficiet, ut vacivas mihi præbeatis aures. Cætera enim omnia, quæ Oratori decus atque benevolentiam conciliare possunt, mihi deesse, facile animadverto. Sive enim ad dicentis Auctoritatem sive eloquii splendorem atque ornatum respicio, frustra me esse, pulchre video: Auctoritatem enim meam atque existumationem, penes plerosque vestrum, aut nullam aut perexiguam esse, dudum scio. Eloquentiam ab eo exspectare non potestis, qui ad res potius quam verba attentus est, atque severiores utplurimum disciplinas philosophicas, theologicas cumprimis, taliter qualiter hactenus excoluit; accedit quod universa mea Rhetorica, quod miremini, duabus saltem constet propositionibus, quarum *prima* hæc est: Orator, id quod elaborandum in se suscepit argumentum, ita perspicue, atque plane explicet, ut Auditores vel Lectores id non possint non intelligere; *Secunda*: Orator, id quod probare aggressus est, aut invictis atque certissimis, aut vero quam maxime similibus persuadeat argumentis. At longe plura postulare artis dicendi Magistros notissimum est. Nihil ergo aliud mihi relictum est, quam ut Vos orem atque rogem, ut saltem per horulam, quod & aliis in dicendo non magis valentibus concessistis, aures Vestras voluntatesque mihi commodetis.

Per *Disciplinam Arcani*, ut tandem initium faciam, nihil aliud intelligimus, quam eam Veteris Ecclesiæ consuetudinem, qua quædam Religionis Christianæ Mysteria ritusque, eos inprimis, qui naturam atque indolem Baptismi, atque S. Cœnæ spectabant, Paganis nondum initiatis, lapsis & Catechumenis, ad majorem, uti putabant, reverentiam in animis eorum excitandam, celabant, neque ante certum peractæ Exercitationis tempus, ad accuratam eorum cognitionem admittebant. Ubi tamen probe notandum est, non hic sermonem esse de scriptis publicis atque Confessionibus, sed Sacrorum publico exercitio, institutionibusque ad populum habendis. Notum enim est, Veteres Ecclesiæ Doctores publice Religionis Christianæ decreta non

solum

solum exposuisse, sed & acerrime eadem vindicasse; testes sunt antiquissimorum Ecclesiæ Doctorum, *Justini M. Quadrati*, *Aristidis*, *Tertulliani*, &c. Scripta & Apologiæ; testes *Origenis*, atque *Cyrilli* contra *Celsum* atque *Julianum*, habitæ atque editæ vindiciæ; testes publica monimenta, quibus antiquissimorum Hæreticorum oppugnabant errores; testes denique concertationes, quæ Seculo IV., V., VI. atque sequentibus sunt ortæ, quibus de Filii divina origine, ἐνσωματώσει, aliisque capitibus, utramque in partem vehementer fuit disputatum. Ex quibus patet, de publicis saltem institutionibus hoc sacrum silentium esse intelligendum. Quæritur autem: utrum ad mysteria omnia, v. gr. doctrinam de SS. Trinitate; an vero ad sacra illa amoris pignora, Baptismum nempe atque S. Cœnam duntaxat, hanc Arcani Disciplinam extenderint Christiani. Atque heic contendunt Doctissimi Viri, *Casaubonus*, *Albertinus*, *Tenzelius*, *Basnage*, aliique, sola illa Symbola externa communionis nostræ cum Christo, panem nimirum & vinum, non autem naturam illorum Symbolorum, nedum alia capita Religionis Christianæ, silentii peplo fuisse involuta; (*) atque eum in finem provocant, ad omnia illa Doctorum antiquissimorum loca, in quibus diserte & rotunde de omnibus Religionis christianæ capitibus mentionem fecerunt. Unum omnium loco testem producam, nimirum *Justinum* M. qui in *Apologia secunda*, pag. m. 97. seq. (ut vulgo vocatur) enarratis præcipuis sanctissimæ disciplinæ decretis, ita de S. Cœna loquitur: *Nos secundum hujusmodi Lavationem credentem jam & nobis adscitum ad fratres, qui dicuntur, eo adducimus, ubi illi congregati sunt ac communes preces ac supplicationes cum pro seipsis, tum pro Illuminato & aliis ubique gentium omnibus, animo intento peragendas: ut digni idoneique simus, qui veritate agnita per opera etiam ipsa boni atque officiosi rerum administratores & datorum nobis mandatorum custodes inveniamur, atque ut salute salvemur æterna. A precibus finitis, mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis laudem & gloriam rerum universarum Patri, per nomen Filii & Sp. Sancti offert, & Eucharistiam seu gratiarum actionem, pro eo, quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixe exequitur. Atque ubi ille preces & gratiarum actiones absolvit, populus qui adest omnis fausta approbatione acclamat,*

(*) Vide Casaubonum Exercit. in Baronium, Exercit. XVI. pag. 495. Albertinum de Eucharistia, Lib. II. pag. 708 Tenzelium adversus Eman. a Schelstraten. Basnage, Tom. II, Dissert. 12. Sect. VII. pag. 566. mitto alios.

mat, dicens; Amen Præsidens vero postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi atque Ministri distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum & aquam, & ad absentes perferunt. Porro Alimentum hoc apud nos vocatur Eucharistia: quod nulli alii participare licitum est, quam veram nostram doctrinam credenti & lavacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, ita ut Christus tradidit viventi. Non enim ut communem panem ista sumimus: sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus, Servator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit; ad eundem modum etiam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse docti sumus. &c.

At nec hic, nec alia loca, a Viris Doctis allata probant, in Sacris publicis omnia Mysteria Religionis cunctis promiscue fuisse annuntiata; sed hoc tantum; Christianos in suis publicis scriptis & Apologiis, ad depellendas hostium calumnias, sanctissimæ disciplinæ capita perspicue, quantum poterant, explicuisse. Duo sunt, quæ, ut ita sentiam, me inducunt. *Prius* est, quod rationes ipsæ, quas adferunt Veteris Ecclesiæ Doctores ad hanc *Disciplinam Arcani* commendandam, hanc interpretationem necessario postulare videantur; *Posterius*, quod hujus rei vestigia clarissima in veterum monumentis reperiantur. Quod ad *prius* attinet, provocant, ut infra pluribus audiemus, Doctores Christiani hanc Disciplinam commendaturi, tum ad rerum ipsarum sublimitatem & verendam majestatem, tum ad mentis humanæ cæcitatem; at panis & vinum nihil habent, quod hoc titulo dignum sit. Accedit, quod data opera allegoricis utantur vocabulis, ad extollendum rerum propositarum pretium. Neque credibile est, Patres hosce existimasse, nondum initiatos facilius intellecturos fuisse decreta de æterna Filii generatione, atque divina ejus origine, quam vero præcepta de Sacris Symbolis, & ritibus circa eorum usum adhibitis. Quod ad monumenta veterum attinet, satis constat, non solum meros ritus in administratione Sacramentorum usurpatos, fuisse occultatos; sed & ipsam rei significationem, aliaque Religionis Decreta. Probemus hoc inductione testimoniorum. *Cyrillus* Hierosolymitanus in Prologo suarum Homiliarum Catecheticarum fideles solicite adjurat, ne librum suum Cathechumenis vel aliis Christianis velint tradere, alioquin facti rationem Deo reddituros. In Sexta Catechesi scribit idem:

Περὶ

Περι μυστηριων επι κατηχημενων λευκως δ' λαλημεν, ἀλλα πολλα πολλακις λεγομεν επικεκαλυμμενως, ινα οι ειδοτες πιστοι νοησωσι. i. e. *De Mysteriis, præsentes si sint Catechumeni, clare non loquimur; sed sæpe multa dicimus tecte, ut qui norunt fideles intelligant.* Atque hoc in causa fuit ut Pagani Christianis insultarent. *Celsus*, acerrimus ille Christianorum hostis, ludibrii causa Religionem Christianam vocabat Κευφιον δογμα, *doctrinam clandestinam. Origenes*, dum in eo est, ut hanc calumniam diluat, fatetur quædam doctrinæ capita non omnibus communicari (*). *Lucianus* vel quisquis Auctor est Dialogi, cui titulus *Philopatris*, huc digitum manifeste intendit, quando (Operum *Luciani* Tom. II. pag. 770. seq. Edit. *Grævii*) *Triephon* jubet *Critiam* jurare per Deum alte regnantem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria; respondet *Critias*, *se non intelligere*, *quid sit unum tria*, & *tria unum*; tum explicationis loco subdit *Triephon*, Christiani & quidem Catechumeni (uti expresse pag. 773.) personam induens: σιγα τα νεῳθε, καὶ τα σιγης ἀξια, & paulo infra idem *Triephon*: *Catechumenus existens persuaderi a me tibi sine, si modo vivere cupis in æternum.* Atque hinc factum est, ut nondum Initiati Orationem dominicam, & Symbolum tum demum discere tenerentur, quando jam jam erant baptizandi. Rationem hanc adducebant; quod donum adoptionis nondum essent adepti. (**) Hinc *Chrysostomus* toties in suis libris illud ισασιν οι μεμυημενοι ingeminat. Inprimis clarissima sunt testimonia in Scriptis *Tertulliani* de hoc argumento; unum alterumve adferamus. Apolog. Cap. VII. (pag. 81. Edit. *Havercampi*,) in eo est, ut detestandas Paganorum calumnias de infanticidio, Thyestæis epulis &c. diluat. Inter alia autem sic loquitur: *Si semper latemus, quando proditum est, quod admittimus? Imo a quibus prodi potuit?*

(*) Locus qui extat Lib. I. cap. 8. ita juxta versionem sonat: Per totum orbem notior est Christianorum prædicatio, quam Philosophorum placita. Quis enim Jesu e Virgine natum & crucifixum ignorat? Quis resurrectionem ejus multis creditam, & denuntiationem judicii reddituri pro dignitate pœnas peccatoribus & justis præmia? Quin & resurrectionis futuræ mysterium vulgatum est, tametsi rideatur ab infidelibus. Quæ cum ita se habeant, perabsurdum est, doctrinam hanc vocare clancullariam. Quod vero quædam insunt, quæ non communicantur quibusvis, id non solius Christianæ doctrinæ proprium est, verum etiam Philosophicæ.

(**) Ita Chrysostomus Homil. XX. in Math. pag. 200. Tom. I. edit. Ffort ὁτι πιστοις ἀυτη ἡ προσευχη καὶ οἱ νομοι της ἐκκλησιας διδασκουσι καὶ το προοιμιον της ἐυχης. Ὁ γαρ ἀμυητος ὁυκ ἀν δυναιτο πατερα καλειν τον Θεον. i. e. quod fidelibus Oratio ista conveniat, & Ecclesiæ regula ipsa testatur & ipsius Orationis exordium. Nondum quippe initiatus baptismatis sacramento non potest Deum Patrem vocare. Plura loca collegit Bingham, loco cit. pag. 132.

ab ipsis enim reis non utique, cum vel ex forma omnium mysteriorum silentii fides debeatur. Samothracia, & Eleusinia reticentur, quanto magis talia, quæ prodita interim etiam humanam animadversionem provocabunt, dum divina servatur? si ergo non ipsi Proditores sui, sequitur ut extranei. Et unde Extraneis notitia, cum semper etiam piæ initiationes arceant profanos & ab arbitris caveant. Præscript. contra Hæret. Cap. 41. ita eos impugnat dicens: *non omittam ipsius etiam conversationis hæreticæ descriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana sit: sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suæ congruens. Inprimis quis Catechumenus, quis fidelis, incertum est; pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: Etiam Ethnici si supervenerint, sanctum canibus, & porcis margaritas, licet non veras, jactabunt* (*). S. Cœnam & Baptismum, id est, utriusque naturam, dubium non est quin occultarint Veteres. Perspicue non semel id designat *Augustinus*. Ita Comment. in Psalm. 103. ait: *Quid est quod occultum est, & non publicum in Ecclesia?* respondet: *Sacramentum Baptismi, Sacramentum Eucharistiæ, opera nostra vident & pagani, Sacramenta vero occultantur illis.* Hinc illa *Maximi Madaurensis* petitio in Epistola ad *Augustinum* data. *Illud quæso Vir sapientissime,* (inquit) *uti remoto facundiæ colore atque exploso qua cunctis clarus es, omissis etiam quibus pugnare solebas Chrysippeis argumentis, postposita paululum Dialectica, quæ nervorum suorum luctamine nihil certi quicquam relinquere nititur: ipsa re approbes, quis sit iste Deus, quem*

(*) Allus extat Tertulliani locus libro I. ad Nationes, cap. VII. ubi ita loquitur: Si quem tamen apud nos prudentiæ locum iniquitas reliquisset, ad explorandam famæ fidem utique justitia postebat dispicere, a quibus potuisset fama in vulgus, & ita in totum orbem dari. Ab ipsis enim Christianis non opinor, cum vel ex forma ac lege omnium Mysteriorum silentii fides debeatur: quanto magis talium, quæ prodita non evitarent interim humana animadversione præsentaneum supplicium? Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei. Oro vos, extraneis unde notitia? cum etiam justa & licita Mysteria omnem arbitrii extraneum caveant. Contendit equidem Doctissimus Meyerus in Dissertat. de recondita Veterum Theologia, Sect. XIV. pag. 720. loca citata non probare, Tertulliani ævo Disciplinam Arcani in usu fuisse. Sed non tam (inquit) quid apud Orthodoxos, quam quid apud Gentiles in usu & lege fuerit, ex istis Tertulliani locis ostendi poterit, & si quid illius continent, id de in fecessu ab Ecclesia pressa habitis Sacris intelligi, non autem ad singularem illam Veterum occultandi in promtu seu publico morem, utpote tum nondum in Ecclesia usitatum, trahi debet. At fallitur in eo doctissimus Vir. Calumniæ de Thyestæis epulis, &c. Christianis intentatæ, & responsiones ipsius Tertulliani manifeste ostendunt, non de conventibus Christianorum in genere, sed de Mysteriis & Sacramentis sermonem esse; in ultimo, quem adduximus loco, provocat Tertullianus ad silentii fidem Mysteriis debitam, longe aliter locuturus, si probare duntaxat voluisset, neminem extraneorum interesse posse cœtibus Christianorum.

quem Vobis Christiani tanquam proprium vindicatis, & in locis abditis præsentem vos videre componitis. Mitto alia loca, quæ adferri possent ad probandum, in antiquissimis Christianorum cœtibus, non solos duntaxat ritus, sed & decreta ipsius Religionis, studio a Doctoribus fuisse silentio obvoluta. (*)

At paulo distinctius, quos a Sacris illis & Mysteriorum perceptione arcuerint, quos admiserint, & quid non initiatis tentandum fuerit ut ad audiendas res sanctissimas præpararentur, dicendum.

Inter eos, quos a Sacrorum illorum usu atque contemplatione arcuerunt, *primo loco* veniunt οἱ ἔξω, *Extranei*, quo nomine nonsolum homines a Religionis Christianæ professione alieni, sed & Catechumeni intelliguntur; posterius patet ex verbis *Cyrilli*: *Cum Catechesis recitatur*, (inquit) *si Catechumenus ex te quæsierit, quid dicebant Doctores? nihil dicas externo*, μηδεν λεγε τῶ ἔξω. *Secundo* loco huc referendi *Profani*, id est, non initiati. *Theodoretus* Quæst. XV. in Numerum: ἀσημως διὰ τες ἀμυητες περὶ των θειων διαλεγομεθα μυςηριων. i. e. *obscure propter non initiatos de divinis Mysteriis loquimur.* Sequebantur *tertio* Gentiles, & denique Catechumeni, quibus omnibus aditus ad audienda Mysteria occludebatur, de quibus pleni sunt Veterum & Recentiorum libri. Illi vero qui admittebantur erant uno verbo *fideles*, quos & *Initiatos*, *Mystas*, *Consummatos*, *Epoptas* vocabant. Sexcenta sunt hujus rei testimonia apud *Chrysostomum*, *Cyrillum*, *G. Nazianzenum*, *Augustinum*, quæ brevitatis causa non adscribam. Modus occultandi hæc Mysteria duplex erat. *Prior* est, quo profanos, id est non initiatos, a Mysteriis procul esse jubebant. Eum in finem Diaconi altissima voce non Initiatos discedere jubebant. Testis est *Chrysost.* Homil. XVII. in Epist. ad Hebræos dicens: *Diaconus in altiore loco stans magna voce terribili clamore, veluti quidam Præco, manus sustollens in altum, alios quidem vocat, alios probibet, alios excludit, alios introducit.* Usus autem est Diaconus his formulis: ἔξω περιπατειτε, ἀπελθετε, προελθετε, ὁσοι ἀμυητοι, ὁσοι κατηχεμενοι, ὁσοι ἐνεργεμενοι, ὁσοι ἐν μετανοια. Nec abire eos jusserunt duntaxat, sed & fores templorum

(*) Adductis locis superaddimus clarissimum Cyrilli locum ex Catechesi VI. postquam enim dixisset: Mysteria Sacramentaque patefacere Ecclesiam ei, qui ex Catechumenis excedit τῶ ἐκ κατηχεμενων μεταβαλλομενω, hoc est, competenti, nec moris esse Ethnicis exponere, atque in exemplum mysterium Trinitatis adducit. Non enim (inquit) Gentili cuiquam de Patre & Filio & Spiritu Sancto arcana Mysteria declaramus: neque palam apud Catechumenos de Mysteriis verba facimus, sed multa sæpe loquimur occulte.

diligenter custodire tenebantur Diaconi, postea Subdiaconi & Ostiarii. Testatur id *Chrysostomus* Homilia in Matthæum & *Auctor Constitut. Apostol.* Lib. II. Cap. 57. hinc *Hieronymus* & *Epiphanius* Marcionitas increpant, quod Mysteria celebrent inspectantibus Catechumenis. *Posterior* occultandi ratio erat, quod de Mysteriis coram initiatis aut plane silerent, aut obscuro dicendi genere data opera uterentur. Hinc *Chrysostomus* Homilia 40. in 1. ad Corinth. ait: *Volo quidem aperte id dicere, non audeo vero propter eos qui non sunt Initiati. Ii enim difficiliorem nobis faciunt expositionem, cogentes aut non perspicue loqui, aut eis arcana annuntiare. Epiphanius Anchorat.* n. LVII. de verbis institutionis loquens, coram Catechumenis nolebat dicere: *hic panis corpus meum est; hoc vinum sanguis meus est*; sed *hoc meum est hoc & hoc.* Conferatur *Theodoreti* Dialogus primus & secundus. Eum in finem vocabulis etiam obscurioribus utebantur, cum de Sacramentis sermo esset habendus. Sacramenta passim vocabant μυισεις, τελετας, ἐποπτειας, peculiariter Eucharistiam τελετην τελετων: Baptismum *Unctionem, Illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, splendorem animarum, carnis abjectionem, peccati diluvium, lucis communicationem, cœlestis regni clavem*, ut alia taceam. Vid. *Casaub.* Evercit. XVI. pag. 485. seq.

Ut autem ad hanc Mysteriorum communionem admitterentur, vario exercitationis genere opus erat. Primus gradus erat καθαρσις *purgatio*, secundus μυησις *initiatio*, tertius ἐποψια *perfecta contemplatio*; ἐποπτην vocabant, qui perfectam, quantum fieri posset, cognitionem Mysteriorum & Sacramentorum haberet. Circa temporis spatium diversa erat Veterum disciplina. Nimirum aliter tractarunt eos, qui Christianæ Religioni nomen dare volebant, aliter lapsos. *Priores* brevius stadium percurrere debebant, antequam panem cum fratribus frangere possent. Primo igitur fiebant *Catechumeni*, deinde *Competentes*, postremo *Fideles* & *Christiani*. Quod vero ad lapsos attinet, quinque gradus utplurimum veteres adhibebant. *Primus* erat, ut per triennium (utplurimum) in aditu Ecclesiæ, a fidelibus & Catechumenis separati, starent pœnitentiam agentes in squalore. *Secundus*, ut per aliquot annos audirent saltem lectionem S. Literarum. *Tertius*, ut absoluto demum certo temporis spatio precibus publicis interessent. *Quartus*, quod cæteris fidelibus similes habiti, excepta S. Eucharistiæ communione. *Quintus* denique erat, quod jus utendi S. Cœna habebant, quam τελειωσιν & κοινωνιαν τȣ̃ ἀγαθȣ appellare solebant. Hujus disci-

disciplinæ dum circa lapsos meminit Is. *Casaubonus*, in hæc verba erumpit Exercit. XVI. pag. 487. *Circa lapsos disciplina fuit severa, & prorsus admiranda: cui revocandæ in usum operam impendisse, res futura sit Deo gratior absque dubio, quam de fidei dogmatis subtiliter disputare extra scripturas & omnes dissentientes ferro & flamma persequi, in quo hodie summus pietatis apex ponitur.* Quæ quo loco sint habenda, judicent me doctiores. Cæterum de hac disciplina circa lapsos passim consulendi *Binghami*, *Bonæ*, *Morini*, *Hottingeri*, *Albaspinæi* &c. labores.

Quod si quæratis *Auditores*, quo temporis articulo hæc *Disciplina Arcani* in Ecclesiam Christianam fuerit inducta, nihil certi de hoc dici posse respondeo. Hinc quidam ab ipsis Christi & Apostolorum temporibus hanc consuetudinem repetunt; alii labente Seculo secundo; rursus denique alii quarto demum & quinto Seculo receptam fuisse existimant. Expensis omnibus, quæ a Viris Doctis de hoc argumento adferuntur, vero quam maxime consentaneum est, primos Religionis Christianæ Doctores hanc consuetudinem non usurpasse; accedentibus vero ad Christianorum cœtus Viris Doctis, præceptis Philosophiæ imbutis, atque simplicitatem cultus sacri fastidientibus, arcanas & mysticas rituum excogitatas esse rationes, quæ successu temporis, ut fieri solet, insigniter auctæ, denique in maximam excreverint rituum molem (*); labente vero Seculo sexto denuo abolitam

(*) Cl. Pfaffius originem Disciplinæ Arcani repetit ab ipso Christo & Apostolis. Ita loco citato pag 150. seq. ait: Cæterum hæc Arcani Disciplina, & olim a Gentilibus, unde ipsam hausisse Christianos Viri quidam doctissimi arbitrantur, observata fuit, & a Judæis quoque &c. Neque hinc tamen (pergit) ejus petenda origo est, cum in ipsis N. Fœderis tabulis ea commendetur. Etenim ipse Christus Apostolis summa fidei Mysteria non statim revelavit; - - unde & Arcani Disciplina data opera ab iisdem instituta, & observata fuit &c. In hujus sententiam concedere videtur Eruditissimus Moshemius Instit. Hist. Eccl. pag. 75 facile (inquit) mihi persuadeo, Disciplinam quam vocant Arcani in ipsis Ecclesiæ initiis jam locum habuisse, id est docendi rationem ex prudentiæ lege a Doctoribus temperatam fuisse. Sed illa Disciplinæ hujus forma, quæ tertio, quarto sequentibusque Seculis recepta fuit, recentior est ætate illa, cujus res nunc enarramus. Quod simplex initio prudentiæ institutum erat, id mirifice degeneravit postea ac non modo amplificatum, verum etiam ad normam Mysteriorum inter Gentes exactum, vocabulisque ab exteris petitis obscuratum fuit. Ita Doctissimus Moshemius. Cavendum ne hic logomachiam committamus. Quando per Disciplinam Arcani intelligitur prudens & circumspecta docendi ratio, a Christo & Apostolis adhibita, nemo dubitat, quin origo hujus consuetudinis ex hoc fonte peti possit. At ubi de Disciplina Arcani Veteres & moderni agunt, longe aliud quam prudentem rerum docendarum tractationem, quam ab omni tempore Viri Docti & prudentes observarunt, intelligunt: cum autem manifestissimum sit Doctores tertii & seq. Seculorum hanc disciplinam ex præceptis Ethnicorum, Sacris-

tam fuisse, quanquam Viri Docti hujus disciplinæ vestigia in hodierna *Ecclesia Græca* extare contendant. Vide *Heineccii Abbildung der Griechischen Kirchen.* Lib. II. Cap. VI. Sect. 30. pag. 235.

At tempus est, ut inquiramus, quænam sit *Origo* hujus Disciplinæ, & a quibus hanc occultandi Sacra consuetudinem didicerint cœtuum Christianorum Antistites. Hæc quidam ad exemplum Christi & Apostolorum provocant; alii ex *Cabbala Judæorum* haustam existimant; plerique omnem illum adparatum ex *præceptis Philosophorum Sacrisque Gentilium* ortum esse contendunt, quæ ultima sententia vero quam maxime similis est. Certe neque a Christo, neque a primis Sectatoribus ejus hanc disciplinam fuisse adhibitam constabit omnibus, qui sine partium studio res a Christo & Apostolis gestas expendunt. Sanctissimus noster Soter in media turba omnibus promiscue sanctissimæ disciplinæ capita explicuit. Quamprimum quis percepta ejus doctrina, & inusitatis miraculis conspectis, nomen ipsi daret, atque ipsum pro Messia admitteret, sine ambagibus, variisque molestis exercitationibus, aqua tinctus, & inter Sectatores ipsius relatus fuit. Discipulis suis injunxit, ut quæ ipse obscurius dixisset, publice & coram omnibus perspicue annuntiarent. Hinc *Paulus* Act. 20. Ephesiorum cœtui valedicturus nihil eorum se omisisse testatur, quæ ad explicandam sanctissimæ disciplinæ naturam aliquid conferre possent. Et quid opus verbis? Cum ex libris N. Testamenti unice nobis constet, quæ fuerit Christi & Apostolorum docendi ratio, quæ Sacramentorum & Disciplinæ Sacræ constitutio, nihil autem plane de hac *Disciplina Arcani* in iis traditum vel præscriptum sit; nemo non videt, aliunde hanc consuetudinem esse arcessendam. Adfert quidem *Cl. Pfaffius* quædam loca N. Testamenti, probaturus, Christum & Apostolos quasdam Disciplinæ sacræ partes sæpe occultasse (*). At si singula

trisque eorum petiisse, causam non video cur dicamus, Auctores Disciplinæ Arcani, Christi in docendo methodum duntaxat imitari voluisse. Tenzelius & Bingham, circa finem Seculi II. ortam hanc disciplinam putant; Dalleus vero, Mejerus, aliique demum quarto Seculo inventam existimant. Non errabimus, si initium tempore Tertulliani, progressum vero sequentibus Seculis fuisse dicamus.

(*) Hoc ut pateat, unum alterumve locum a Cl. Viro adductum proferamus. Pag. 152. provocat ad Math. XVI. v. 11. 22. Hoc loco præcipit Christus suis discipulis, ut nemini dicerent, quod ipse esset Jesus Christus. v. 16. confessi sint discipuli, ipsum esse Messiam, & proxime post hoc interdictum perspicue eos edocuit de futura sua passione & resurrectione. Nihil igitur, ipsos discipulos quod attinet, heic loci celavit. Hoc unum postulat, ut sine necessitate & promiscue de hoc argumento non loquerentur, ne sibi molestias facesserent. Vide quid ad h. l. erudite moneat Grotius. Idem fere dicendum de loco Joh. XVI. 12. in quo Chri-

singula ordine expendimus, nihil aliud probant, quam, Christum & Apostolos, pro ea, qua florebant, divina animorum & ingeniorum cognitione, prudentiæ legibus in docendo usos, atque ad mores hominum ad Religionis Christianæ professionem adducendorum sese attemperasse; at hoc ad rem nihil facit. Quæritur hoc unum, utrum Christus & Apostoli data opera, iis, qui Religioni Christianæ nomen dare volebant, aut obscure, vel plane non explicuerint, naturam Mysteriorum atque Sacramentorum, aut peractis demum & toleratis multis exercitationibus, ad Baptismum & S. Cœnam admiserint; atque hoc est, quod probari posse negamus. Quod *Cabbalam* Judæorum spectat, novimus quidem, Magistros, homines nugivendulos, di-

Christus ait: ἔτι πολλὰ ἔχω λεγειν ὑμιν ἀλλ᾽ οὐ δυναϑε βασταζειν, si conseq. perpendamus, nihil aliud significare S. Soter voluit, quam, discipulos administrationis divinæ rationem jam quidem capere nondum recte posse, venturum tempus, quo id clarius & evidentius perspecturi sint. Provocat insuper Cl. Pfaffius ad parabolas a Christo adhibitas. v. gr. Luc. VIII. v. 10. & qui huic parallelus est Matth. XIII. v. 11-15. si posteriorem locum ultra modum urgeremus, sequeretur, Christum nonsolum data opera obscure esse locutum, sed & id eum in finem fecisse, ut illi, qui ipsum non intelligerent, damnentur; quod sane ab Optimi Soteris animo alienissimum erat: missis V. D. ad h. l. interpretationibus, breviter verba Christi ita παραφραζω. „Quæritis discipuli, cur paraboslis sæpiuscule utar neque aperte huic turbæ mentem meam explicem. Sciatis „igitur, plerosque eorum glebæ adfixos, indignos esse, quibus omni data occa„sione plane, dilucideque veritatem dicam: qui enim concessis beneficiis recte „utuntur, digni soli quibus plura concedantur; qui autem iis ipsis abutuntur „quæ ad manus sunt, indigni sunt, quos majoribus exornes donis; digniores „imo, quibus ea ipsa, quæ concessa sunt, auferantur. Hæc causa est, cur para„bolis jam quidem, non perspicuo sermone utar. Hanc tubam intus & in cute „novi, videntes non vident, id est, ea, quæ non semel dilucide absque similitu„dine iis dixi de cœlesti mea doctrina, intelligere. & ad animum revocare no„lunt; quæ ergo causa esset, cur videre nolentibus, id est cæco adfectu abreptis, „clarius loquerer? similes sunt iis, de quibus Jesaias locutus est &c „ Ex universo sermone Christi adparet, antea sæpissime Christum perspicue tradidisse ea, quæ ad percipiendam sanctissimam suam disciplinam facere possent. Verba enim *videntes non vident*, alium sensum non patiuntur. Quod Apostolos attinet, nemo non concesserit, eos prudentiæ legibus usos in doctrina Jesu Christi promulganda, & huc faciunt loca, quæ Cl. Pfaffius adducit, nimirum 1. Corinth. III. 2. Hebr. V. 11. Quod ad ἄῤῥητα illa ῥηματα, quæ audivisse se testatur Apostolus 2. Corinth. XII. attinet, sine dubio talia non erant, quæ nosse universi cœtus Christiani intererat. Unde & ad Disciplinam hanc Arcani probandam nihil faciunt Cætera loca mitto. Hoc unum quod attinet, moneo, Cl. Virum contra locum Pauli Act XXV. 27. quem in ipsa Oratione adduxi excipere, hic de conversis, non vero initiandis sermonem esse; at præterquam, quod Cl. Vir hic supponit, aliter Apostolos cum initiandis, aliter cum fidelibus egisse, de quo tamen quæritur, ipsemet pag. 154. fatetur, ex libris N. Fœderis discrimen inter Catechumenos & fideles probari haud posse.

dicere, Deum Mosi in monte Sina arcana quædam Mysteria revelasse; ea per Viros Sanctos ad Judæorum Doctores fuisse delata, ac nonnisi iis, qui divinioris mentis sint, esse explicanda. Quo fundamento autem hæc nitantur, nemo non videt. Christiani Doctores, excepto *Origene* & *Hieronymo*, linguæ Hebraicæ erant ignari. Consuetudo allegorice cuncta interpretandi, ex ignorantia, inepto Eloquentiam ostendendi studio, & moribus Philosophorum fuit orta. *Cabbalam Philosophicam* recentiorem esse, & ex *Pythagorico-Platonicis principiis* repetitam, sole clarius est. *Philonis Judæi* atque antiquissimorum Ecclesiæ Doctorum scripta atque decreta satis ostendunt, eos *Cabbalistarum* nugas ignorasse, atque aliunde plane, quæ a disciplina Christi abhorrent, adsciviſse (*). Restat, ut dicamus, hanc *Arcani Disciplinam* è *Gentilium Sacris* atque *Philosophorum Decretis* fuisse petitam. Notum est, ætate Christi & Apostolorum, maxime autem proxime sequentibus Seculis, Philosophiam Pythagorico-Platonicam maximo ardore a Christianis, Judæis, & Gentilibus fuisse excultam, cujus rei innumera extant in Veterum monumentis vestigia. Quod si ritus circa Disciplinam Arcani usurpatos rite & per partes consideremus, eaque quæ apud Philosophos, Pythagoricos cumprimis, & Sacrorum Antistites inter Paganos peragebantur, conferamus; manifestissimum erit, Auctores primos *Disciplinæ Arcani* sanctissimæ disciplinæ formam decretis & moribus Philosophorum attemperare voluisse; quod brevi specimine demonstrandum est. Dividebant Philosophi Pythagorico-Platonici universam Philosophiam in duas partes, teste *Hierocle* in Aurea Carmina Pythagoræ. *Priorem* vocabant καθαρτικην, *posteriorem* τελικην; prior mentem *purgare*, posterior *perficere* dicebatur. Ita *Hierocles* definiebat καθαρσιν rem talem qua purgamur ἀπο τῆς ὑλικης ἀλογιας καὶ τᾶ θνητᾶδος σωματος *a fæce rationi contraria mortalique corpore*. Huic jungebant mentis in se ipsam veluti conversionem aliquam, putantes, animum conscium suarum virium & a vinculis corporis sordibusque materiæ liberatum, ante omnia in se verti, cæteris, quæ extra sunt, oblivioni veluti traditis, & ut ad se nihil pertinentibus è memoria ejectis, hoc vocabant ἐπιστροφην εἰς ἑαυτον, quam deinde excipiebat ἀνοδος seu ascensus; volebant enim mentem puram, & ab omni contagione corporis liberatam, collectis quasi ex se ipsa viribus,

(*) De Cábbala Judæorum omnium instar est consulendus Doctissimus Brukerus Hist. Philosoph. Tom. IV. parte secunda. Quod Cabbalam Philosophicam attinet, ex eodem fonte promanavit, quo Disciplina Arcani, quod idem Vir Doctissimus plenissime ostendit, cum quo conferendus Basnage Histoire des Juifs. Alios taceo.

bus, deſerere hæc inferiora ferrique ſurſum & cœleſtia divinaqne petere, atque ad ipſum principium ſuum verti. Hunc ſtatum mentis humanæ vocabant ἀφαιρεσιν τῶν ἀλλοτριως, ἀποδοσιν τῆς οἰκειας ἀσιας, τελειοτητα, &c. *Pythagoras* diſcipulos ſuos in τας ἐξω & τας ἐσω diſpeſcebat. Illi dicebantur velut *extranei*, & nondum in ſecretiora Philoſophiæ dogmata admiſſi. Hi veluti *interiores* & participes ſecreti omnis. Teſtis eſt *Jamblichus* de *vita Pythagoræ* Lib. I. Cap. 17. Αυτοι δε οἱ μεν (inquit) ἀξιοι ἐφαινοντο τε μετεχειν δογματων ἐκ τε βιε κῃ τῆς ἀλλης ἐπιεικείας κριθεντες μετὰ την πεντασιν σιωπην ἐσωτέρικοι λοιπον ἐγινοντο, i. e. *Qui vero digni apparebant, ut participes dogmatum fierent, partim ex vita, partim ex cætera moderatione animi judicati, poſt quinquennale ſilentium demum fiebant Eſoterici.* Diſcipulos Pythagoras, antequam tempus admiſſionis effluxerat, variis iisque duriſſimis exercitationibus explorare ſolebat, non ſolum ſiti & inedia, ſed etiam igne ferroque patientiam ſuam exercere cogebantur. Idem *Jamblichus* loco cit. cap. XVI. *In univerſum* (ait) *circa doctrinas & Inſtitutiones labores adhibendos cenſuit, circa innatas quoque omnibus immoderationes ac cupiditates varia ſupplicia & pœnas & amputationes ferro igneque varias adhibere inſtituit præcepitque, quales ſuſtinere queat nemo qui ſit malus.* Sublimium rerum *occultatio Pythagoræ* etiam & diſcipulis perquam erat familiaris, hinc *Jamblichus* de vita Pythagoræ diſerte: *Secundum rationem exotericam ſimul & acroamaticam expoſitione illuſtrabimus ſymbolum unumquodque, non permittentes ea, quæ arcana ſunt & ſilenda coram iis, qui nondum in interiorem diſciplinam ſunt recepti, divulgari.* Idem de *Pythagoræis* Cap. XXXII. *Nihil eorum, quæ alicujus momenti eſſent, patiebantur prodire in vulgus. Sed quæ longo temporis ſpatio tum docebantur, tum diſcendo percipiebantur, intra privatos tantum parietes cognoſcebantur. Cum externis vero & ut ſic dicam profanis, ſi quandoque uſus ferret congrediendum eſſe, nequaquam Myſteria ſua enuntiabant, ſed per Symbola & arcanas teſſeras obſcure latenterque ſibi mutuo ſenſa mentis veluti ænigmatibus ſignificabant* (*). Eum in finem etiam, teſte *Porphyrio* de vita *Pythagoræ*, num. 3. *Dorica* utebantur *Dialecto* Pythagorici. Cum enim quæſiviſſet, quare ſic perierit Philoſophia Italica, reſpondet: πρωτον μεν δια τὸ αἰνιγματωδες, ἐπειτα δια τὸ κῃ τα γεγραμμενα Δωριδι γεγραφθαι, ἐχεσης τι κῃ ἀσαχες τῆς διαλεκτε, μηδεν δια τατο ὑπονοεισθαι, i. e. *primum quidem quod*

(*) Confer plura apud Schefferum de Conſtitutione Philoſoph. Italicæ, pag. 30. Edit. Wittenberg.

ænigmatibus esset involuta, deinde quod omnia eorum scripta Dorice essent scripta, nam cum ipsa Dialectus quid obscuritatis habeat, hanc ob causam nec dogmata ea Dialecto consignata poterant intelligi (*). Neque ex præceptis duntaxat Pythagoræ & Sectatorum, sed ex ritibus passim apud Gentiles in Sacris receptis multa ad *constituendam Arcani Disciplinam* a Christianis Doctoribus petita fuisse, clarissime constat. Habebant, ut notum est, Græci plurima Sacra, ut *Matris Deum*, *Bacchi*, *Mithræ*, *Isidis*, *Hecatæ*, &c. Hæc vocabant *Mysteria*, operationem sacrorum μυησιν, qui vero ea percipiebant μυεισθαι aut τελεισθαι dicebantur. *Ratio eorum sacrorum in universum erat*, (verba sunt Casauboni Exercitat. XVI. in Baronium:) *ut qui se disciplina imbuendos traderent, paulatim purgati ab hujus vitæ inquinamentis & peccatorum sordibus, per certos gradus & definita temporum intervalla, ad nescio quorum ingentium arcanorum perceptionem atque notitiam perducerentur.* Lustrationem autem per aquam, antequam in Adyta templorum admitterentur, inprimis in usu fuisse notum est. Hinc *Apulejus* initiationis suæ mentionem faciens cap. XI. ait: *Stipatum me religiosa coborte deducit ad proximas Balneas & prius sueto Lavacro traditum, præfatus Domini veniam, purissime circumrorans abluit.* Peragebantur hæc initia adhibitis quibusdam symbolis, quæ ad certarum rerum recordationem erant instituta, quod ex *Julii Firmici* libello, ut de aliis nihil dicam, satis superque constat; ita nonsolum aquam & panem in quibusdam sacris, sed & mysticas quasdam voces adhibitas, veterum constat monumentis (**). Qui ad Mysteria hæc percipienda admitti vole-

(*) Pythagorici alias insuper adducebant causas, cur hac dialecto uterentur. Vide Scheff. pag. 134. & Cl. Brukeri elegantiss. Dissertat. de numeris Pythagoræ, Doctissimi Schelhorni Amœnitatibus insertam. Tom. VI. pag. 209.

(**) Vide Casaub. Exercit. XVI. pag. 483. Tangit inprimis multa huc pertinentia Arrianus Dissertat. Lib. III. cap. 21. pag. 306 Edit. Cantabrig. inter alia sic loquitur ex Versione H. Wolfii. Quid aliud homo nisi Cereris initia divulgas? Domicilium, inquis, est Eleusine; Ecce & hic. Illic Sacrorum Antistes; Et ego faciam Antistitem. Illic præco; Et ego Præconem instituam. Illic facifer; Et ego faciferum. Illic fæces; Et hic Voces eædem; eadem rei gerendæ ratio. Quid hæc ab istis differunt? Homo impiissime, nihilne differunt? pro ratione loci & temporis prosunt: Item adhibito sacrificio, adhibitis precibus, castitate, animoque sic affecto, quod sis ad sacra accessurus vetustasque cærimonias Sic initia fiunt utilia, si eam præbeant opinionem, quod erudiendæ & corrigendæ vitæ causa hæc ab Antiquis omnia fuerint instituta. Tu vero ea enuntias, & prodis alieno tempore, non in loco, sine sacrificiis, absque sana mente. Non ea tibi vestis est, quæ Sacrorum Antistitem deceat; non coma, non strophium quale requiritur, non vox, non ætas: non caste vixisti ut ille, sed cum solas voces memoriæ mandaris, dicis, sacræ sunt illæ voces memoriæ mandaris, dicis, sacræ sunt illæ voces ipsæ per sese. Alio modo ad hæc accedendum est: magna res est, arcanum est, non pervulgatum, nec ejus generis, quod cuivis communicetur.

volebant, graviorum peccatorum confessionem prius edere tenebantur. Testis est *Plutarchus* in Laconicis dicens: *Cum aliquis Mystagogus Laconem initiaret, interrogavit eum, cujus facinoris maxime impii sibi conscius esset.* Gravioribus sceleribus contaminatis *aditum* ad illa Mysteria fuisse *occlusum*, vetus formula, *procul hinc, procul ite profani*, fidem facit. Hinc teste *Suetonio* Cap. XXXIV. *Nero* post occisam matrem *Eleusiniis Sacris interesse* ausus non est. Nihil jam dicam de certis initiationis ritibus, abstinentia a Venere, cibo, lotionibus, comæ ac vestium compositione. Commemorabile est, quod quemadmodum Christiani in sacris habebant sua ἀντιφωνα, vel ὠδας ἀντιφώνας, ita similiter hunc ritum in quibusdam Sacris Gentilium ante fuisse usurpatum. Notat *Casaubonus* ex *Aristophanis Scholiaste*, in quibusdam sacris Bacchicis Daduchos aut alios Ministros sacrorum solitos adstantium coronam ita compellare: αἰνειτε Θεον *laudate Deum*, illos autem respondisse Σεμαλίη Ιακχε πλατοδότα. *O Semelæ fili Jacche, Opum Largitor.* Eosdem diligentissime non solum cavisse, ne horum sacrorum ἀμυητοις arcana innotescerent, sed & gravissimis pœnis transgressores puniviſse, innumeris veterum locis constat. Quid *Diagoræ*, *Orphei*, *Cabirorum*, & *Eleusinia Sacra* publicanti contigerit, notum est. *Livius* libro XXXI. hoc exemplum adducit: *Arcananes* (inquit) *duo juvenes per initiorum dies non initiati templum Cereris imprudentes Religionis cum cætera turba ingressi sunt. Facile eos sermo prodidit, absurde quædam percunctantes: deductique ad Antistites templi, quum palam esset per errorem ingressos, tanquam ob infandum scelus interfecti sunt.* Mitto brevitatis gratia multa alia, quæ ad hoc probandum adduci possent. Hæc si quis cum ritibus in *Doctrina Arcani* usurpatis diligenter contulerit, constabit, illos ritus non ex Christi & Apostolorum disciplina, sed Philosophorum præceptis, & Gentilium Sacris, esse petitos (*).

Sed audiamus tandem rationes, quibus induci se passi sunt Veteris Ecclesiæ Doctores, ad *Disciplinam Arcani condendam* atque stabiliendam, easque ad rectæ rationis leges expendamus. Tres autem potissimum ab Antiquis allatas esse deprehendi hujus silentii causas, quarum *Prima* hæc erat: *Ne Pagani & nondum Initiati rituum a Christianis adhibitorum simplicitate, Mysteriorum contra sublimitate offenderentur.*

(*) Huic sententiæ addicti Casaubonus, Albertinus, Meyerus, Tenzelius, Sam. Basnage, Joh. Clericus aliique. De Eleusiniis Sacris confer Meursium Cap. XX. & V. D. notas ad Tertulliani, Arnobii. M. Felicis, Athenagoræ &c. Apologias, de præceptis Philosophiæ Pythagorico-Platonicæ Brukerum, Schefferum, Buddei Analecta, &c.

rentur. Ita *Chrysostomus Homil. 23.* in Matthæum : *Mysteria* (inquit) *clausis januis celebramus, & eos qui nondum initiati sunt, adesse prohibemus, non quia infirmitatem Mysteriorum aliquam deprehendimus, sed quia ad participationem eorum illi adhuc quos arcemus infirmi sunt* (*). At hæc ratio, utut specioſa, nullius roboris mihi esse videtur. Tantum abest, ut *rituum simplicitas* sapientum animos offendere, ut potius nihil magis eos ad publica Christianorum Sacra amplectenda inducere debuisset. Quo quis magis castæ sanctissimæque Religionis cognitione est imbutus, & amore ejus tactus, eo magis etiam sentit, primam & præcipuam illius partem mentis ad Deum conversione, virtutum divinarum æstimatione, officiorum a recta ratione præscriptorum præstatione; non vero vario atque multiplici rituum adparatu

(*) Ad primam illam ut & duas sequentes Patrum rationes vide Meyerum, Casaubonum, Bingham, qui plura adducunt loca. Casaubonus, postquam primam illam Patrum rationem sacra occultandi adduxisset & testimonio Cyrilli confirmasset, ita ait : Et verissime hoc dicit Cyrillus : nam quis a fide alienus paganus, aut Catechumenus in fide nondum confirmatus, mysterium nostræ per aquam regenerationis, aut manducationis carnis Christi in Cœna Domini, sine scandalo aut risu audiat ? ita passim in hac Exercitatione XVI. veterum consuetudinem laudat. Nemo qui ingenium Casauboni perspectum habet, atque novit, quibus cummaxime Literis per omnem fere vitam vacaverit, mirabitur, eum ita judicasse. Talia ingenia, cum de disciplinis Philosophicis & Theologicis sermo est, ut plurimum cœcutiunt. Ne quis putet, me audacius quam par est de Casaubono judicium ferre, testem adducam fide dignum, Eruditissimum, quique Casaubonum magni fecerat. Is est J. Clericus, qui Bibl. choisie Tomo XIX. pag. 228. de Exercitationibus illius contra Baronium agit, & postquam opus illud plenum Eruditione esse dixisset, hæc inter alia addit : Mais il y a trois choses qui ont fait dire, que Casaubon avoit entrepris un Ouvrage au dessus de ses forces, en voulant refuter Baronius. La premiere est, qu'il n'avoit pas assez medité les premiers principes de la Theologie, entre lesquels est par exemple celui-ci, qu'il ne faut rien proposer comme de foi, que ce, qui est en termes exprès dans l'Ecriture Sainte, ou qu'on en peut tirer par une consequence necessaire. - - Je dirai seulement à l'égard de la premiere, qu'on n'a qu'à lire l'Article XLII. de l'Exercitation XVI. où Casaubon montre, que les Peres par une pieuse condescendance, comme il dit, avoient appellé l'Eucharistie un Mystere, & avoient établis diverses Ceremonies, qui y ont eû rapport, conformes à celles des Payens dans leurs Mysteres. Casaubon trouve tout cela fort bon, au-lieu qu'il l'auroit du blâmer. Un bon Theologien Protestant ne reconnoitra jamais qu'il soit bien, de donner des noms tirez de la Religion Payenne aux Ceremonies du Christianisme, de les immiter dans leurs rites, de raisonner là-dessus, comme si l'on pouvoit tirer des consequences d'expressions Payennes inconnues, à cet égard, aux Apôtres : & enfin se former des idées de ce qui regarde l'Eucharistie conformement à ces manieres de parler. On ne peut changer les noms de choses en matieres de Religion, sans beaucoup hazarder : parce qu'avec ces nouveaux noms, on introduit des nouvelles idees, comme il est arrivé sur la matiere de l'Eucharistie. Casaubon lui-même ne croyoit une sorte de presence réelle, que parce qu'il avoit la tête échauffée de ces expressions des Peres, qui ne sont point justes, & qui n'ont aucun fondement dans la premiere institution.

ratu constare. Et quid habet tandem Baptismus & S. Cœna, quod homines offendere possit? non hic pudenda Sacra, ineptæ & ridiculæ ceremoniæ, quæ apud Gentiles locum habebant, atque a sapientibus explodebantur. Cuncta, uti ex *Justino* M. supra audivimus, mira simplicitate peragebantur. Quod si tamen Patres illi existumarunt, Paganos & Catechumenos, eo quod naturam Sacramentorum minus recte perciperent, abjecte de his Mysteriis sensuros esse, tantum aberat, ut obscure de his loqui aut plane tacere debuissent, ut potius horum rituum naturam atque finem simplicissimis verbis explanare debuissent. Pagani & Catechumeni non erant Infantes, quos crepundia, & pupulæ delectant, sed Viri rationis capaces. Facile igitur, si serio animum ad Religionis Christianæ professionem adjunxerunt, edoceri potuissent, quis sit finis atque natura rituum in sacris adhibitorum. Inter prima Religionis Christianæ Capita, quæ tradenda iis erant, sine dubio hoc erat: Jesum Christum verum esse Messiam, eumque in gratiam generis humani ea omnia feciisse & perpessum esse, quæ in Sacris Literis traduntur. Dudum autem monuit *Paulus*, quantopere Paganorum & Judæorum aures mentesque audito hoc Christianorum dogmate offenderentur; non impedivit tamen ille contemtus neque *Paulum*, neque alios sanctissimæ disciplinæ alumnos, quominus *publice* & *privatim*, ringentibus licet veritatis hostibus, saluberrima hæc præcepta ingeminarent. *Christus* ipse, sapientissimus sine dubio Doctor, omnibus veritatis cupidis, & cœlestis sapientiæ amore incensis, sine ambagibus, multorumque rituum adparatu, ad divina decreta audienda aditum concessit. Longe aliter Patres nostri; obscure illi loquuntur data opera, eaque sacro involvunt silentio, quæ clare, perspicue, publice & privatim fuissent edocenda, explicanda, infigenda; quam sapienter, judicent æqui rerum arbitri. At *sublimitas* Mysteriorum, inquient Patrum inepti admiratores, eos absterrere debuit, quo minus perspicue de hoc argumento loquerentur. Utinam Doctores in eo sibi constitissent! Utinam nunquam, quæ ignorarunt, explicare tentavissent! at notiora sunt eheu! quæ de hoc argumento minus caute ab antiquis dicta sunt, quam ut vobis A. referam. Primis post Christum natum Seculis, quarto cumprimis, in publicis disputationibus de æterna Filii generatione, ejus natura atque ἐνσαρκώσεως ratione, prolixissime disseruerunt Patres, atque intelligendo sæpe effecerunt, ut nihil intelligas. Quicquid ratio & Philosophia auxilii adferre poterat, ad sublimia hæc & prorsus ἀῤῥήτα Mysteria expli-

explicanda, id in medium protulerunt Christiani Doctores. Ipse *Alexander*, Alexandriæ Episcopus, teste *Socrate*, de tremendo hoc Mysterio φιλοτιμέτερον ratiocinans, infaustissimorum certaminum, quæ per universum Orientem & Occidentem diffundebantur, causa extitit; ut de aliis Scriptoribus antiquis nil dicam. Quod si igitur existimarunt, Mysteria illa omnem rationem supergredi, caute & circumspecte loqui debuissent non tantum in institutionibus, & sermonibus ad populum habendis, sed & in Scriptis publicis. At aliud est prudenter & circumspecte loqui, aliud prorsus silere; aliud fateri, nos naturam alicujus rei rite cognoscere non posse; aliud data opera rem sua natura captu difficilem obscuris vocibus exprimere. Prius si fecissent, causa non erat, cur extimescerent non initiatorum contemtum. Qui Religioni Christianæ nomen dare volebant, aut erant Viri *prudentes*, & præceptionum, quibus constat Disciplina Christi, *gnari*, aut *Illiterati* prorsus atque *rudes* eorum, quæ inter Christianos docebantur. Quod ad *priores* attinet, dubium non est, quin perspicua Religionis Christianæ explicatione edoceri potuissent, nihil in Sacris Christianorum ritibus atque decretis esse, quod a Viro sapiente admitti non posset. Certe, si Doctores illi veritatem Religionis Christianæ ea ratione probassent, qua id a Doctissimis ætatis nostræ Viris factum est, facile viros illos sapientes eo adducere potuissent, ut quædam admitterent, quæ ingenio humano perspicue satis explicari non possunt, partim quod omnium Philosophorum confessione cognitio de natura & proprietatibus divinis arctissimis sit circumscripta limitibus; partim quod doctrina de tribus principiis inter celeberrimas dissentientium ejus ætatis familias erat notissima, publiceque recepta. Demonstrata divina origine Religionis Christianæ, facillimum erat ostendere, cur sanctissimus noster Soter memoriam mortis suæ certis symbolis repræsentari voluerit. Uno verbo, aut dicendum, Religionem Christianam omnibus rectæ rationis decretis refragari, aut non: prius cum communi consensu negarent Christiani Doctores, causa plane non erat, cur cognitioni Virorum sapientum ad Religionis Christianæ confessionem animos adjicientium explicationem Mysteriorum subtraherent. Quoad *rudes* vero, & disciplinæ sanctissimæ *ignaros*, dubium non est, quin prudenti opus fuerit institutione. Edocendi sine dubio erant publice & privatim prima Religionis Christianæ Elementa, atque sensim sensimque ad altiora fuerat progrediendum; at obscuritas verborum, exclusio a Sacris, hoc efficere certe non poterat.

Secun-

Secunda, quam Patres adducebant, ratio hæc erat: *Ut in animis hominum Reverentiam erga Mysteria Religionis excitarent.* Ita *Basilius* de Spiritu S. Cap. XXVII. ait: *Mysteriorum veneratio silentio conservatur. Augustinus* Serm. I. inter XL. editos a *Sirmondo* ait: *Non mirari debetis fratres Charissimi, quod inter ipsa Mysteria de Mysteriis nihil diximus, quod non statim ea quæ tradidimus interpretati sumus, adhibuimus enim tam sanctis rebus atque divinis honorem silentii.* Hæc ratio ejusdem ponderis est, qua prior. Hactenus ego pro mea simplicitate existumavi, eum demum alicujus rei *veneratione tactum iri*, qui illius naturam atque singularem præstantiam cognitam atque perspectam habet; at si Patribus credendum, contrarium plane verum est. Hi ut admirationem in animis hominum excitent, non solum profundo rem cognoscendam involvunt silentio, sed & data opera iis utuntur vocibus, quæ notitiam rerum gravissimarum impediunt. Mira hæc & insolita vel potius inepta agendi ratio. Ob sublimitatem, ajunt Doctores nostri Mysteriorum, nihil de Mysteriis coram initiatis loquimur; at hæc ipsa ratio, hoc ipsum silentium venerationem & admirationem in animis horum hominum excitare debet. Plane hic Doctores Christiani *Gentiles* imitantur, penes quos, teste *Demetrio Phalereo*, τὰ μυστηρια ἐν ἀλληγοριαις λεγεται προς ἐκπληξιν καὶ φρικην ὡσπερ ἐν ἀδυτῳ καὶ νυκτι. i. e. *Mysteria allegoriis exprimuntur ad terrorem & horrorem tanquam in adyto & nocte*, & judice *Tacito* in *Agricola* Cap. XXX. *Omne ignotum pro Magnifico est.* Hos ipsos tamen acerbe Christiani perstrinxerunt propter Arcana, nonsolum quod fœda essent & ab honestate aliena, sed & quod ineptum esset celare id, quod tantopere extollas. Dubium non est, quin hac ratione multos nondum initiatorum in eam adduxerint sententiam, ut crediderint, res obscuras neque magni momenti tantopere tegi; interesse Doctorum illorum, ne in plana hæc Mysteria collocarentur luce, alias omnibus promiscue explicaturos. Certe non ita Christus, non ita Apostoli ratiocinabantur; diserte, rotunde, clare, sed modeste tamen & prudenter, de rebus hisce gravissimis locuti sunt.

Sequitur *tertia*, & ultima ratio. Nimirum *ut Mysteria hæc cognoscendi desiderium in Catechumenis tanto magis acueretur. Si Catechumenis* (inquit) *Augustinus Homil. 96. in Johannem, Sacramenta fidelium non produntur, non ideo fit, quod ea ferre non possint, sed ut tanto ardentius ab iis concupiscantur, quanto eis honorabilius occultantur.* Hæc ratio *Augustini* contraria est Canoni inter omnes recepto: *ignoti nulla*

cupido. Nemo sane unquam aliquo ingenii conatu animum discendæ alicui arti vel disciplinæ adjunget, quæ prorsus illi est ignota. Solent hoc quotidie optimarum artium & disciplinarum Doctores experiri. Appetitus & desiderium demum rei notitiam consequitur. Impossibile igitur fuit, ut homo a Religionis Christianæ professione alienus, singulari desiderio cognoscendæ veritatis tangeretur, si Doctores ipsi pedibus manibusque obnisi sunt, quominus indolem atque naturam tantarum rerum cognoscerent. Aliud est, si de lapsis sermo sit, qui dudum cœlestium præceptionum participes facti, ob gravissima peccata tamen indigni habiti, quibus sanctissima doctrina, turpiter neglecta, imo pedibus conculcata, clarius ingereretur.

Atque hæ *præcipuæ* sunt *rationes*, quas Veteres adduxerunt ad Disciplinam illam Arcani commendandam & usurpandam. Utrum vobis graves & ponderosæ videantur, ego quidem nescio. Mihi, ut mollissime dicam quod sentio, non solum a *ratione alienæ* esse videntur, sed & *tantorum Virorum personis indignæ.* Rationes cur ita sentiam in medium produxi. At plura sunt, quæ disciplinæ illi opponi possunt.

Et *primo* quidem manifestum est, allegoricas illas & obscuras voces, quibus usi sunt veteres de S. Cœna loquentes, portentosum tandem illud *Transsubstantiationis* dogma, in Religionis Christianæ opprobrium, peperisse, atque effecisse, ut quod sua natura aptum esset, vivam aliquam & admirabilem mortis Christi imaginem in animis hominum excitare, in scenicum & ludricum degeneraverit actum. Hinc Viri Doctissimi & in Antiq. Ecclesiastica versatissimi, de *obscuritate Patrum* circa hoc argumentum conquesti sunt (*). Quam rectius feci-

(*) Cl. Dallæus, Vir si quisquam alius in Scriptis Patrum versatus, in aureo libello de Usu Patrum, Lib. I. Cap. 5. inter alia hæc ait: Cum ergo tum in hoc argumento, tum in aliis, ipsis propositum fuerit, mentem suam caligine quadam veluti involvere, non debet mirum videri, si quæ ser pserant sæpe sint obscura, & (quod obscuritatem consequitur) si aliquando secum ipsi pugnare videantur. Mitto aliorum Virorum doctissimorum inter nostros, ut Claudii, Albertini, Basnagii, Pfaffii, querelas. Hinc sæpe dubitavi, utrum præstantissimi inter Protestantes Viri operæ pretium fecerint, quod tanto labore & studio de opinionibus Patrum circa Cœnam Domini investigandis fuerint soliciti. Nemo ignorat labores Claudii adversus Arnaldum, aliosque. Cum principium credendorum Protestantes dicant esse Verbum Dei, quid lucrantur tandem, postquam immenso labore ex obscurissimis Patrum de hoc argumento locutionibus probarunt, eos Transubstantiationem non credidisse? hoc unum nempe: constantem Traditionem deesse Ecclesiæ R. Doctoribus. Cum autem evidentissime demonstrari possit, Transubstantiationem nonsolum S. Literis, sed & rationi & sensibus contrariam

feciſſent optimi Viri, ſi perſpicue mentem ſuam explicuiſſent, atque myſteria non feciſſent ubi nulla erant, ea vero quæ omnium confeſſione talia ſunt, obſcuris terminis non obfuſcaſſent!

Secundo: fieri hac ratione aliter non potuit, quam ut pauciſſimi veram aliquam atque genuinam Sacramentorum indolem atque naturam perceperint. Cum de *Baptiſmo* & *S. Cœna* loquuntur Patres, aut data opera minus perſpicue locuti ſunt, aut iis utuntur vocibus, quibus non poſſis non *majorem vim* tribuere his ſymbolis, quam rei veritas admittit. Atque hæc etiam inter alia cauſa fuit, quod quidam Baptiſmum ad vitæ uſque finem protraxerint (*); quod multi in cærimoniarum illarum uſu adquieverint, atque exiſtimarint, ſi modo Symbolis illis tandem frui poſſent, de ſalutis certo conſequendæ ſpe dubitari vix poſſe (**). Denique, ut alia mittam, per hanc *Arcani Diſciplinam ambitio, dominandique lubido*, quæ quarto jam Seculo altas in plorumque Epiſcoporum animis radices egerat, magis magisque fuit *aucta*. Cum enim illi Sacramentorum vim atque efficaciam ſupra modum extollerent, atque ſine eorum participatione omnem ſpem ſalutis decollaſſe adſererent; ſibi autem ſolis ea diſpenſandi poteſtatem vendicarent, palam eſt, multos in eam ſententiam conceſſiſſe, Sacrorum Miniſtros propiore Numinis conſortio frui, illosque, ita volente Deo, de ſalute hominum pro lubitu diſponere. Quam vera ſint, quæ dico, eventus eheu! ſatis docuit.

Ex quibus facile, Auditores, colligere poteſtis, utrum hæc *Arcani Diſciplina* noſtra ætate in *uſum ſit revocanda nec ne*. Alieniſſimum hoc mihi videtur a Seculo quo vivimus. In eam enim incidimus ætatem, qua homines non obſcuris verbis ſibi imponi patiuntur, ſed rationes deſiderant. Diſciplinæ Philoſophicæ & Theologicæ, obſcurita-

riam eſſe, imo manifeſtiſſimam eſſe contradictionem, quid refert tandem noſtra, utrum hic vel ille Eccleſiæ Pater obſcure vel clare de hoc argumento locutus ſit? Si inde a Juſtini M. vel Ignatii temporibus ad ætatem usque Bernhardi omnes Patres credidiſſent, dari circulum quadratum, credere id tamen, ſi vel maxime vellem, non poſſem; non magis poſſibile eſt credere Tranſubſtantiationem. Non invideo autem labori Doctiſſimorum Virorum, qui antiquiſſimorum Eccleſiæ Patrum de hoc argumento cogitata in lucem protulerunt; at tutior via eſt, ſi ad rectæ rationis decreta & Revelationem recurras. Fruatur autem quisque ſuo judicio.

(*) Vide Bingham. Orig Eccleſ. Librum XI. *Arnold Abbildung der erſten Chriſten*, Lib II. cap. 14.

(**) Vide quid Julianus Imperator apud Cyrillum Lib. VII. pag. 245. edit. Spanhemii, & ad finem libelli, cui titulus. *Cæſares*, de hoc argumento dixerit; quamvis enim veritati aliquando calumnias adjecerit, dubium non eſt, quin abuſus eum ad ita loquendum induxerit.

ti & examinis fugæ inimicissimæ, florent. Ridentur Pontificii Doctores & qui eorum vitula arant, quando in causis Religionem spectantibus ad Auctoritatem, vel sacrum silentium provocant. Religio Christiana nunquam tam egregie fuit demonstrata, tam fortiter defensitata, quam nostra ætate. Lucem amant omnes, quotquot vera disciplinarum pretia norunt; non extimescimus incredulorum vel cachinnos, vel ratiocinationes. Quem in *finem* ergo introduceretur hæc *Arcani Disciplina*? Quo jure possumus sperare, homines ingenuos, & amore veri tactos, sacro silentio ab erroribus revocatum iri? Verbo: vel hæc *Arcani Disciplina* adhibenda esset erga homines *luce Revelationis destitutos*, vel erga *Deistas* & *Revelationis hostes*, vel denique erga *Catechumenos* inter Christianos natos, id est juventutem. Quod attinet *Paganos* luce *Revelationis destitutos*, quos certatim Christiani ad Religionis Christianæ professionem adducere volunt, dubium non est, quin ante omnia, si nondum cognoscant, prima Religionis Naturalis Capita edocenda sint. At si hoc sciunt, num Christiani sunt? minime, inquies. Ergo ego inquam, probanda est illis Veritas atque divina Origo Religionis Christianæ; provocandum ad miracula Christi ejusque resurrectionem; probandum, eum cœlitus missum ad generis humani salutem promovendam; atque ita, velis nolis, de Religionis Christianæ Decretis est agendum. Sed non intelligunt hæc Mysteria, inquis. At forte illi, qui ad homines illos ignorantiæ tenebris immersos mittuntur, sæpe artem recte cogitandi & ratiocinandi ignorant; forte non eo ordine, quo opporteret, in docendo progrediuntur; forte Mysteria faciunt ubi nulla sunt, aut ubi talia sunt, luci tenebras offundunt; vel denique explicare volunt, quæ nulla arte & ingenio satis definiri possunt. Quicquid sit, id quod a Christo traditum est, utut difficile captu, tacendum non est; nostrum est facere quod possumus. Aut enim Homo ille *acri ingenio est* instructus *aut non*. Si *prius*, innumeris Exemplis rerum ad Religionem non spectantium eum edocebis, multa imperfecte cognosci, pauciissimaque esse, quorum perfectas rationes reddere possint mortales; sufficere, si ostendatur, Mysteria hæc neque inepta, neque rationi plane contraria esse. Et quomodo tandem Decreta hæc silentio præteriri possent, si singula examinare tenetur Paganus? Si vero *stupidus* sit ille homo, nihil aliud facere possis, quam ut intelligat, quantum ingenium ejus capere potest.

Quod si Te cum hac *Arcani Disciplina* ad *Deistas* convertes, frustra

fruſtra eris, & a turba illa repudiaberis. Homines illi (de Literatis loquimur:) omnes ingenii nervos intendunt, ut probent, nulla plane opus eſſe Revelatione; Religionem Chriſtianam vel eo nomine repellunt, quod ea Myſteriis plena ſit. Hæc impugnant quantum poſſunt. Quid Chriſtiani diverſiſſimarum Sectarum ſentiant, pulchre callent. Quod ſi igitur cum hiſce hominibus congrediendum eſt, certe neque obſcure loquendum, neque examen ſupterfugiendum. Si centies clamites, *Arcana* hæc eſſe, fruſtra eris; probabis, hæc Myſteria nonſolum quantum ſatis eſt cognoſci poſſe, ſed & debere; probabis, ea rectæ rationis principiis non ſolum non eſſe contraria, ſed Deo digna; probabis, nihil a Deiſtis, maximisque ingeniis, pro vero haberi, quod variis difficultatibus obnoxium non ſit. Deſcendes cum iis in Philoſophiam, multorumque Exemplorum inductione probabis, quam difficile ſit, poſita etiam propoſitionis alicujus veritate, modum atque naturam rerum definire; docebis denique, nihil a Religionis Chriſtianæ Auctore credendum imponi, quod Viro ſapiente, & ingenuo indignum ſit (*). Quod ſi hac ratione nihil profeceris, parum te juvabit *Arcani Diſciplina.*

(*) Eruditiſſimi ætatis noſtræ Viri, qui Veritatem Religionis Chriſtianæ demonſtrarunt, perſpicue ſatis hoc oſtenderunt. Cum autem quæ hic dicenda ſunt, in ſummam redegerit Excellentiſſimus Genevenſium Theologus J. A. Turrettinus in Tractatu de Veritate Relig. Chriſt. ea in gratiam Theologiæ Studioſorum, non Eruditorum, heic deſcribam. Extant ea Tom. II. verſionis Gallicæ, factæ per Doctiſſimum & Amiciſſimum Vernetum, Eccleſiæ Genevenſis Miniſtrum V. D. præſtantiſſimum; ita autem loquitur Eximius Vir pag. 58. ſeq Et combien n'y a-t-il de pareilles obſcurités, ſoit dans la Nature ſoit dans l'Hiſtoire, & même dans toutes les Sciences? Un Phyſicien trouve à chaque pas de quoi l'arreter. Comment la lumiere arrive-t-elle juſqu'à nous? Comment les rayons ſe modifient-ils pour prendre tant de couleurs differentes? Comment ſe croiſent-ils en tout ſens, ſans ſe confondre? D'où vient la peſanteur? Qu'eſt ce qui fait la ſolidité de la matiere? Qu'elle eſt la force ſecrette qui meut les corps? Comment eſt ce que le mouvement ſe communique? Par quel nœud ſecret l'ame eſt elle unie au corps? Comment les objets du dehors peuvent-ils agir ſur l'eſprit? Et d'où vient que ma volonté a le pouvoir de demander à mon bras ſans connoitre les reſſorts qu'il faut remuer pour cela? La Geometrie elle-même a des profondeurs impénétrables; ne fuſſent ce que celles qui naiſſent de la diviſibilité de la matiere à l'infini? Il y a auſſi des faits très-certains dans l'Hiſtoire, qui ne laiſſent pas d'être des enigmes, quand on en ignore certaines circonſtances. Les choſes les plus communes qui ſe rencontrent ſur notre chemin, dit M. Locke, ont des cotés obſcurs, où la vuë la plus perçante ne ſauroit ſe faire jour &c. Et la Theologie Naturelle, dont les Deiſtes ſemblent faire leur fort, eſt-elle exemte de difficultés? Conçoit-on facilement, quel eſt le paſſage du Néant à l'Etre? Comment Dieu crée quelque choſe par ſa ſeule volonté? Comment eſt-ce qu'étant ſpirituel il peut agir ſur la matiere? Comment il eſt préſent partout

ſans

Quod denique ad pueros, quos *Catechumenos* appellare possis, attinet, nemo dubitat, quin prudenti atque circumspecta Institutione opus sit. Utinam multi essent, qui nossent, qua ratione Religionis Christianæ præceptiones facillime animis puerorum essent instillandæ, quod difficilius est quam vulgo putatur. At quicquid de hoc sit, perspecta ingenii capacitate, sensim & per gradus in adyta Religionis Christianæ sunt inducendi, atque adsuefaciendi, ut quid credant sciant, rationesque nonsolum dare possint, cur his vel illis capitibus adsentiantur, sed &, ut utilitatem Religionis & videant & sentiant. Certe hæc methodus cum Catechumenis agendi ingenio ipsorum & naturæ rerum magis erit attemperata, quam Patrum Veteris Ecclesiæ, ad silentium & terminorum obscuritatem confugientium.

Atque sic A. P. vobis naturam, indolem atque originem Disciplinæ Arcani a Veteribus usurpatæ, quantum per tempus licuit, explicuimus; causas a Patribus adductas expendimus, atque probavimus, nullas esse rationes sat graves, cur hæc consuetudo denuo in usum revocaretur; possemus igitur huic Orationi nostræ finem imponere. At *duo* prius mihi facienda esse perspicio. *Unum* est, ut speciosæ alicui occurram objectioni. *Alterum*, ut optimarum Literarum Studiosos breviter edoceam, qua ratione facillime, neglectis etiam regulis quas Disciplinæ Arcani Auctores commendarunt, incredulis atque veritatis hostibus os obthurare possint.

Primum quod attinet, facile prævideo non defuturos qui dicant, me magno conatu magnas egisse nugas, quod nonsolum consuetudinem Veteris Ecclesiæ circa Disciplinam Arcani delineaverim, sed & probare aggressus fuerim, eam denuo in usum non esse revocandam, cum me ipso confitente jamdiu fuerit abolita, neque quisquam Christianorum cultibus eam commendare in animum induxerit. Meum igitur est ostendere, non prorsus usu destitui, quæ de hoc argumento in medium protuli. Ut autem hoc ostendam, non retorquebo

sans occuper un espace? Comment il peut prevoir la determination d'un Etre libre? Et l'idée de l'Eternité de combien d'abimes n'est-elle pas environnée? Cependant on passe par-dessus ces difficultés, & il le faut bien, parce que dès qu'on voit clairement qu'une chose doit être, on ne s'embarasse pas d'en comprendre la maniere. La vuë de l'esprit a une Sphere bornée &c. Inde concludit tandem dicens: Puis donc que la Nature est pleine de Mysteres, puisque toutes les sciences ont leurs enigmes, s'étonnera-t-on que la Theologie Chrêtienne ait les siens? Et au milieu des obscurités qui nous environnent, trouvera-t-on étrange, que la Revelation dise quelque chose de l'Essence divine qui passe nos conceptions? Il seroit bien plus étonnant que tout fut facile & de plain-pié dans un sujet si mysterieux & si sublime.

quebo argumentum ostendendo, multa a Doctissimis Viris, *Theologis*, *Philosophis*, *JCtis*, *Historicis*, *Criticis*, prolixe sæpissime excuti, quæ cum insigni in Ecclesiam & Rempublicam usu conjuncta non sunt; nec probabo etiam maximi interesse, cognoscere hoc argumentum, quod *Doctissimi* inter hodiernos *Ecclesiæ Romanæ Scriptores*, traditiones suas excusaturi, ad hanc *Disciplinam Arcani*, tanquam ad sacram quandam ancoram confugiant (*). Sed uno alterove exemplo docebo, quod, licet hæc *Disciplina Arcani* mature in Ecclesia Occidentali fuerit abolita, nihilominus tamen inter Christianos, inde a teempore Reformationis, ad nostram usque ætatem, talia fuerint publice adserta atque tradita, quæ a Disciplina quadam Arcani non multum abhorreant, neque adeo minorem censuram mereantur, quam consuetudo antiquis Ecclesiæ Doctoribus recepta. Nihil dicam de Ecclesiæ Rom. Doctoribus, qui Examen Religionis Christianis severissime prohibent, atque omnes ingenii & eloquentiæ nervos intendunt, ut probent, Examen Religionis cuivis concessum infinita post se trahere mala; non repetam, eosdem Doctores, in tanta Literarum luce, monstrosum & ridiculum Transsubstantiationis Dogma quibusvis artibus defendere. De nostris, id est Protestantium, liceat hac voce uti, cœtibus aliquid dicam. Si quidquam perspicue in Sacris traditum, & rationi conforme dici potest, is sensus certe est, quem *Reformati* verbis institutionis Sacræ Cœnæ tribuere solent. Hæc ipsa explicatio vivam Religionis Christianæ imaginem refert, omniaque complectitur, quæ animum ad amorem sanctissimi nostri Soteris inflammare possunt. Hoc ipsum tamen sacrum Symbolum, quod ad pacem inter Christianos alendam unice datum fuit, infaustissimarum litium causa extitit, ob hanc præcipue causam, quod Fratres quidam, clarissimum & manifestissimum sensum negligentes, Mysterium quæsiverint, ubi nullum est. *Magnus Lutherus* institutionis Christi verbis pertinaciter inhærens, non vidit, se hac ratione ex simplici ritu eruere propositionem, quæ ne intelligi qui-

(*) Singularem de hoc argumento scripsit Dissertat. Emanuel a Schelstraten, Vir in Antiquitatibus Ecclesiasticis probe versatus, quem secutus est A. Pagi in Critica in Baronium, aliique plurimi Eccl. R. Doctores, ad ineptissimas traditiones defendendas; nuper demum is, qui cum Cl. Verneto congressus est, Doctor Sorbonicus pag. 71. eadem usus est arte. Quam incerta, imo *nullo fundamento* nixa sit hæc disputandi ratio, pluribus ostendi posset; at vide in compendio Bingham. Antiq. Eccles. Lib. X. & Plastium Dissertat. de præjud. Theolog. pag. 163. seq.

quidem, nedum a Doctissimis Viris explicari potest (*). Huic tamen *Beati Viri* explicationi etiamnum inhærent Fratres in Christo charissimi, atque inter alia etiam hanc causam esse volunt, cur minus in unum coalescamus cœtum. Annon hoc est *Speciem Disciplinæ Arcani in Ecclesiam reducere?* Huc pertinent omnes illi, qui pro quidem studio incitati dissidentes fratres componere volunt, sed ad id obtinendum *obscuris & æquvocis* utuntur vocibus, ita ut utraque pars sensum quem quærit, extundere possit. Inter eos eminuit Vir alias de *Cœtu Protestantium meritissimus M. Bucerus*, qui incredibili studio atque labore, excogitatis dubii sensus de verbis Institutionis S. Cœnæ formulis, dissensum tollere volens, nonsolum multa agendo nihil perfecit, sed & utrique parti displicuit. *Beatus Zwinglius diserte* atque *rotunde* de hoc argumento locutus est, laudatus ob hoc ab ipso *Bossueto, Episcopo Meldensi*, sacris Reformatorum infensissimo (**). Utinam omnes, qui ab Ecclesia Romana secessionem fecerunt, Magnum hunc Virum fuissent secuti. Verum est, inhæret Reformata Ecclesia explicationi, quam præstantissimus ille Vir, vel, ut rectius dicam, sanctissimus idemque infallibilis Doctor J. C. noster præscripsit. At sunt tamen cheu! inter Nostros, qui manifestissimum verborum Christi sensum, si non data opera, ignorantia tamen, vel potius nescio cujus sapientiæ & pietatis specie obscurare solent. Atque huc refero omnes eos, qui circa hoc argumentum versantes tot metaphoricis & æquivocis vocibus utuntur, ut vix a plebe, nisi meliora edocta, intelligi possint. Dantur *Concionatores*, qui se tum demum rite suo officio defunctos esse putant, si (quod Auctores Disciplinæ Arcani feciſſe audivimus) omnia Emblemata, figuras omnes in unum congerant, existumantes se tum omnes Viri Eruditi & Eloquentis numeros impleviſſe.

At

(*) Vide quæ inter Celeberrimos Viros, Pfaffium & Turrettinum, occasione quæstionis utrum ἀσυρματα credi possint, dicta sunt. Certe Consubstantiationem ita explicari posse, ut a Viro sapiente intelligatur, impossibile est. Cl. Pfaffius in Dissertat. de influxu Dogmatis Reformatorum de S. Cœna in Praxin fidei & pietatis, pag. 17. ita se explicat: Scilicet substantiam corporis Christi in Eucharistia non naturali nec carnali & crasso, sed symbolico, sed divino, sed cœlesti modo præsentem spiritualiter accipimus, (qui modus manducationis est a formula Concordiæ determinatus:) sed ore tamen corporis accipimus, (quod manducationis organum est:) quoniam ore corporis panem accipimus, quo mediante substantiam corporis Christi sacramentaliter spiritualiterque manducamus. Fateor me hanc interpretationem omni adhibita mentis acie intelligere non posse. Nescio quid sit, substantiam corporis Christi spiritualiter edere.

(**) Vide Histoire des Variations des Eglises Protestantes, Tom. I. Lib. III. pag. 100. seq.

At ita rem simpliciſſimam mentibus parum acutis ſubtrahunt; ita impediunt, quo minus id quod admirabile & θειον eſt in hac optimi Soteris inſtitutione homines cernant; ita efficiunt, ut plus ritibus ipſis & ſymbolis concedant, quam rei natura patitur, atque multi etiam neſcio quam præſentiam corporis Chriſti ſomnient. Atque hæc conſuetudo adeo inolevit, ut paſſim libelli ad inſtitutionem plebis facti, Cantica item ſacra, metaphoricis vocabulis ſint referti. Præclare de *Pientiſſimo* ac *Doctiſſimo Theologo*, *Drelincourtio* ſentio; at doleo, præſtantiſſimum Virum in libellis, quos de recto S. *Cœnæ* uſu ſcripſit, quibusve Eccleſia noſtra communiter utitur, tot Emblematibus atque figuratis locutionibus eſſe uſum. Vix rudes, niſi aliunde de vero ſenſu, fine, & natura S. Cœnæ ſint edocti, eum multis in locis intelligere poterunt. At hoc malum ex alio fonte latiſſime ſeſe diffundente promanavit; nimirum hæc differendi ratio ex falſa quadam *Eloquentiæ Sacræ* opinione orta eſt. Sunt multi, qui eum demum *eruditum & pium Oratorem* eſſe putant, qui innumeris floſculis, Meteoris, Metaphoris, Figuris & Emblematibus Auditorum ſenſus demulcere, & quicquid ingenium atque facultas imaginatrix elatum, mirum, atque ſublime excogitare poteſt, in medium proferat. Hinc vix ulla eſt creatura in cœlo & in terra, vix ullum inſtrumentum uſibus humani generis aptatum, quod ſolertiæ talium Oratorum non pateat: habemus ſpirituales ſtellas, ſoles, planetas; ſpirituales nares, pedes, oculos, ſpirituales ædes, ſpiritualia horologia, & quid non? Plana, perſpicua, & argumentis ſuffulta oratio plerisque ſordet; unde & Doctiſſimorum inter Modernos *Anglorum* & *Gallorum*, qui aliam plane viam ingrediuntur, Orationes faſtidiunt, neque legere dignantur, quia, ut loqui ſolent, *unctionem* in illis non deprehendunt; qui tamen, ſi perſpicuis verbis dicere tenerentur, quid *unctionis* illius *nomine* intelligerent, vix prudentioribus credo, ſatisfacere poſſent. Cum autem quidam e vulgo, ad verborum tinnitum, non ſenſum rerum attendentes, hos Oratores admirentur, atque exiſtiment, ex his floſculis eorum pietatem & eruditionem eminere, mirum non eſt, ſi ſibi plaudant, atque quo ſemel cœperunt pede pergant. Memini hac occaſione, quid in *Illuſtris Burneti*, *Epiſcopi Salisburienſis*, *Theologi nonſolum perſpicaciſſimi*, *ſed & de univerſo cœtu Proteſtantium qua patet meritiſſimi*, Commentariis rerum ſuo tempore geſtarum legerim. *Illuſtris* hic *Epiſcopus* narrat, tempore *Caroli II. Regis Angliæ* plerosque Oratores Sacros prolixis explicationibus, controverſiis, citationibus Patrum

& locorum e Scriptoribus Græcis petitorum inhiasse, atque sublimitatem styli, antitheses, & vanum sermonis strepitum consectatos esse. Ut huic malo occurrerent, Viros *Auctoritate*, *Eruditione*, atque *Pietate Eminentissimos*, *Morum*, *Worthingthon*, *Stillingfleetum*, *Tillotsonium*, *Loydium*, *Patrick*, *Wilkinsium*, in unum coivisse, atque de emendanda Eloquentia Sacra nonsolum consilium cepisse, sed & suo exemplo edocuisse, qua ratione cum ratione & fructu sacra hæc exercitia instituenda sint. Maximorum horum Virorum exemplo factum esse testatur *Illustris Burnetus*, ut Eloquentia Sacra aliam plane acceperit formam, & quod prudentissimus quisque eam sibi imitandam existumaverit (*). Qui unquam Doctissimorum inter Modernos Anglorum, quos & Galli secuti sunt, Orationes legit, facile de utilitate hujus consilii judicare poterit. Utinam hanc viam Nostrorum multi ingrederentur! methodus est facillima. At hæc ab alio, quam me male parvo, dici malo.

Auctores *Disciplinæ Arcani* (ut pergam) de Mysteriis in cœtu coram initiatis aut plane verba non faciebant, aut obscuris utebantur data opera vocibus, in quo eos vituperandos esse supra diximus. Quanquam autem cœtus Protestantium hanc Veterum Disciplinam minime approbet, dupliciter tamen circa hoc argumentum peccari, res in Cœtu Christianorum gestæ docent. Nimirum sæpissime factum est, ut res, quæ ingenio humano explicari non possunt, quasque nos ignorare voluit Optimus & Sapientissimus Deus, arreptis tamen hinc inde similitudinibus, & excogitatis novis vocibus, quidam in plena luce collocare voluerint, quo tamen nonsolum veritas fuit obscurata, sed & cavillis incredulorum objecta. Quid circa doctrinam de S. Trinitate actum fuerit, & adhuc dum, in *Anglia* præsertim, agitetur, Historiæ Ecclesiasticæ peritis notissimum est. Quidam *Eruditus Anglus* sex diversas in medium adducit Mysterium S. Trinitatis explicandi rationes, ab Ecclesiæ Anglicanæ Doctoribus excogitatas (**). Nemo non, qui unquam serio de hoc argumento cogitavit, vel me tacente intelliget, quam pernicioſæ sint illæ, quamvis ingenioſæ, distinctiones. Quam bene ageretur cum rebus Christianorum, si nonnisi ex Scriptura homines saperent, ejus decretis unice insisterent, atque imbecillitatis suæ memores essent? Ab altera parte sunt qui Disciplinam

(*) Vide Illustris hujus Viri Histoire des dernieres Revolutions d'Angleterre, Tom. I. pag. 202. edit. in 4. confer eundem pag. 620. ad annum 1684.

(**) Vide Collini Discours sur la liberté de penser. pag. 94. seq. conferantur, quæ nuperrime a Doctissimis Viris, Maty, & de la Chapelle, disputata sunt.

nam illam Arcani, nonsolum circa quosdam saltem Articulos, sed universam Religionem revocatam vellent; qua ratione id fiat dicam. Inter principia Protestantium primaria hoc est: Cujusvis hominis, cumprimis autem Doctoris publici, officium esse, sacras legere literas, cunctaque examini submittere. Hoc principio innixi fuerant *Reformatores nostri*, Viri Religiosissimi, in suis adversus Ecclesiæ Romanæ Doctores Disputationibus atque publicis scriptis. Nunquamne autem factum esse legimus vel audivimus, ut quoties Viri veritatis amantissimi & modestissimi, veritatis inveniendæ studio incensi, in levissimis etiam a receptis opinionibus deflexerunt, pessime fuerint habiti? An nunquam audivimus, dari in cœtu Protestantium genus hominum pestilens & in optimarum Literarum perniciem natum, qui præstantissimos Viros tacite perstringere, eosque penes Magistratum, & qui plurimum in Republica & Ecclesia valent, variorum errorum suspectos reddere conentur? an nunquam audivimus, Viros optimos conqueri de insidiis fratrum, qui, ut aliorum meritis & eruditioni detrahant, sese autem tanquam cœtus sacri Columina extollant, licet nunquam per vitam dissidentium Christianorum Systemata inspexerint, spreta conscientiæ & charitatis lege, alios circumveniant, vitamque illis acerbam reddant? An non prostant Exempla talium, qui, quantum ex eorum sermonibus & scriptis patet, quammaxime vellent, ut in medio Protestantium cœtu, tales constituerentur, qui omnes in causa Religionis vel leviter errantes durissime haberent, atque omne Examen Religionis proscriberent? Testor vestram, Auditores, qui quæ in cœtu Christianorum hinc inde acta sunt nostis, conscientiam, utrum hæc a me sine causa dicta sint? an non autem hæc contraria sunt primis Reformatorum principiis? an non hoc est in orbem revocare *Disciplinam Arcani priore longe funestiorem*? Plura non addam: sufficiunt hæc ad demonstrandum, meditationem de *Disciplina Arcani* non prorsus esse supervacuam & inutilem.

Tandem ad Vos, optimarum Artium ac Disciplinarum Studiosos, qui in florentissimo hoc nostro Gymnasio sapientiæ & pietatis culturæ vacatis, me converto. Vobis, qui hactenus benigne de laboribus meis judicastis, si non erudite, tamen sincere & candide aperiam, qua ratione *neglecta Disciplina Arcani*, feraci hoc Disputationum Seculo, animos contra errores munire possitis. Omnia, quæ strictim de hoc argumento dicam, ad duo summa capita possunt referri. Quædam vobis facienda sunt, dum in hoc optimarum Artium Seminario Literis

ris vacatis; Quædam, si officio Doctorum publicorum suo tempore fungemini. Quod ad prius attinet, rectius facere nil potestis, *Lectissimi Studiosi*, quam si iis Literis ac Disciplinis animos excolitis, quæ ad Religionis momenta rite perpendenda vos præparant. Eum in finem ante omnia diligenter Humaniorum Literarum studia excolite. In iis enim haud exigua, cum ad intelligendas S. Literas, tum ad retundendas Adversariorum insidias, latent præsidia. Non opus est ut in his Literis consenescatis, aut omnes Grammaticorum minutias consectemini, vita enim brevis est & ad majora contendendum, sed ita saltem eas discite, ut genuinam indolem atque naturam Linguarum intelligatis; quicquid ex optimis Scriptoribus collegistis, more Doctissimorum hujus ævi Virorum, ad interpretandas S. Literas transferte. Humaniorum Literarum cultu ornati, progredimini ad Philosophiam, divinam illam & nobilissimam scientiam, quæ non solum rectas ratiocinandi leges & generalia omnium scientiarum fundamenta vos edocet, sed ad cognoscendum Deum atque officia vestra viam monstrabit. Sine hujus Disciplinæ accuratiore cognitione frustra in aliis Disciplinis, Theologia cumprimis, desudabitis. Hæc docet verum a falso, leve a momentoso, certum ab incerto, verisimile a falso, distinguere. Evolvite diligentissime Celeberrimorum ævi nostri Philosophorum Scripta, quibus ex admirabili pulchritudine, ordine universi, finibus rerum creatarum, Sapientiam, Bonitatem, atque Potentiam Numinis demonstrarunt, validissimisque argumentis Atheismum hinc inde vires eundo adquirentem, impugnarunt. Hac nobilissima Disciplina non eum solum in finem utimini, ut recte ratiocinari de objectis præstantissimis possitis, sed cumprimis, ut sapientiores, modestiores, prudentiores, meliores, evadatis. Conjungite cum ea, si per studia vestra statumque rerum vestrarumque fieri potest, Disciplinas Mathematicas, eo saltem fine, ut mature discatis, accuratum rerum cognoscendarum examen instituere. Hac luce si perfusa est mens vestra, quantum pro cujusque ingenio fieri potest, ad Religionis examen pleni amoris & reverentiæ erga Deum accedite, atque primo quidem diligentissime expendite argumenta, quibus Religionis Christianæ veritas atque divina origo probari solet. Hæc, missis omnibus præjudicatis opinionibus atque pravis adfectionibus, altissime in animum demittite. Pleni sunt Doctissimorum ætatis nostræ Virorum libri, ex quibus abunde desiderio vestro satisfacere potestis. S. Literas diurna nocturnaque versate manu, ex iisque rite expensis veram

Reli-

Religionis normam discite, ad hunc Lydium lapidem Systemata vestra exigite; loca cum locis, argumenta cum argumentis conferte, neque ante ad cognoscendas dissidentium Christianoruum opiniones descendite, quam accurate ea omnia animo infixistis, quæ ad judicandum de veritate Religionis vestræ requiruntur. Quod si eo usque progressi estis, licebit, quantum tempus permittet, aliorum sententias examinare, atque verum a falso distinguere. Ad hoc Examen instituendum accedite sine partium studio, ira, invidia vacui, pleni studio veritatis inquirendæ & amandæ: male verum examinat omnis corruptus judex. Mature discite, quid leve ac momentosum sit in controversiis; errores fundamentales cum erroribus, quos parum cavet natura humana, non confundite; modeste de aliorum sententiis judicate, memores imbecillitatis humanæ; nemini quicquam, quod a mente ejus alienum sit, imputate, neque errores in majus extollite; ad nervos cum primis argumentorum, quibus utuntur dissentientes, & ad universi Systematis nexum attendite; profectumque tandem vestrum in cognitione rerum divinarum, non sola scientia rerum præstantissimarum, sed pietatis, amoris, & candoris studio, metimini. Et ut singularum opinionum Sectarumque, in quas eheu! scissus est Orbis Christianus, causas atque fontes cognoscatis, consulite Historiam rerum inter Christianos gestarum, atque ascendite legendo ad prima illa & felicissima tempora Christianorum, quibus admirabili simplicitate eluxit Christiana pietas, atque ita per singula secula ad nostram usque ætatem retrogrediendo prudenter dispicite, quam vere vel falso a sanctissima Christi Disciplina recesserint multi Christianorum. Emenso curriculo studiis vestris præscripto, licebit in patentissimum Eruditionis campum exspatiari, & quicquid habent Disciplinæ singulæ reconditum atque sublime decerpere, atque in usum revocare. Quod si his præsidiis ornati estis, rationemque diligenter excolitis; si præstantissimorum omnis ævi Scriptorum libros evolvitis; variisque exercitationibus, quid vires valeant, quid ferre recusent, experimini, dubium non est, quin iis sitis armis instructi, quibus ad retundendos veritatis hostes opus est.

Quod si vero, Deo ita volente, muneribus publicis sive in urbe sive in agro (de quo aliquid dicendum restat:) admovebimini, *diligenter* ante omnia expendite muneris nostri naturam, *dignitatem*, atque pondus. Nolite quæso existimare, perinde esse, quo tandem modo officiis vestris satisfaciatis; de re omnium sanctissima gravis-

simaque agitur: Edocendi sunt & pueri & adultiores Disciplinæ sanctissimæ principia, explicanda sanctissima Dei voluntas, reducendi in viam errantes & præceptorum Christi transgressores; ad hoc quin singulari sapientia, prudentia, Religione opus sit, ipsimet facile intelligitis. Cum autem plerique vestrum, qui Literarum studiis vacatis, olim inter rusticam plebem divinæ veritatis semina sitis sparsuri, eo dirigenda erit Orationis meæ & consilii ratio. Mature igitur satis, qualis labor hic postuletur, meditamini; difficilius est, quam putatis, gravissima Religionis Capita perspicue edisserere, popelli ingenio sese attemperare, & ad animum atque conscientiam revocare Religionis dignitatem atque pretium. Ante omnia curate, ut non tantum boni viri esse videamini sed & sitis. Incredibile pondus habet in animos hominum, vel bona vel mala existimatio. Discite, qua ratione validissimis argumentis non solum errores, sed cumprimis vitia magis magisque invalescentia impugnetis, atque ad conscientiam hominum demonstretis, quam pessime sibi consulant sanctissimorum Dei præceptorum transgressores. Singularem inprimis curam adhibete, ut veræ pietatis semina tenellis puerorum animis clare atque perspicue instilletis; adsuescite illos, ut quid credant sciant, rationesque ipsimet reddere possint; efficite quantum in vobis est, ut sentiant, quam vim habeat vera pietas in universum vitæ nostræ statum; exemplis hominum vitiis deditorum ostendite, quam tristis tandem & funestus sit vitiorum exitus. In Orationibus vestris nihil magis curate, quam ut perspicue, plane atque ad omnium captum verba faciatis. Nunquam existimate eum eruditum & facundum esse Oratorem, qui inanem Eruditionis gloriolam captat, qui quicquid varia lectio, cruda licet, & male digesta suppeditat, profert; qui inanibus meteoris & figuris Orationis aures titillat, & de controversiis loquitur, de quibus per omnem vitam Auditores ne fando quidem quidquam inaudiverunt; sed qui argumentum suum ita explicat, ut Auditores non possint non eum intelligere; qui perspicuis argumentis, quæ in medium profert, probat; qui animos vi veritatis adactos in suam sententiam pertrahit, & stimulos veritatis & pietatis in animis Auditorum relinquit. Claris nolite quæso tenebras offundere; quæ ipsimet non satis intelligitis, aliis non commendate, non sublimia & difficilia sectamini, sed utilissima & Auditorum vestrorum statui attemperatissima; omnia ad pietatis studium excitandum dirigite, atque in familiaribus colloquiis experimentum profectuum, quos habent aut habere deberent in cognitione

tione veritatis, sumite. Et ut veræ atque masculæ Eloquentiæ indolem perspiciatis, præstantissimorum ætatis nostræ Oratorum meditationes legite, easque ad imitandum proponite.

Quod si hæc aliaque, quæ ob temporis angustiam adferri non possunt, præstabitis, ipso opere sentietis, vos ad proferendam & defendendam veritatem longe aptiores futuros esse, quam eos, qui olim, optimo licet fine, *Disciplinam Arcani* inter Christianos induxerunt.

Claudamus Orationem nostram voto *Illustris* alicujus & *Eruditissimi Viri*, ita sonante:

Pater! precamur, des Gregi tuo lucem
Hic quanta satis est, hac des esse contentum.
Des non loquentes sua reperta Doctores.
Des consonantes omnium Linguas,
Aut corda saltem: præpotente vi flammæ
Caliginosas litium fuges sordes,
Ut spiret unum tota Civitas Christi,
Vitamque terris approbet, fidem cœlo.

FINIS

Tomi Primi.

INDEX DISSERTATIONUM.

In primo hoc Volumine contentarum.

I. MEDITATIONES de causis magis magisque invalescentis Incredulitatis, & Medela huic malo adhibenda XII. Pag. 1-547.

II. Meditatio de præstantia Religionis christianæ, collatæ cum Philosophia Socratis. 549-603.

III. Dialogus de Natura Idearum, in quo Auctor probare vult, nos nescire, quid sint Ideæ. 604-628.

IV. Dissertatio Epistolica de pretio Artis rhetoricæ. 629-645.

V. Disquisitiones historicæ & theologicæ de Visionibus, quæ quatuor primis post excessum Christi & Apostolorum seculis, Christianis quibusdam contigisse dicuntur; II. 646-760.

VI. Exercitatio de Atheismo Platoni impacto. 762-824.

VII. Vindiciæ Dissertationis de Atheismo Platonis contra ea, quæ Gundlingianorum part. 43. & 44. peracerbe, monuit D. Nicol. Hieron. Gundlingius. 827-960.

VIII. Meditationes Sacræ, complectentes salutaria quædam monita, ad verum & legitimum S. Cœnæ usum pertinentia II. 961-1040.

IX. Oratio de præcellentia Eruditionis theologicæ, qua instructæ erunt mentes cœlo receptæ; collatæ cum imperfecta & umbratili, quæ in terris locum habet, rerum divinarum cognitione. 1042-1092.

X. Oratio de Disciplina Arcani Veteris Ecclesiæ nostra ætate non usurpanda. 1093.

XI. Theses miscellaneæ Theologicæ & Philosophicæ. Pag. 46. 90. 122. 273. 361. 399. 445. 448. 547. 696. 760. 993.

INDEX

INDEX I.

Locorum S. Scripturæ citatorum & explicitorum.

Geneſ. III. 5.	pag. 183.	Rom. XVI. 25.	pag. 403.
Eſaj. VII. 15.	184.	I. Cor. II. 6. 7.	403.
Jerem. XXXI. 33.	188.	IV. 1.	ibid.
Matth. XIII. 11-15	1105.	X. 16. 17.	981.
17.	403.	XI. 27-33.	1000. ſq.
35.	96. ſq.	XII. 7.	733.
Joh. VI.	984.	XIII. 8.	1081.
VII. 8.	96. 98.	9.	406.
VIII. 1-11.	116.	II. Cor. X. 5.	253.
Act. IV. 12.	416.	Galat. II. 11-14.	95. 99.
Rom. II. 11.	415.	Coloſſ. II. 3.	403.
14. 15.	179. 184.	I. Tim. III. 16.	ibid.
XII. 1. 2.	407.	Hebr. XI. 3.	404.
XIV. 23.	445.		

INDEX II.

RERUM, VERBORUM ET AUCTORUM CITATORUM.

A.

ABDAS templum Perſarum comburens falſus Martyr. pag. 754.

Academiæ utiles ſunt ad promovenda literarum ſtudia. 252. multa in iis contingunt, quibus Incredulitas augetur. 226. ſq. ſcelera ſtudioſorum in ea degentium id efficiunt. ibid. quæ perverſæ in iis obtineant docendi methodi, non tradendo, quæ ad praxin pietatis, & officia V. D. M. faciunt. 231. jejuna primarum veritatum tractatione, & operoſa Hypotheſium particularium expoſitione. 238. nimium operam dando hiſtoriæ literariæ. 246. earundem Doctorum in erudiendis juvenibus officia. 455. ſtudioſis neceſſaria pietas & modeſtia. 1076. ſq.

Acontius de ſtratagematibus Satanæ citatus. 471.

Æmilianus Miles ejus Viſiones examinatæ. 783.

Affectus pravi religionis ſolidum impediunt examen 22. ſq. 51. 479. 1047. cauſſæ ſunt incredulitatis. 49 ſq. contra ipſos *Incredulos* aſſertæ. 376. ſq. caracteres hominum, qui in religionis examine illis obtemperant. 63. ſq. 370. qui illas ratione neſciunt domare infantes, vitam nunquam bene agent. 202. diſſenſum pariunt. 376.

Albertinus de Eucharistia citatus. 1097. 1109.
Alcinous citatus. 771. 777. notatus. 803.
Alexander Episcopus Hierosol. ejus Visiones examinatæ. 710. sq.
Ambitio causa est incredulitatis. 53. exemplis probata. 54. sqq. contra ipsos Incredulos asserta. 367. sq. quomodo eadem alatur. 55. homines ad absurdas perducit sententias. 56. multos juvenes decipit. 228. causa est bene multarum controversiarum. 271. solidam Theol. cognitionem impedit. 1049.
Amesius citatus. 235.
Amyraldus cit. 1005. 1021.
Animarum humanarum in prima sua constitutione status imbecillis. 32. 178. 1044. ille non invincibilis. 41. varii illarum virium gradus. ibid. *cœlo receptarum* felix conditio. 1066. major cognitionis gradus in dies crescens. 1068. de illarum ὀχήματε. 1066. per sensus hinc ea cognitio crescit. ibid. ex confabulationibus cum Angelis &c. 1070. immediata divina revelatione. ibid. hinc plenior mysteriorum & vaticinorum cognitio. 1071. hinc melius quoque ratiocinabuntur. 1072. ea cognitio certa ac perfecta erit. 1073. nulla in illis locum habebit ambitio. ibid. neque hæretificandi studium. 1074. corporibus suis, quippe glorificatis, non impeditæ. ibid.
Anonymi Galli historia philosophiæ gentilis notata. 847. 848. citata. 860.
Angli liber *de futuro felicitatis statu* cit. 1068.
Anselmus de Martyrio sine sanguine cit. 667.
Antonius ejus visiones expensæ. 747.
Apollonius Thyanensis quæ de illo narrantur fabulæ. 94. *ecclesiasticus scriptor* cit. 693.
Apulejus citatus. 763. 777. 785. 875. 1108. notatus. 803.
Arcanum. ejus disciplina in relig. christ. falso jactatur. 569. an ea reprimat disputandi de religione pruritum. 1095. ejus descriptio. 1096. circa quæ versabatur. 1097. non circa sacram. ritus solum, sed & ipsam rei significationem, aliaque religionis decreta. 1098. quos illa latebant. 1101. qua ratione id fiebat. ibid. quando ea revelata. 1102. quo tempore inventa & introducta. 1103. a quibus ejus origo repetenda. 1104. scil. a Gentilium sacris & philos. decretis. 1106. causæ ejus inventi refutatæ. 1109. 1. ne pagani & rituum christ. simplicitate, & mysteriorum sublimitate offenderentur 1110. 2. ad excitandam in animis hominum erga mysteria religionis reverentiam. 1113. 3. ad acuendum illorum cognoscendorum desiderium. ibid. *hinc* ortum portentosum de Transubstan. dogma. 1114. vera ac genuina sacram. indoles ac paucis percepta. 1115. ambitio & dominandi cupido auctæ. ibid. ea adeoque ætati nostræ non amplius convenit. 1116. neque in erudiendis paganis. ibid. neque in convertendis Deistis. 1117. neque in instituendis Catechumenis. 1118. hujus futilitate cognita gravi Romanens. ad eam provocantium objectioni occurritur. 1119. eam nonnulli in doctrina de Cœna admittunt. 1120.

ad

ad æquivocas in pace inter proteſtantes ineunda provocantes voces. ibid. Concionatores Emblemata & figuras in unum congerentes. 1121. myſteria arreptis ſimilitudinibus & inventis novis vocibus explicaturi. 1122. omne in religione examen proſcribentes & diſſidentibus inſidiantes. 1123.

Ariſtoteles citatus. 56. 119.

Ariſtotelicorum de ideis ſententia examinata. 606.

Arnoldus notatus. 307. cit. 656. 1115.

Arrianus citatus. 56. 181. 457. 1108.

Aſſemannus cit. 82. 674.

Aſtrologiæ judiciariæ multi increduli addicti. 160.

Athanaſius cit. 731. 900. notat. 748. ejus editores Monachi Benedictini notati. ibid.

Athei illorum duæ dantur claſſes. 29. 510. ambitione decepti ad ſuas inclinant opiniones. 57. quomodo cum iis diſputandum & agendum. 509. 830. an pœnis & ſuppliciis afficiendi. 513. argumenta id ſtatuentium. ibid. argumenta idem negantium. 519. 820. 834.

Attalus quæ illi adſcribuntur viſiones, expenſæ. 689.

Avaritia eſt cauſa incredulitatis. 62. ſq.

Augurius Diaconus ejus viſio expenſa. 736.

Auguſtinus citatus. 18. 1110. 1113. ejus hæretificandi pruritus notatus. 268. 280. 750. 752. 755. 804. ejus viſiones expenſæ. 755. ejus editor Monachus Benedictinus notatus. 758.

B.

BALUZIUS citatus. pag. 337.

Barbeyraccius cit. 70. 189. 287. 324. 343. 504. 643. 650. 672. 680. 723. 755.

Baſilides ſub vocibus obſcuris vana vendebat myſteria. 84. ejus viſio. 734.

Basnage Jacobus cit. 70. 674. 676. 678. 680. 690. 698. 708. 710. 746. contra *Weiſmannum* defenſus. 679. ſq.

Basnage Samuel citatus. 670. 678. 698. 708. 714. 738. 741. 746. 751. 1097. contra *Weiſmannum* defenſus. 681. ſq.

Baumgarten cit. 314.

Bayle teſtimonium ejus de Evremontio. 61. de Atheis ſententia. 156. citatus. 143. 755. 994. notatus. 32. 44. 107. 251. 276. 458. 503. 762. refutatus 767. 768. 798.

Beauſobre pater cit. 72. 82. ſq. 180. 265. 663. ejus hiſtoria *Manichæiſmi* ut exemplar bonæ hiſtoriæ commendata. 80. *filius* cit. 368.

de *Beaumarchais* cit. 415.

Bentley Richardus cit. 38. 39. 163. 307. 321. 370. 392. 429.

Berkley ejus de *Schaftsbur.* teſtimonium. 160. 162.

Bernardus Jacobus ejus tractatus *de excellentia relig. chriſt.* cit. 471. de Auguſtini viſione ſententia. 756.

Beverlandus hujus ſententiæ religioni adverſæ & mores notati. 60.

Binghamus, ejus Origines Eccleſiaſticæ citatæ. 685. 770. 1020. 1115.
Blondellus, ejus de *Hermete* judicium. 667. 670.
Bockii kurzgefaſste Miſſions-Hiſtorie cit. 301.
Bœhmerus ejus diſſertat. Juris eccleſiaſtici antiqui citantur. 723. 726.
Boilavius, de Amore Dei carmen ejus commendatum. 1018.
Bongarſius, quem hiſtoriæ ſuæ bellorum Sacrorum inſcripſit, notatur. 345.
Boſſuetus ejus de B. *Zvvinglii* ſinceritate laudes. 971. 1120.
Boulainvillerius Mahommedis in detrimentum Relig. chriſt. nimius laudator. 123. Spinoziſmi patronus. 143. homo ſuperſtitioſus & atheus. 162.
Bourgetus citatus. 846.
Bovvles, ejus liber de *Paſtore Evangelico* citatur. 491.
Breitingerus Joh. Jac. diſſert. de vi Argumenti, quod a conſenſu Multitudinis duci ſolet, citatur & commendatur. 45. diſſert. Apologet. pro Auctoris de S. Cœna ſcriptis. 1033. ejus Chreſtomatia Græca commendatur. 456.
Bruckerus citatus 16. 92. 95. 100. 554. 651. 673. 740. 815. 831. 878. 912. 1106. 1108.
Bucerus, ejus in materia de S. Cœna vocum æquivocarum ſtudium notatur. 970. 1033. 1120.
Buddeus citat. 143. 255. 259. 263. 1109. ejus de Atheis ſententia dijudicata. 29.
Bullingerus citatus 180. 988. 998. 1004. 1006. 1019. 1028. 1083.
Bullus cit. 731. 901. de Natalis Confeſſoris Viſionibus ſententia examinata. 733.
Burnetus Gilbertus ejus Compendium Sermonum Boyleanorum laudatur 20. cit. 60. 160. 249. 260. 304. 310. 316. 406. 488. 507. 510. 716. 1121.
Thomas citatur 889. 1018.
Buxtorfius citat. 76.

C.

CABBALA. ejus ſtudium Judæos a chriſt. relig. amplectenda avocat. 78. Spinoziſmi arguitur. 143. quam falſa & vana nitatur hypotheſi. 1106.
Calvinus citat. 101. 990. 1020. a *Boſſueto* ob obſcuriores in doctrina de S. Cœna voces notat. 971. ejus cum Eccleſia Tigurina in eadem conſenſus. 1034.
Callenbergius ejus ſtudium convertendorum Judæorum pium. 3.
Canus citat. 1065.
Capellus Jacobus citat. 183.
Carteſius, ejus de Ideis ſententia examinatur. 608. ſq.
Caſaubonus cit. 318. 319. 1093. 1097. 1102. 1103. 1108. notat. 1110.
Catecheſes, illarum uſus. 452.
le Cene citat. 621.

Ceraunius Actorum Martyrum epitomator notatus 674.
Chandlerus citat. 73. 313.
Christiani, inter *antiquos* primorum seculorum & *hodiernos* non facile comparatio instituitur. 281. *antiquorum* pietas nimium extollitur. ib. sq. 431. Martyrum inter illos numerus nimis augetur. 283. multi a religione deficiebant. 286. alii affectibus suis decepti Martyrium subibant. 287. jam Seculo II. vitiis dediti erant. ibid. non pauciores illo tempore, quam nostra ætate erant hæretici. 291. argumentum incredulorum ab eorum prava vita contra veritatem ipsius religionis refutatur. 376. sq. 440. 443. alterum a cœca, quam iis adscribunt, fide petitum. 440. sq. illorum circa S. Cœnam abusus & errores. 967. 977. quamdo ea illis sit *sigillum*. 977. sq. 983. 1027. quid de piis raro ex S. Cœnæ usu solatium percipientibus judicandum. 1017. nonnisi adfectibus studentes & cœlestia non curantes minus rite S. Cœna utuntur. 1022.
Christiani qui non satis convicti de veritate relig. christ. 1024. S. Cœnæ naturam ac verum scopum ignorantes. 1025. aliorum exemplo decepti. ibid. cultu externo omnibus suis officiis satisfeciisse existimantes. 1026. non rite sese ante ejus usum examinantes. ibid.
Christianismi degeneris indicium crescens Incredulitas. 7. illius ideæ contra rationem & ejus disciplinam falsæ. 277. nimias primum de *antiquo christianismo* opiniones fovendo. 281. quomodo is dijudicari debeat. 298. idea degenerationis ejus hodiernæ. 299. *veri* prærogativa. 301. 427.
Chrysostomus citat. 1099. 1101. 1102. 1110.
Cicero citatus 32. 70. 106. 149. 158. 182. 186. 255. 318. 319. 322. 324. 395. 456. 513. 571. 572. 581. 813. 876. 888. 910. 1064. 1077. notatus 487. 542. 634.
Clarkius Samuel, ejus *demonstratio relig. natur. ac revelatæ* commendatur. 31. citatus 146. 167. 521. 573. 805. 972. 985.
Claudianus cit. 357.
Claudius citatus 990. notatus 991.
Clemens Alexandrinus cit. 845.
Clericus Johannes citatus 41. 55. 70. 84. 99. 160. 186. 370. 410. 421. 456. 458. 478. 541. 586. 592. 595. 621. & alibi passim. notatus 97. 594. 665.
Coccejus citatus 188.
Cœlum, ejus incolarum felicitas v. *Anima*.
Cœna Sacra, de illa Cypriani sententiæ ridiculæ. 720. qui circa illam in hominibus versentur errores. 961. 977. & abusus. 967. ejus præstantia & dignitas. 962. Reformat. de ea sententia non caret veris ad pietatem incentivis. 964. ejus usus veritatem relig. christ. historiæ probat. 966. abusus in illa procreant multi libri ascetici malos de eo ritu opiniones per locutiones metaphor. exhibentes. 968. an ad unionem inter protestantes ineundam in hac materia uti liceat vocibus obscuris & æquivocis. 970. 1120. illius genuina natura verbis simplicibus exponenda. 975. & quidem, quæ a Christo & Apostolis usur-

usurpatæ. ibid. quomodo dici possit sigillum. 977. 983. 1027. an ejus usus cum ipsa gratiæ divinæ participatione conjunctus & I. Cor. X. v. 16. 17. explicati. 981. sq. an eundem specialis gratia divina comitetur. 989. Oratores S. & librorum parascevast. autores, ea utentium officia exaggerantes faciunt, ut multi ea minus recte, vel plane non utantur. 996. quem adducunt locum Pauli I. Cor. XI. 27-33. de δοκιμασια, & morbis ob ejus abusum Corinth. inflictis expositus. 1000. ad hodiernum ecclesiæ statum applicitus. 1001. quomodo pii in ejus usu languentes erigendi. 1002. de δοκιμασια Christiani ad ejus rectum usum. 1003. ejus finis. 1004. quomodo rite celebretur. 1005. quomodo talis celebratio a Socinianismo differat. 1007. de orationibus parascevasticis ad eum habendis. 1010. 1120. qui libri parascev. ad eandem non bonum usum præstent. 1013. qui contra utiles ac melioris notæ. 1014. de orationis pomeridianis peracti S. Cœnæ usu. 1016. quid de christianis ex ea raro solatium capientibus judicandum. 1017. de ejus usu vel frequentiori, vel minus frequenti. 1019. caussæ ejus abusus internæ, apud ipsos communicantes quærendæ. 1022. 1. cupiditatibus favendo & cœlestia non curando. ibid. 2. non convicti de veritatibus relig. christianæ. 1024. 3. ignorantia ejus scopi veri ac naturæ. 1025. 4. cultum religionis externum in verorum officiorum locum substituentes. 1026. 5. defectus veri sui ante ejus usum examinis. ibid. Helvetic. ecclesiarum de illa sententiæ ad Lutherum declaratio. 1031. Eccles. Tigur. cum Calvino in ea doctrina consensus. 1034. sq.

Collinus. ejus contra relig. revelatam machinæ, quo tendant. 10. 369. ignorantiæ arguitur. 38. 39. opinionibus levibus deditus. 163. notatus 321. 429. citatus 1122.

Constantinus M. ejus Visio. 740. variæ eruditorum de ea opiniones. 741. expensa & dijudicata. ibid. sq.

Controversiæ de rebus nullius momenti in Theol. acerbiores augent incredulitatem. 258. 263. illius exempla. ibid. 260. eæ oriuntur, quod illas tractaturi non necessariis sint instructi dotibus. 267. ex præjudicio auctoritatis. ibid. non distinguendo essentiale ab accessoriis. 268. ἐνζηματων suorum amore. 269. histor. eccles. antiquioris & hæresium ignorantia. 270. ambitione & falso Zelo. 271. pruritu omnia in religione decernendi. 272.

Cooper Jo. Gilbert Historia Socratis laudatur. 554.

Coranus. ejus Origo. 129. quam futilis sit liber. 120. 128. 139. sq.

Corruptio morum & generis humani est causa incredulitatis. 235. 303. inprimis V. D. Ministrorum. 306. hypothesium particul. amore ea a multis extollitur. 276. ab aliis vero falsa pietate deceptis. 277. nec non nimio & præpostero Zelo. 278. sq. sic vero neminem meliorem reddunt. ibid. conferendo Christ. hodiernos cum antiquis 3. post Christum seculis viventibus. 280. Leibnitii Hypothesis, illius corruptionis ideam labefacturæ incertitudo declarata. 296. sq. ad quas regu

regulas illa dijudicari debeat. 298. sq. idea illius hodie regnantis. 299. sq.
Cotelerius citatus 85. 667. 670. 671. 673. 685. 731. 734.
Craig. Joh. ejus Theol. christ. principia mathematica notata. 425.
Creatio sententiæ philos. platon. pythagoricorum de ea refutatæ. 103. sententia creationis ex nihilo cum sententia Platonis de exornatione materiæ existentis comparata. 825. 851.
Creilingius citatus 956. 1054.
Crousaz cit. 202. 374.
la Croze cit. 44. 115. sq. 164. 191. 266. 331. sq. 339.
Cudworthus cit. 162. 933. notatus 29. 772. 812. 945.
Cultus sanctorum superstitiosus & pernicios. 326. 329. sq.
Cunæus citatus. 1012.
Cyprianus de ejus visionibus varia sentiunt eruditi. 715. illæ dijudicatæ. 717. sq. ejus ridiculæ de S. Cœna opiniones. 720. cit. 289. not. 660.
Cyrillus cit. 106. not. 747. ejus de *disciplina arcani* sententia. 1098. 1115.

D.

DACIER citatus 594. ejus de philos. Platonis sententia notata. 814.
van Dale cit. 106.
Dallæus cit. 266. 281. 650. 746. 976. 1114.
Davisius cit. 767. 838.
Deus. de eo homines sæpius falsas sibi formant ideas. 32. qua ratione ad veros de eo sensus perveniamus. ibid. & quem illi in mentes nostras habeant influxum. 34. ejus cognitio datur naturalis. 42. sq. Vid. *Plato*, *Spinoza*.
Deistæ variis modis relig. & natur. & revelatam oppugnant. 7. sq. 521. sq. non omnes illorum pravis affectibus decepti relig. revel. negant. 369. objectiones eorum refutatæ: 1. quod relig. christ. libertatem sentiendi tollat. 372. sq. 2. quod Christiani in varias sectas sint scissi, & mysteria illorum non conveniant cum ratione. 376. sq. 440. sq. 3. Deum ipsum varias de se sententias probare. 382. sq. 440. 443. 4. revelationis methodum objiciendo. 384. sq. 5. ipsorum religionem æque, ac christianam, ad pietatem in Deum incitare. 392. sq. 6. mysteria inter relig. principia referendo, & ea inexplicabilia dicendo δογματα statui. 402. sq. 7. religionem christianam erroribus contaminatam hos simul amplectendos cogere. 406. 8. de miraculorum origine dissensum christianorum argumenti ab illis petiti vim infringere. 409. sq. 9. efficaciam relig. christianæ adscriptam non ipsam christianorum probare vitam. 10. multos Theologos statuere, quod Gentiles virtuti dediti sine revelatione salventur. 414. 11. quod non amplius miracula fiunt, contra illorum fidem historicam argumentantur. 419. sq. 12. quod, Ethicæ christianæ præstantia demonstrata, tamen illius, prouti juris naturalis,

lis, obſervantiæ impoſſibilitas ſtatuatur. 427. 13. Chriſtianiſmum eſſe cauſam ſuperſtitionis. 429. 14. nullam revelationem quicquam adolere relig. natur. 435. 15. omni religioni bellum indicere, qui revelatam extollendo naturalis vim imminuunt. 438. 16. multos chriſtianos ſine examine religionem admittere, & ipſorum doctores falſo Zelo abripi. 440. quomodo tractandi. 509. quomodo in viam reducendi. 521. ſq. 1117. unde illorum religio emendata fuerit. 553.

Dionyſius Alexandrinus ipſius a ſe ipſo narratæ viſiones expenſæ. 730.

Dittonus citatus 405. 425. 523.

Docetæ prima relig. chriſt. capita in ſenſus ridiculos detorquebant. 85.

Dodvvellus ejus ingenium & mores depicti. 715. de Martyribus primis ſententia. 285. pro divinitate viſionum *Cypriani* rationes expenſæ. 726. ſq. citatus 656. 663. 670. 691. 695. 738. 740. notatus 666.

Drelincourt ob myſticas in doctrina de S. Cœna locutiones not. 969. 1121.

E.

EASCHAR citatus 249. 488.

Eccleſia. chriſtianæ hodierna conditio a multis magnopere laudatur. 1. ſq. multis laborat vitiis, nec melior ſuperiorum ſeculorum. 4. ſq. Vide *Corruptio. Deiſtæ.*

Edelmannus Spinoziſmi defenſor. 143. 510.

Educatio prava gravis *incredulitatis* cauſa. 190. quomodo in illa peccetur. 191. ſq. vel non inſtituendo religionem. 195. vel perverſe. 199. 203. non docendo uſum rationis in religione & in compeſcendis pravis affectibus. 201.

Egmondus Epiſcopus Londinenſis. ejus epiſtolæ paſtorales citatæ. 170.

Eloquentia an ars rhetor. ad *veram* quid conferat. 629. quis ſit ejus ſcopus. 631. quomodo acquiratur. 633. diſcrimen inter veram & falſam. 636. vera eſt ſolidæ eruditionis fructus. 641. figuratæ orationes eam peſſundant. 643. 1121. de Veterum eloquentia judicium. 639. 645.

Elsnerus citatus. 982. 986. 989.

Emilianus. de modo concionandi in Italia uſurpato citatus. 487.

l'Enfant citatus. 759.

Epicurus homo ambitioſus Plutarcho audit. 54. ejus de origine Mundi ſyſtema falſiſſimum. 157. ſq. ejus hodierni ſequaces ipſo inſaniores. 159.

Epictetus citatus 181. 359. & alibi.

Epiphanius citatus 665. 740. 1102.

Ἐποχὴ in rebus theologicis commendatur. 272. 274. Vide *Tolerantia.*

Eraſmus citatus 51. 234. 533. 561. 584. 596. 601.

Erhardus. de illuſtrium ac obſcurorum ſcriptorum erroribus præcipuis in hiſtoria Mahommetis eorumque cauſis liber citatus 109.

Ethica. voluptatum & adfectuum amor illi contrarius. 60. *chriſtianæ* præ Moſaica

Mosaica præstantia. 69. quomodo ea a judæis impugnata. 70. Mahommedana impurissima & laxa. 132. sq. quomodo ea perverse a multis tradatur. 212. quæ ejus præstantia, & quomodo observari possit. 427. quomodo rite tradatur. 461. illam V. D. Ministri callere & exponere debent. 490. christianæ contra Deistas defensio. 593. sq.
Evangelistæ. illorum fides probata. 529. sq.
Eulogius Diaconus. Ejus Visio expensa. 736.
Evremontius. illius mores & ingenium describuntur. 61.
Eusebius citatus 100. 204. 282. 288. 290. & alibi passim.
Exuperius. ejus Visio examinata. 709.

F.

FABER *Tanaquil.* improvida ejus de Socrate sententia notata. 584.
Fabritius Albertus citatus 3. 83. 731. 741. 914. *Jo. Ludov.* citatus. 44.
Felicitas. quo tempore Martyrium subierit, disceptatur. 698. Montanistarum sectæ, ut & ejus Martyrolog. auctor, addicta erat. ibid.
Fellus Episcopus Oxonienſis citatus 286. 725. notatus 721. 725.
Fenelon. ejus methodus convertendi incredulos notata. 21. citatus 158.
Fleischerus Joh. Lud. ejus introductio in Jus ecclesiasticum citata. 519.
Fleschier Esprit notatus 216. 280. 557. citatus 454.
Foster Jacobus. ejus contra Tindalum relig. christ. defensio citata. 314. 435.
Frey citatus. 21.
Frikius de cura Vet. Eccles. circa Canonem S. Script. citatus. 663.
Fructuosus Episcopus. ejus Visio expensa. 736.

G.

GAGNER citatus 109. & passim in Medit. 3.
Genebrardus. ejus de Versione Bibliorum sententia. 1059.
Gentes. an dentur, quæ omni Dei cognitione carent. 44. argumentum ab earum consensu desumtum non validum. 45.
Gentiles. illorum Theologia prima Theol. nat. principia continet. 42. jus naturale ipsos non latet. 43. quare tam proni ad superstitionem. 323. quomodo Pontific. Missionarii illos superstitiosos ritus docendo graviter peccent. 329. sqq sic ad incredulitatem compelluntur. 340. persecutionibus Christianorum oppressi ab ipsorum religione abhorrere incipiunt. 344.
Gentil. ejus Itinerarium citatum. 329. &c.
Gerdesius citatus 977. 1033.
Gnostici superbia inflati relig. christianam aspernabantur. 83.
Grabius citatus 662. 671. 678. 682. 863.
Grape Theologia recens controversa citata 44.
Gravius citatus 942.
Gregorius Thaumaturgus. visiones ei adscriptæ. 739.

Grotius. ejus liber de Veritate relig christ. commendatur. 31. citatus 96. 98. 122. 184. 273. 309. 345. 360. 475. 645.
Grynæus Johannes. ejus literæ de Mahommede impostore & gloriæ cupido. 130. sqq. citatus hinc inde in Thesibus.
Gudius. ejus paganus christianorum laudator & fautor citatus 286.
Gundlingius. Platonem inter Atheos Spinozist. refert. 762. ejus argumenta refutata: scil. unam ex Deo & materia fieri substantiam, illo se huic libere accingente. 788. 808. 850. nullum inter ipsius & *Stoici* Systema intersesse discrimen. 789. 876. eum Mundum Animal vocasse. 791. nec non Deum. ibid. 812. 876. ejus Deum duabus consistere hypostasibus, uti *Spinozæ* duobus attributis, adeoque hæc duo systemata convenire. 792. 954. ejus materiam innatam e Dei sinu emanasse, quod est πρωτον *Gundlingii* ψευδος. 799. 816. 861. 884. 950. ex illa emanatione Deum, vel ut extensum, vel ut totum, cujus pars materia sit, concipiendum. 801. 816. 906. 950. 957. Deum & materiam ab æterno junctos fuisse. 803. 861. 898. 906. mundi æternitatem statuisse eundem. 804. 920. 924. unam in systemate Platonis dari substantiam. 879. 892. eam ipsum nonnisi diversis nominibus distinxisse. 806. 935. illum sua principia in unam speciem miscuisse. 809. 937. ex ejus sententia sequi, mundum esse Deum, & Platonem sibi non constare. 812. 923. quod de idea, quæ a Deo non distincta, verum, & de anima mundi verum esse posse. 814. 937. 946. illum materiæ singularem animam, eandem moventem adscripsisse. 815. sq. ejus de Atheorum classibus augendis sententia expensa. 820. 834. 861. mundi destructionem ex Platonis sententia impossibilem esse. 821. 870. non recte agere, qui vett. phil. atheismi vitio liberare volunt. 829. Atheismi definitio in hac quæstione non necessaria, cum nonnisi de Platonis philos. collata cum Spinozæ erroribus agebatur. 833. Deum & materiam a Platone ficta tantum mentis præcisione distingui. 838. distinctionem Platonis inter substantias mater. & intellect. non probare, quod Deum & materiam non confuderit. 845. 922. voluntatem cum libertate ab ipso confundi. 850. sqq. Spinozæ de creatione sententiam falsæ explicans eandem Platoni adscribit. 858. illum animas tum universalem, tum singulorum fato subjecisse, & hinc Spinozismi suspectum. 865. non puniri posse. 868. Deum illius, quamvis non dixerit, peccati auctorem esse. 869. materiam, æternam licet, fluidam tamen ex divina essentia emanasse, secundum Vett. philos., alias inexplicabile esse Dei in eam jus. 896. falsam Vocis δημιουργια exhibens explic. & falsam Platoni attribuit sententiam. 884. falsam Timæo Locro tribuit sententiam, quod materiam Dei participem faciat. 885. 927. ex anima mundi probare vult, Deum nonnisi unam agnovisse substantiam. 888. 937. dum e sinu divinitatis expulsa. 890. 903. illam ἀποσπασματιον essentiæ divinæ vocarit. 897. ejus λογος progenies Dei sit. 898. sic & anima mundi ab altero principio orta. 930. 912. adeoque cum corporibus ac Deo mixta unam

unam effecerit substantiam. 905. sq. 937. 939. causa externa a mundo diversa in systema. Platonis contra eum defensa. 909. Virgilii loca in Spinozæ sententiam precario trahit. 929.
Gyrtlerus citatus 188. 986.
Gymnasia. quæ in illa irrepserint vitia. 229.

H.

HÆRETICI. antiqui pravis affectibus decepti relig. christ. oppugnarunt. 79. sq. quomodo in iis refutandis agendum. ibid. philos. orientalis ipsos a relig. christ. vera ac pura avocabat. 81. superbia corrupti libros genuinos vel rejiciebant, vel interpolabant, aliosque supponebant. 83. barbaris & obscuris ad errores suos illiniendos utebantur vocibus. 84. prima christ. relig. capita in sensus absurdos & ridiculos detorquebant. 85. incertas & falsas Hypotheses in dubiis veris præferebant. 86. sq. an primis post C. N. seculis plures ac pejores nostro ævo, nec ne, exstiterint. 291. illorum libros periisse multi dolent. 313.
Hæretificationes. quæ post se trahant mala. 263. 1054. illarum exempla. 265. 1054. non instructi necessariis ad examen dotibus adeas proclives. 267. præjudicia auctoritatis illarum causæ. ibid. quod non discernatur inter fundamentalia & accessoria in religione. 268. Hypothesium amor easdem procreat. 269. ignorantia histor. eccles. & antiquarum hæresium. 270. nimium inclarescendi studium, & falsus Zelus. 271. pruritus omnia in relig. sciendi & decernendi. 272. 361. 371. impediunt solidum Theol. studium. 1053.
Hallerus Albert. citatus. 342.
Hanschius citatus. 104.
Harduinus. ejus mirum ingenium descriptum 163. sq. notatus 64.
Hasæus. ejus in *Evremont*. epigramma 61. citatus 76. 688. 704. 736.
Havercampius citatus 595.
Heideggerus citatus 299. 346. 994. 1004. 1028. 1029.
Heineccius. ejus Abbildung der griechischen Kirchen citatur 1104.
Heinsius. ejus historia ecclesiastica citatur. 6.
Heisenius. ejus commentar. in Epist. *Jacobi* citatus. 354.
Helena Constantini M. Mater. ejus Visio expensa. 746.
Herbelotius citatus 82. & passim.
Hermes. quo seculo vixerit, disputatur. 667. 670. de illius libro *Pastor* antiqui varia sentiebant. 660. quid recentiores. 667. qualis fuerit homo. ibid. 673. ejus visiones falsæ. 668. illarum exempla. ibid. sqq. mandata ipsi per visiones tradita expenduntur. 672.
Heumannus citatus 57. 116. 345 412. 584. 736.
Hierocles citatus 50. 359. 835. 1106.
Hieronymus citatus 96. 309. 339. notatus 478. refutatus 97.
Hoadly. ejus liber de *S. Cœna* commendatus. 969. 982. cit. 975, 984.

Holstenius citatus 93. notatus 707. 708.
Hombergius. ejus dubia circa Jus Naturæ citata 571.
Homines. illorum recens natorum conditio infirma. 32. Vide *Infantes*. *Anima*. an dentur omni de Deo sensu carentes. 44.
Hospinianus. Zvvinglii de S. Cœna sententiæ defensio citata. 1008. historia de consensu ejus cum Calvino. 1034. sq.
Hottingerus Henr. Avus. citatus 82. 109. sqq. 260. Nepos. 238. 521.
Huldricus Jo. Jacobus citatus. 78.
Hypotheses. particularium amor nocet solido Theol. studio 240. 1050. argumenta ex illis desumta Veritatem relig. minus rite probant. 248. controversiarum numerum augent. 269. illarum amore corruptio generis humani a nonnullis extollitur. 276. Leibnitii, qua illam corruptionem imminui putat, incertitudo demonstrata. 296. sqq.

J.

JABLONSKIUS *Daniel Ernest*. citatus 266. *Paulus Ernest*. citatus. 85.
Jacobus Martyr. ejus Visio examinata. 738.
Jacobi. J. F. ejus Betrachtungen über die vveisen Absichten Gottes citantur 540. 542.
Jamblichus citatus 775. 846. 880. 918. 1107. Juliani laudator. 107. notatus 94. sq. 913.
Jansenistæ ob falsas & tristes de Deo sententias notati. 278.
Jaquelot citatus 257.
Ideæ. variæ de illis dantur sententiæ. 605. *Aristotelicorum* examinata. 606. sq. *Cartesii*. 608. *Malebranchii*. 613. sqq. *Leibnitii* & ejus sequacium. 625. nos nescimus, quid illæ sint. 628. 816. 848. 945. an dentur innatæ? 179. 1044. abstractas homines non facile formare queunt. 33. de Deo falsæ incredulitati favent. 322. quomodo in Deo sint, ignoratur. 947.
Jesus. ejus cum Judæis disputandi ratio. 67. ejus inter Judæos fata. 69. falso illum Mosi postposuerunt. 71. miracula illius cum Mosis collata. 74. doctrina de illo æque certa ac Mosis. 76. miracula illius a philos. platon. pythagor. negata 104. de illius persona, θεανθρωπία ac miraculis opiniones Muhammedis. 140. Spinozæ. 153. sq. Woolstoni. 169. ejus miracula & resurrectio contra Deistas defensæ. 526. sq. ipsius docendi methodi præ Socratica præstantia. 559. sqq. errores refutando Socrati præcelluit. 567. 567. sqq. ipsius præ Socrate præcellentia. 588. eo quod fuerit legislator. 595. ac ejus discipulorum. 590. ex efficacia doctrinæ ipsius in homines. 599.
Jesuitæ. illorum de suis Gentium conversionibus magniloquentes literæ citatæ. 329. sqq.
Ignatius. de ejus Martyrio. 676. 679. sq. acta illius dubia. 678. ipsius Comitibus factæ visiones falsæ. ibid. nec non, quæ ipsi adscribuntur. 683. ejus epistolæ suspectæ videntur. 685.

Ignorantia rerum divinarum princeps incredulitatis causa. 32. sq. illa late patet. 34. ejus fontes & origo. 35. falso eam ipsi religioni objiciunt increduli. 37. sq. ea non invincibilis. 42. illa laborantes, at religionem oppugnantes affectibus suis pravis obtemperant. 62. portentosas sæpe gignit opiniones. 92. *docta*, quomodo acquiratur. 1076.
Imaginatio homines sæpe in religionis examine fallit. 33.
Incredulitas, crescens indicium degeneris christianismi & infelicitatis seculi nostri. 7. 12. variæ illius machinæ. 8. sq. non rationibus, sed meris convitiis religionem impugnat. 10. vitiorum ac scelerum fertilis. 15. qui falso hujus vitii accusantur. 501. caracteres ejus exhibentur. 503. sq. qua ratione illi occurrendum. 16. sq. 446. nimirum vi demonstrationis. 20. illi reprimendæ obstant malæ relig. christ. defensiones. 22. in causas ejus inquirendum. 506. eæ detectæ nos ab illa præcavent. 25. sq. illas quivis V. D. M. nosse debet. 27. sq. illius variæ recensentur classes. 28. ejus definitio. 31. ejus præcipuæ causæ, ignorantia rerum divinarum. 32. sq. affectus pravi. 49. sq. ambitio. 53. voluptatum amor & divitiæ. 59. sq. educatio liberorum prava. 191. Academicorum vita. 227. sq. Theologorum neglectus in tradendis praxi christ. & officiis V. D. M. 231. sic hi nesciunt, illud malum sanare. 233. jejuna primorum relig. nat. & revel. capitum tractatio & operosa Hypothesium particul. expositio. 238. nimium Historiæ literariæ studium. 246. infirma pro Veritatibus sanctis argumenta. 247. Sermones s. male sani & insipidi. 249. calumniæ de rationis in religionis examine usu. 251. acerbæ Theol. de rebus levioribus contentiones. 257. controversiarum momento extollendo & leviter errantes hæretificando. 263. morum corruptio. 265. 303. inprimis vitia V. D. Ministrorum. 306. libri atheismo & impietati faventes. 312. 315. superstitio in genere. 318. 322. Pontificiorum exemplo id probatur. 340. persecutiones ob religionem. 344. varius doctrinæ de Providentia abusus. 348. sq. juramentorum abusus. 358. injuriæ & impostura sanctitatis ac pietatis titulo ornatæ. 361.
Increduli. libri eorum non possunt facile impediri. 17. an pœnis sint afficiendi. ibid. 513. sq. quid de illorum libris in lucem editis decernendum. 312. an legi & refutari mereantur? 18. sqq. illorum multi præjudiciis dediti & ratiocinandi artis ignari. 22. illorum cum christianis disputationes magni momenti. 24. precario ad multorum christian. ignorantiam pro sua causa defendenda provocant. 37. sq. multi illorum ignorantissimi. 38. eorum variæ classes descriptæ. 28. illos ambitio, voluptatum amor, avaritia decipiunt. 53. 59. sq. signa, ex quibus illos cognoscere potes. 62. sq. 503. sq. falso quasdam S. Librorum contradictiones apparentes contra veritatem relig. christ. urgent. 96. sq. astrologiæ judiciariæ nonnulli illorum patrocinantur. 160. falso religionem & superstitionem confundunt. 320. negant affectus errorum, quorum accusantur, causas esse. 368. illorum contra relig. christ. objectiones. Vide *Deistæ*. rationem ad felicitatem nostram sufficere exemplo *Socratis* probare volunt. 553. 575.

Indifferentiſmus a pravis affectis gignitur. 63. *incredulí* falſo ad eum, tanquam Deo placentem confugiunt. 382. 440. ſq. qui falſo hujus accuſantur. 502.

Infantes, recens nati in maxima rerum, præcipue, quæ ad relig. ſpectant, verſantur ignorantia. 41. 178. 323. 1044. quam prava multis detur educatio. 191. ſq. religionem a parentibus vel plane non erudiuntur, vel perverſe. 195. rationis uſum in cognoſcendo vero & compeſcendis cupiditatibus negligentes nunquam felices fient. 201. ſiniſtra relig. inſtitutione ad pravas opiniones inclinant. 203. relig. natur. non cognoſcentes revelatam non perſpicient. 209. quam male revelata religio illis tradatur. 211. Ethica. 212. cum omni ſtudio his ſint imbuendi. 217. quid in illorum educatione vitare debeant parentes. 448. quid præſtare. 450. quid informatoribus in illis erudiendis incumbat, 451. quid, ſi graviores addiſcant diſciplinas, Profeſſoribus. 455. ſq.

Informatores, quomodo in tradenda relig. peccare ſoleant. 206. ſq. ac in Ethica. 212. quid in inſtituendis infantibus obſervare debeant. 451.

Initiati qui ita apud Vett. fuerint vocati. 1099.

Inſtitutio perverſa relig. eſt cauſa tum credulitatis, tum incredulitatis apud infantes. 205. relig. natur. primum principia tradenda. 209. quomodo revelata & Ethica docendæ. 211. ſq. 217.

Interpretatio S. Literarum multis laborat difficultatibus. 1055. ex V. T. recenſentur. 1056. quam ridiculæ prophetiarum dentur interpretationes. 1062. difficultates N. Teſt. interpretaturo occurrentes. 1057. præjudicia, ſectæ ſtudium veram præpediunt. 1047. 1058. Concilii Tridentini de ea ſuſcipienda decretum. 1052.

Jœcherus contra *Woolſtonum* citatus. 168.

Joſephus citatus 68. 72. 75.

Joungs Arthur, ejus de Origine ſuperſtitionis liber citatus 528.

Irenæus citatus 83. 657. 662. notatus 658.

Judæi, cauſa illorum ignorantiæ. 36. illorum tempore adventus Meſſiæ miſera conditio. 67. ſq. affectibus abrepti ejus doctrinæ & miraculis repugnabant. 68. 525. ſq. illorum de ejus Ethica calumniæ. 70. ipſorum Ethica depicta. ib. hodierni non minus pravis illis affectibus dediti. 73. ſq. hodiernorum religio ridicula. 77. falſa de Jeſu narrant & impia. 78. perſecutionibus a chriſtianis oppreſſi relig. ipſorum agnoſcere nequeunt. 344. illorum in Cananæos exemplum tales perſecutiones non excuſat. 345.

Julianus Imperator infenſiſſimus relig. chriſt. hoſtis. 94. 106. 1115. de ipſius nece jactatæ nonnullorum viſiones. 750.

Juramenta, illorum abuſus incredulitatem gignunt. 358. horum abuſuum cauſæ, ibid.

Jus Naturæ, illius ignorantia non invincibilis, 41. ſq.

K.

KETTNERUS. ejus dissertatio *de reliquiis miraculorum & visionibus post Apostolorum tempora* citata 656. 658. notatus 659. 683.
Kidderus, ejus *demonstratio, Jesum esse Messiam*, commendata 36. 292.

L.

LACTANTIUS citatus 21. 33. 94. 218. 319. 356. & aliis in locis pluribus. notatus 283.
Laërtius citatus 645. 764. 772. 840. 844. 847. notatus 824.
Lampe citatus 433.
Lavaterus Jo. Jacob. ejus dissert. de Interpretat. S. Scripturæ, præcipue de Analogia fidei citata. 1053.
Laufferus Jo. Jacob. ejus dissert. de recta Liberorum educatione citata. 215.
Leibnitius citatus 87. 161. 210. 216. 276. 814. 956. ejus de idea corruptionis humanæ imminuenda hypothesis examinata. 296. ejus de ideis sententia expensa. 625. sq.
Lemkerus. ejus historia *Woolstoni* citata. 168.
Leo S. martyrii ejus, in quod sua culpa ruit, historia. 755.
Libertas. Academicæ idea & abusus. 236. 479. sentiendi in religione tolli opponunt increduli. 372. sq.
Libri incredulorum & hæreticorum. quid de illis decernendum. 312. illorum promiscua lectio promovet incredulitatem. 311. 315. ita & obscæni ac impii. 316. asceticorum ad S. Cœnam vera indoles ac requisita. 1014.
Lidlethonus. ejus de Pauli conversione literæ citatæ. 531.
Limborchius citatus 58. 70. 974. commendatus 36. 292.
Literæ. tum Sacrarum tum profanarum conditio hodierna felix 1. sq. multis ea laborat vitiis. 4. sq. Sacrarum in præceptis tradendis stylus & methodus defensa. 544. sq. Vide *Interpretatio*.
Livius citatus 325. 639. 1109.
Lockius citatus 375. 388. 394. 396. 411. 507. 571. 643. commendatus 604. ejus de integris gentibus Atheis sententia notata 44.
Lucretius citatus 320. &c.
Lucianus citatus 1099.

M.

MAGISTRATUS. illorum circa religionis negotium officia & partes. 494. sqq.
Mahommedes. quæ de hoc famoso impostore narrantur fabulæ. 109. ejus in cœlum itineris næniæ. 110. sq. 118. quare Prophetæ nomen acceperit. 113. 138. scil. fraude sua ac sociorum. 114. veri Prophetæ nomine plane indignus. 126. testes ejus fide indigni ipsius historiam e sacris literis exornarunt. 115. prærogativa ipsi tributa. 116. miracula illi falso adscripta. 120. sq. 137. Theologiæ ejus idea. 122. homo turpis

turpis fuit & fanaticus. 118. 138. sq. impostura illius in propaganda sua doctrina specimina. 134. quomodo religionem suam ingenio Arabum accommodarit. ib. sq. inconstans in tradendis præceptis. 136. multas relig. natur. ac revel. veritates negans eis contrarias induxit. 139. sq.

Mallebranche. ejus systema causarum occasionalium notatum. 349. 352. ejus de Ideis sententia examinata. 613. ejus de Tertulliano judicium. 690.

Manes. ejus character depictus. 81.

Manichæi. nonnullos N. T. libros vitiabant & falsos indulcebant. 83. terminis mente vacuis & obscuris usi. 85. incertis & stramineis hypothesibus superstructum illorum systema. 87. illius præcipuæ positiones enarratæ. 88. sq. multa de iis falsa narrantur. 266. illorum de mali origine errores a Baylio arrepti notantur. 276.

Maraccius citatus 106. &c. &c.

Marcio, quare Hæresin amplexus. 81. nonnullos N. T. libros rejiciebat & depravabat. 83.

Marianus. ejus visiones examinatæ. 738.

Martyr Pet. citatus 546. 1029. ob suum pacis studium laudatus 1033.

Martyres. per illos primorum christian. pietas non rite demonstratur. 285. 676. verorum numerus nimis augetur. 286. sq. 600. 676. quæ de illis & illorum actis observanda. 674. quid de Missionibus & miraculis ob illos factis judicandum. 676. sq.

Maximus Tyrius citatus 585. 767. 771. 780. 783. 786. 838. 840. 867. 1067.

Mejerus Georg. Frideric. ejus contra *Edelmann.* christ. relig. defensio commendata 511.

Melanchton citatus 1075.

Menander citatus 673.

Menkenius citatus 246.

Mens. ejus immortalitas ab incredulis negata. 30. Vide *Anima.*

Metaphrastes citatus ac notatus passim in Diss. de Visionibus.

Meyerus Jo. Gebh. de Theologia Vett. recondita citatus 1093. notatus. 1100. 1109.

Midlethonus. ejus de miraculis primis post C. seculis factis sententia. 677.

Millius citatus 106. sqq.

Miltiades citatus 666.

Ministri V. D. illorum pravi mores incredulitatis causa. 226. 306. 308. ignari suorum officiorum Incredulis nesciunt satisfacere 231. hypothesium particular, præ veris fundamentalibus, studio hæc nesciunt aliis tradere. 238. histor. literar. nimio amore utiliores negligunt scientias 246. multi in sermonibus suis S. peccant, ac iis incredulitatem promovent. 248. sq. invehendo in rationem, ubi de religionis examine agitur. 251. suis de rebus nullius fere momenti acerbioribus rixis 257. controversiarum momentum extollendo, & læviter errantes in hæreticorum numerum referendo. 263. 272. falso Zelo abrepti. ibid. illo-

illorum corruptio a multis nimis exaggeratur. 307. illorum circa doctrinam de S. Cœna officia. 961. quomodo illa abutentes in viam reducere debeant. ibid. Vide *Cœna S.* quæ ad ipsorum munus rite obeundum in iis requirantur dotes. 1046.
Miracula, de Christi sententiæ Judæorum blasphemæ. 68. sq. Christi cum Mosis miraculis collata. 74. sq. Woolstoni de iis sententia falsa & absurda. 169. Spinozæ. 153. sq. Mahommedi falso adscripta. 137. cui illa patrandi competat virtus. 409. 589. ex eo, quod non amplius fiant, contra Veritatem historicam a Christo patratorum argumentantur increduli. 419. sq. Christi contra Deistas defensa. 526. sq. primis post Christi decessum seculis non omnino desiere. 657. at a Patribus nimium illorum numerus augetur. 688.
Montanus, qualis furfuris fuerit hommuncio. 644. 692.
Montanistæ, illis multa falso attribuuntur. 265. 692. ab ipsis visiones & vaticiniorum dotes falso jactatæ. 664. 696. sq. Perpetua & socii illis addicti. 699. 704.
Moses, ejus miracula cum Christi miraculis collata. 74. an Christo fuerit major. 76.
Moshemius citatus 10. 16. 55. 81. 92. & sæpissime.
Moyle citatus 431. & alibi passim.
le Moyne, ejus de scriptis & fatis Woolstoni dissertat. citata 168.
Muratorius. ejus liber de ingeniorum moderatione in relig. negotio citatur. 315. 338.
Mussardus, ejus Tractatus de Conformitate Cærimoniarum antiquarum & recentiorum citatur. 340.
Mysteria, objectiones Deistarum contra ea refutata. 376. sq. 402. sq. 532. 575. sq. *Trinitatis*, quomodo de eo Vett. Theologi disseruere 900. 912. 954. recentiores. 1122.

N.

NARCISSUS. *Episc. Hieros.* ejus Visiones expensæ. 710. sq.
Natalis Confessor. ejus Visiones dijudicatæ. 732.
Nemesius περὶ φυσεως ἀνθρωπου citatus. 904.
Nestorius, multa de illo falso narrantur. 266.
Nilus. falsus Visionum Theodoti testis. 752.
Nolanus Paulus notatus. ibid.
Nonnen citatus. 295. 695.
Nyssenus Gregorii Thaumaturgi encomiastes notatus 740. 754.

O.

OECOLAMPADIUS citatus 980.
Oederus. ejus refut. Catechism. Racov. citata 190. Histor. Bogomilorum criticæ prodromus. 266.

Olearius notatus 981. sq. citatus 98. 584. 847.
Olivetus. ejus chrestomatia Ciceron. commendata. 456.
Oracula, quæ de iis in India ope crucis sublatis fabulentur Jesuitæ. 336. qua arte illa edebantur. 564. Oraculi Delphici de Socrate testimonium. 584.
Oratores S. quid vitare debeant. 486. 1121. quid præstare. 489. quis sit illorum scopus. 631. quibus instructi esse debeant præsidiis. 632. quas ob causas multi plebi arrideant. 638. quomodo optime artem affectus compescendi addiscere possint. 642. Vide *Cœna S. Ministri V.D.*
Orationes S. nævi in illis committi soliti, & quæ post se trahant mala. 249. 264. 487. 1121. quæ assensum, attentionem & persuasionem excitent. 634. sq. an ad plerorumque gustum sint instituendæ. 637. quare optimæ displiceant multis. ibid. malæ contra arrideant. 638. Vide *Cœna S.*
Origenes. ejus methodus S. Literas explicandi notata. 101. citatus 544. 657. 660. 663. 1099. notatus 671.
Orsi. ejus Perpetuæ &c. contra Basnag. dissertat. Apologet. notata 699.
Osterwaldius Pater. citatus 7. 52. 191. 231. 238. 317. 413. 453. 602. 999. 1014. 1023. *Rodolphus* citatus 467. ejus liber de Officiis Communicantium commendatus. 969. 1016.

P.

PAMELIUS. ejus loci *Cypriani* explicatio notata. 727.
Papias. de eo & ejus libro judicium latum. 661. sq. 670.
Pareus David citatus 1091.
Parentes, quos graves in educandis liberis committere soleant errores. 192. sq. 448. multi accuratiore relig. notitia destituti, eam liberis tradere nesciunt. 195. 204. alii negligentiores hoc in negotio esse solent. 197. non docent infantes rationis in compescendis cupiditatibus usum 201. sq. quid in educandis liberis ipsis incumbat. 450.
Passeran (Alb. Radicati Comes de) ejus contra Ethicam christ. cavillationes. 9. Spinozista. 510. citatus 38. 376.
Patres Ecclesiastici. ad illos in quæstione de pietate primorum christianorum frustra provocatur. 283. illorum merita injuste in opprobrium hodiernorum Theologorum extolluntur. 291. 649. non acuti erant relig. suæ defensores. 292. 652. 1064. quid de illis ut hominibus judicandum. 648. ut philosophis. 649. ut eruditis. 650. nimis credduli & rhetoricatores in recensendis miraculis ac visionibus erant. 658. multi illorum temerarias opiniones arripuere. 660. quomodo de mysteriis S. disseruerint. 900. 912. 1064. 1111. de S. Cœna. 966. 976. 1064. 1114.
Pearsonius citatus 85. 190. 667. 683. 720. notatus 684. 707.
Perpetua Montanistarum sectæ addicta. 698. 704. de tempore ejus Martyrii diversa sentiunt V.D. 707. ejus visiones narratæ & expensæ. 699. 704. ejus Martyrium. 703. 706.

Perrault citatus 557.
Persecutiones ob religionis & sententiarum dissensum quam pestifera sint haeresis. 343. illas Judaeorum in Cananaeos exemplum non excusat. 345. impediunt conversionem Judaeorum & Gentium. 344. causa sunt incredulitatis & indifferentismi. 346. 440. hominibus gravia de divina providentia ingerunt dubia. 347.
Petavius citatus 838. 840. 881. 896.
Pfaffius citatus 7. 160. 163. &c. refutatus 1116. notatus 1120.
Pfannerus citatus 656. 691. 740.
Philosophi. Veteres affectibus decepti relig. revel. contemnebant & deridebant. 66. Platonico-Pythagor. exemplo id demonstratum. 92. sq. falsas & incertas fovebant hypotheses. 102. illorum de Creatione opiniones. 103. miracula Christi negabant & sua jactitabant. 104. sq. qualis fuerit illorum cultus. 107. quomodo philosophiam distinguere soliti. 1106. disciplina Arcani in sua philosophia usi 1107. illi multi Ecclesiae Patres addicti erant. 653. quam vana Vett. ad pietatem docuerint incitamenta. 397. quomodo optime haec ipsorum scientia juvenibus tradatur. 458.
Philostratus, ejus Vitae Apollonii historia fabulosa. 94.
Pietas, illi incredulitas impedimento est. 12. sq. pravi adfectus eam praepediunt. 51. falsis & praeposteris de ea ideis homines decepti corruptionem generis humani nimis extollunt. 277. conferendo illam Christianorum primorum cum hodierno vivendi genere. 280. de illa nimis laudata judicium. 281. sq. hanc tradendi Professoribus Theol. princeps officium. 480.
du Pin citatus 1052.
Pionius de ejus Martyrii tempore disputatur. 713. ejus Visio dijudicata. ibid. sqq.
Placette citatus 994. 1003.
Plantier, ejus Considerationes super Histor. Judaeorum commendatae. 36.
Plato citatus passim. inter Atheos Spinozist. relatus fuit. 762. ejus Systema cum Spinozae collatum. 787. 850. 855. 857. 864. 872. 877. Deum in suo Systemate agnovit. 763. illum cum materia non confudit, nec unam tantum substantiam agnovit. 770. 845. nec is cum materia necessario vinculo junctus. 772. 788. 803. materiam aeternam statuit. ib. Deus ex ejus sententia liberrimus. 773. materiae & inde pendenti necessitati imperat. 777. 859. ad certos fines omnia creavit. 774. 855. Deum mali causam esse negavit, animam contra liberrimam & poenae capacem statuit. 780. 849. 864. nonnisi ejus voluntate mundum interire posse. 772. 870. providentiam illi adscribit. 784. 875. animam mundi a Deo distinxit. 808. 811. haec materia obscurissima. 889. 912. non e sinu divinitatis expulsa. 890. de illius Trinitate. 814. 943. an ideo quod sententia de duobus principiis difficultatibus obnoxia, sequatur, illum emanationis systema statuisse. 820. Deum substantiam esse agnovit. 838. & a reliquis distinxit. 839. 848. eam realem

realem distinctionem ab ipso usurpatæ Voces docent. 839. Deo & materiæ diversas attribuit proprietates. 840. substantias quoque intellectuales agnovit. 843. 940. an Deus ejus ex ignea consistat materia. 846. quo sensu materiam ἐκ ὄν appellarit. 863. 918. ejus de ideis sententia obscura. 878. 944. de ejus principiis. 883. 919. 937. 939. ejus creatio explicata. 897. ejus de λογῳ sententia explicata. 898. ejus sententiæ a suis sectatoribus falso expositæ. 817. 913. Vide *Gundling*.

Plinius citatus 71. 76. 204. ejus de Christianis testimonium 284.

Plotinus, de illo mendacia narrat Porphyrius. 106. ejus mors. 108. citatus 840. 843. 856. 862. 865. &c.

Plutarchus citatus 54. 192. 196. & alibi. notatus 815. 942.

Pocockius citatus 111. sqq. 179.

Pœnitentia, falsæ de ea ideæ incredulitatem promovent. 279.

Polycarpus, quo tempore Martyrium obierit, dissentiunt eruditi. 685. visiones ipsi adscriptæ falsæ sunt. ibid. sq. quæ in illius Martyrio miracula facta narrentur. 687. sq.

Pontificii, illorum sermonibus sacris incredulitas promovetur. 250. nec non eorundem superstitione. 340. quanta ea sit. 326. quantopere eam ipsorum Missionarii inter Gentiles promoveant. 329. sqq. illorum Inquisitiones notatæ. 343. de interpretatione S. Literarum decretum. 1052.

Pontius. Vitæ *Cypriani* Auctor citatus 726. 728. notatus 729.

Pope citatus 642.

Porphyrius, infensissimus relig. christ. hostis. 93. sq. discipulos Christi calumniatur. 94. S. Libros contradictionis arguit. 95. Mathæum Evangel. inscitiæ arguit. 97. sq. Christum inconstantiæ. 98. Apostolos arrogantiæ. 99. Danielis vaticiniorum Authentiam impugnat. 100. Origenis Methodum explicandi S. Scripturas ridet. ib. ipse illam sectatur. 101. ejus Character. 102. Deum se vidisse jactat. 103. miracula edidisse & cum Dæmonibus commercium habuisse gloriatur. 104. fabulas de Plotino narrat. 106. incarnationem Christi commentis suspectam reddere voluit. ibid. citatus 671. 684. 864. 898. 905. 918.

Præjudicia. examini religionis officiunt. 22. 26. 268. illorum origo. 48. sq. illis decepti homines sua fata ingemiscunt & contra Ethicam Christianam insurgunt. 58. controversias multiplicant. 268. solidam Theologiæ cognitionem impediunt. 146. ut & bonam S. Literarum interpretationem. 1058.

Prideaux citatus passim.

Princesses Malabares. hujus libri sic inscripti venenum detectum. 11. 172. sq.

Proclus citatus 837. 914. 915.

Prophetiæ. illarum complementum docet veritatem relig. christ. 75. quam falsæ & ridiculæ illarum dentur interpretationes. 1062. plenior illarum in altera vita continget cognitio. 1071.

Pro-

Providentia, de divina incredulorum sententiæ. 30. ambitio hominum tum omnes ejus vias cognoscere vult, tum eandem negat. 57. quæ piorum de illa querelarum causæ. 58. sq. 354. objectiones contra illam ex corruptione generis humani petitæ. 276. 296. 304. persecutiones afflictis gravia de ea dubia ingerunt. 348. quantus sit hujus doctrinæ abusus. 349. in Systemate Causarum occasionalium. ibid. nimium urgendo impotentiam hominum physicam. 350. moralem. 353. providentiam ad malum extendendo ex doctrina de concursu perpetuo. 354. sic ad incredulitatem proxime acceditur. 351. ad impietatem. 354. Felicitas improborum contra eam dubia excitat. ibid. juramentorum abusus. 358.
Prudentius citatus 405. 688. 737. 752.
Puffendorfius citatus 178. 188.

Q.

QUINTILIANUS citatus passim.
Quirinus. *Angelus Maria* Cardinalis. notatus 548 citatus 165.

R.

RATIO. adfectus pravi illius usum impediunt. 49. sq. illius in compescendis affectibus neglectus impedit quominus eruditi juvenes quominus felices evadant. 201. an ad felicitatem nostram sufficiat. 553. 575. illius usum in relig. examine negando, incredulitas promovetur. 251. ejus in hoc verus usus defensus. 252. sq.
Reimannus citatus 794.
Reinbekius citatus 44. 249.
Relandus citatus 109. sqq.
Religio. ad eam promovendam multæ erectæ societates. 2. sq. degeneris indicium incredulitas. Vide *Incredulitas*. ea ad cœrcendos affectus & studium virtutis multum confert. 12. sq. 395. 574. contra incredulos defendenda. 20. sq. quibus dotibus id præstiturus instructus sit oportet. 22. sq. ejus ignorantia causa incredulitatis. 31. quare multi ab illius examine abstineant. 35. sq. id ab ipso Sotere commendatum. 40. rationis in eo usus. 252. multi ambitione decepti ab ea aberrant. 53. illum multi parentes vel plane non, vel perverse infantibus tradunt. 109. sq. 201. tali prava institutione liberi corrumpuntur. 204. naturalis institutio revelatæ præmittenda. 208. capita ejus fundamentalia ab accessoriis & meris hypothesibus sedulo sunt distinguenda. 238. 268. argumentis prolatis infirmis ea vacillat. 247. pruritus omnia decidendi ei nocet. 272. 352. quam inepte multi Patres illam propugnarint. 296. quam bene hodie a Viris doctis ejus causa agatur. 302. a superstitione diversa. 319. an dissentientes ab illa persequendi. 343. christianæ veritas contra Deistas asserta. 523. sq. ejus dogmata contra eosdem asserta. 532. cum Muhammedana

dana collata. 124. sq. histor. philos. ejus præstantiam & divinitatem clare docet. 550. nec non paucitas rituum. 962. ut & S. Cœnæ usus. 966. eadem ex collatione ipsius cum philos. Socratis clare patet. 553. nullam agnoscit Arcanam disciplinam. 569. Vide *Arcanum.* ejus dogmata & vitæ præcepta Socratis clariora. 570. inprimis redemtionis negotium religioni christ. proprium præcipuum ad virtutem incentivum. 574. certissimam ad reconciliationem cum Deo viam monstrando. philos. Socratis præstantior. 577. sq. ut & quod vires ad virtutem exercendam sufficientes promittat & suppeditet. 581. Vide *Christianismus. Deistæ. Increduli.*

Revelatio. optima ad virtutis studium docet incitamenta. 14. 395. 574. quare homines sæpius ab ea aberrent. 15. illam multi negant. 30. inprimis mysteria. ibid. quis sit ejus scopus. 51. Deo non esse dignam, nec hominibus adæquatam opponunt increduli. 384. sqq. Vide *Deistæ, increduli.*

Rhetorica. an & quid conferat ad veram eloquentiam. 629. sqq. 644. nihil juvat ad instituendum Oratorem de dicendis. 632. 644. quæ illi tribuantur virtutes. 634. an attentionem excitet. 635. an doceat, quomodo affectus sint vel excitandi, vel compescendi. 641. Vide *Arcanum. Eloquentia. Orationes. Oratores.*

Rigaltius notatus 722. 724. 728.

la Roche. ejus de simpliciori Theol. Moham. præ christiana sententia. notata. 123. sqq. citatus 168. 715. 1063.

Rollinus. ejus liber de methodo tradendi literas humaniores commendatur. 454. 456.

Roques citatus 208. 238. 245. 250. 344. 1004.

Rossetus. ejus cogitationes de Deismo citatæ. 311.

Ruarus. ejus Epistolæ citatæ 254.

Ruffinus citatus 711.

Ruinartus. nimius Martyrum laudator, in Dissert. de Visionibus passim citatus & notatus.

S.

SACKIUS citatus 520. 1033.

Sale. ejus Versio Corani & præfat. ad eandem citata 114. sqq.

Saligius. ejus Eutychianismus ante Eutychem citatur 266.

Sarpius. ejus historia Synodi Tridentinæ citata. 730.

Saturus. quo tempore martyrium obierit, disputatur. 698. Montanistarum sectæ addictus. ib. 704. ejus Visiones dijudicatæ. 702. sq. 707. ejus Martyrium. 704.

Saurinus citatus 543.

Scaliger Josephus citatus 1078.

Schaffisburius Astrologiæ judiciariæ addictus. 160. eruditorum de eo testimonia. ibid.

Schefferus de constitutione philos. italicæ citatus 1107. 1109.

Scherlokius. ejus liber pro Veritate Resurrectionis Christi contra Woolstonum commendatus. 168.
Sæculum. hodierni felicitas laudata. 1. sqq. 302. infelicem ejus conditionem incredulitas docet. 7. sqq. 298.
Seldenus citatus 300.
Seneca citatus 187. 214. 307. 320. 1052.
Sextus Empiricus citatus 564. 845. 889.
Simoniani. falso multi illis errores impacti. 265.
Simonius Richardus citat 327. 338 1053. 1059.
Simenses. falso illorum Theol. christianæ opponunt increduli. 16. an illi nullam Dei habeant notitiam. 44.
Sinzendorf. ejus conatus de emendando christianismo varie dijudicantur. 3.
Socinus Faustus citatus 190. refutatus 1008.
Socrates. quæ illi tribuuntur laudes. 551. sq. 583. ejus philos. cum christ. relig. collatio hujus docet præstantiam. 553. ejus docendi methodus ironica dijudicata. 554. sq. Christi & discipulorum methodus ea præstantior. 559. sq. superstitionem non rejecit, sed suo exemplo probando erravit. 562. inprimis & oracula admittendo. 564. Christus omnes errores refutando ei præcelluit. 567. sq. ejus doctrina & vivendi præcepta expensa. 569. religio christiana illis præclarior. 570. ejus philos. non docet certam Deum reconciliandi viam. 576. non sufficientes ad virtutem suppeditat vires. 581. cum Christo comparatus. 583. non potuit legislatoris induere personam. 591. minorem ejus doctrina in mentes hominum habuit efficaciam. 597. revelat. divinæ necessitatem agnovisse videtur. 577. de eo Oraculi testimonium. 584. de ejus Genio s. bono Dæmone. 585. de Gallo, quem post-mortem suam offerri jussit. 594. ejus de mentium cœlo receptarum statu feliciori testimonium. 1066.
Socrates histor. eccles. Scriptor. citatus 745. 901. notatus 685. 746.
Sontagius. ejus de corruptelis eccles. apostol. dissert. citata 281.
Souverainius. ejus liber *le Platonisme devoilé* notatus 797. 806.
Sozomenus citatus 747. notatus 750.
Spanhemius citatus 733. 846.
Spenerus. quæ illi motæ controversiæ. 258. 265.
Spinozismus. varios hodie invenit assecias. 7. 143. est periculosum ac ineptum systema. 143. ejus præcipua capita. ibid. contradictionibus scatet. 144. nullam contra suum systema admittit substantiam. ibid. Modos sine subjecto subsistere statuit. 145. principium contradictionis negat. ibid. sq. ortum ex nihilo existente admittit. 146. motum vel nullum statuit, vel nihilo attribuit. 147. quæ quoad cultum divinum ex eo absurda fluant. 148. sq. æquivocis terminis ad incrustandum suum Systema usus. 150. collatum illud cum *Theol.* natur. & revelata. ibid. sq. an ipse suo Systemati fidem habuerit. 151. Mosen & Paulum in suas partes trahere vult. 152. quomodo miracula eluserit. 154. quid de Christo senserit. 155. sq. Jus Naturæ negat. 157. *Stack-*
Vide *Gundling*. *Plato*.

Stackhouse. ejus defensio relig. christ. citata 412.
Stapferus Jo. Frider. citatus 240.
Steele citatus 538. 994.
Stillingfleetus citatus 804. 896.
Suetonius citatus 68. 76. 1109.
Sunna. multa de Mahommede contradictoria statuit. 110. 118. &c.
Superstitio. ignorantia illius mater. 36. ejus definitio. 318. incredulitatis causa. ibid. 322. 340. varia illius genera. 324. falso illa cum religione confunditur. 319. sq. 406. sq. 429.

T.

TACHARDUS citatus. 382.
Tacitus citatus 68. 76. 1113.
Tenzelius citatus 1097. 1109.
Tertullianus. Montanistarum sectæ addictus multas illi visiones factas jactitat. 689. qualis ingenii homo fuerit. ibid. sq. citatus 285. 1099. notatus 104.
Theologia. systematicæ conditio hodierna laudata. 2. illius cognitio non perfecta. 4. 1043. 1060. illa nihil juvat, si non simul jungatur pietatis & virtutis studium. 5. sq. naturalis ignorantia non invincibilis. 41. sq. naturalis per revelationem emendata. 393. sq. 553. Hypothes. particularium studio depravatur. 240. 1050. usus rationis in illa. 252. quomodo tradenda. 473. ad illam addiscendam requisitæ dotes. 1046. illius solidam cognitionem impediunt præjudicia. ibid. Affectus ac sectæ studium. 1047. hinc odium & ira in alios. 1048. δεκησισοφια. 1049. rerum discendarum, & quidem curiosarum magis quam utilium multitudo. 1051. Pontificum, Concil., Systematum & formularum decreta. 1052. hæretificationes. 1053. eristica scripta. 1054. dogmaticæ imperfectio. 1060. polemicæ. 1061. propheticæ. 1062. cœlestium major ac plenior. 1068. Vide *Anima, Christianismus, Deistæ. Incredeli. Religio.*
Theologi. illorum studium ac scientia laudantur. 2. multi eorum scientia sua nihil proficiunt. 6. illorum officium inquirendi in causas incredulitatis, easque tollendi. 26. quomodo illi & vita prava & neglectu officiorum incredulitati patrocinentur. 231. natur. & revel. relig. capita prima jejune tractando & hypothesibus operose inhærendo. 238. polemicam theol. nimium urgendo. 242. 1061. proferendo argum. infirma pro veris. invehendo in rationis usum. 251. suis acerbioribus de rebus levioribus rixis. 257. 263. 367. 371. hæretificando & falso Zelo. 272. 1047. 1049. pruritu omnia sciendi & definiendi. 272. 482. illorum in tradenda sua disciplina officia & partes. 464. sq. 1079.
Theophrastus citatus 318.
Thomasius Jacobus contra Gundling. defensus 814. citatus 821. 851. *Jenkinus* citatus 207. 262. 365. 772. *Tillot-*

Tillotsonius citatus 158. 192. 199. 215. 251. 902. 967. 998. 1004.
Timæus Locrus. ejus de tribus principiis sententia examinata. 795. de materia æterna & passiva, at non e sinu Dei tamquam ejus pars expulsa. ib. 885. de origine animæ mundi sententia. 796. 892. 900. ejus systema brevi expositum. 885. de mundi æternitate. 937. Vide *Gundling. Plato.*
Tolandus. judicium de illo. 54. sq. 99. Spinozismi defensor Mosen pantheistam fingit. 153. ejus arrogantia ac maledicentia. 165. sq.
Tolerantia in religione utilis ac necessaria. 302. 348. 370. 548. 1080. Magistratibus commendata. 495. sq. 1085.
Touche-bœsnier citatus 56.
Treverus citatus 361.
Turretinus Alphonsi. citatus 380. 468. 560. 1117. 1120.
Tyndalus notatus 313. 429. sq.
Tyssotus Auctor histor. Sevarambum notatus. 176.

V.

VALENTINUS. ejus caracter depingitur. 81. sub terminis obscuris vana vendebat mysteria. 84.
Valesius citatus 662. 731. 742.
Vaninus Astrol. judiciariæ fuit addictus. 160.
Vayerius refutatus 566. 584.
Veritas. illius examen pravi adfectus impediunt. 511.
Vernetus citatus 412. 426. 521. 1117. 1119.
Vincentius. ejus martyrium & fabulæ de eo. 752. sq.
Virgilius 809. 929.
Virtus. ad illam exercendam revelatione emendata religio optima proponit incitamenta. 12. 395. 574. 581. incredulitas illi officit. 12. voluptatum amor eidem nocet. 60.
Visiones. quæ primis post Christi tempora factis a multis pro veritate relig. christ. probanda tribuatur vis. 648. ad quas leges illæ expendendæ sint. 653. illæ post Christi tempora non omnino desiere 656. attamen a patribus illarum numerus nimis augetur. 658. multa de illis falsæ opiniones arreptæ. 660. Hermæ falsæ. 668. Martyribus falso tribuuntur. 676. Ignatii comitibus factæ. 678. Polycarpi. 685. Attali 689. Tertulliani & Montanistarum. ib. sqq. Perpetuæ. 699. Saturi. 702. Exuperii. 709. Narcissi & Alexandri Episc. Hierosol. 710. sq. S. Pionii. 713. Cypriani. 714. sq. Dionysii Alexandrini. 730. Natalis Confessoris. 732. Basilidis. 734. Fructuosi Episcopi, Augurii & Eulogii Diacon. 736. Jacobi, Mariani, Æmiliani & aliorum e Numidia. 738. Victoris. 740. Gregorii Thaumaturgi. ibid. Constantini M. 741. Helenæ ejus matris. 746. Antonii. 747. nonnullorum de nece Juliani Imperatoris. 750. Theodoti & septem Virginum. 751. Augustini. 755.

Vitringa citatus 67. 77. 184. 807. 846. 986.
Vitus citatus 253.
Vives Ludov. citatus 601.
Voſſius Iſacus. ejus caracter & ingenium. 162. *Gerh.* de Sectis Philoſ. citatus 803.
Vorſtius de Hebraiſmis citatus 1000.
Uſſerius citatus 678. 685. 687. 731.

W.

WAGENSEILIUS citatus 78. 1059.
Walchius citatus 294.
Watts Iſaacus citatus & commendatus. 1068.
Weiſmannus citatus 328. 332. 339. 355. 993. refutatus 679. 681.
Werenfelſius Samuel ſingulis fere paginis citatus.
Wernsdorfius citatus 695.
Weſt Gilbertus. ejus liber de reſurrectione Chriſti citatus ac commendatus 524.
Wilmotus. quæ illum ad incredulitatem impulerint cauſæ. 60.
Wirzius Jo. Conr. citatus 7.
Witbyus citatus 650.
Witſius citatus 100. 269. ſq. 656. 659.
Wolfius Chriſtian. citatus 16. 70. 98. 143. 382. 397. 512.
Wolfius Chriſtoph. citatus 180. 187. 318. 721. 772. 788. 813. notatus 254. 790. ſq. contra Gundlingium defenſus 816. 956.
Woolſtonus. ejus mores & de rel. chriſt. calumniæ. 168. ſq.
Wovverius citatus 323.

X.

XAVIERUS. ejus miracula. 330.
Xenophon citatus 4. 181. 398. & alibi.

Z.

ZELUS, veri & falſi indicia. 1049. falſus cauſa tot controverſiarum & hæretificationum. 271. 1047. illo abrepti de aliorum moribus male judicant 279. ſq. 478. falſus Pontific. in convertendis Gentilibus. 339. quas ab illo increduli petunt objectiones, refutatæ. 440. 489.
Zwinglius Huldricus citatus 67. 261. 970. 980. 986. 995. 1000. 1009. 1031. 1120.

FINIS

ERRO-

ERRORES TYPOGRAPHICI.

Pag.		lege.
15.	lin. 13. cupidtatum	cupiditatum.
26.	l. 27. quantum nac	quantum in hac.
55.	l. 22. mutandum	mutandam.
56.	l. 8. in nota le	la
60.	l. 6. a fine literum	literarum.
82.	l. 8. Etaſe	Extaſe.
107.	l. 9. tempore indole	tempore, non indole.
133.	l. 13. duo ultima Vocabula Arab.	לקר אצבו ab initio ſententiæ legenda.
134.	l. 2. notæ m. הנביאים חותם	חותם הנביאים.
135.	notat. Verba ומחמד רסולה	in finem Sententiæ Arabicæ rejiciantur.
136.	l. 19. לייהוד המאלפא	האלפא לייהוד.
162.	l. 3. incorpores	incorporeos.
183.	l. 22. חטוב	חטוב.
	l. 29. לדעת —— את	לדעת את.
226.	l. 20. fæna	fræna.
227.	l. 13. incunabilis	incunabulis.
235.	l. 4. ncufragio	naufragio.
246.	l. 15. jndicent	judicent.
255.	l. 1. ſint	ſit.
267.	l. 6. abſtruſiarum	abſtruſiorum.
269.	l. 12. in nota. tradebant.	tradebat.
287.	l. 26. libertati	liberati.
332.	l. 12. ciborio	cibario.
335.	l. 9. fond	font.
	l. 11. pretioſes	pretieuſes.
340.	l. 3. a fine manuſculo	munuſculo.
355.	l. 21. opinior	opinor.
367.	l. 5. progamur	rogamus.
371.	l. 16. abtineant	obtineant.
384.	l. 10. veritates	virtutes.
422.	l. 6. a fine Multi —— rite	impenderent. deleantur.
		adde. nequeant.
441.	l. 4. *poſt*. probare	delectare.
449.	l. 2. delectari	cultu.
456.	l. 3. culto	uſurpato.
487.	l. 5. uſurpata	detacher.
505.	l. 12. dedager	regeſſi.
551.	l. 3. a fine. regreſſi	obiiſſe.
584.	l. 12. obiſſem	habitat.
586.	l. 10. habitant	Nomina.
594.	l. 17. Numina	

Pag.			lege.
646.	l. 26.	Attalus	Natalis.
650.	l. 2.	extollandus	extollendus.
656.	l. 19.	Lettnerus	Kettnerus.
664.	l. 22.	miraculurum	miraculorum.
682.	l. 2. a fine.	Grabias	Grabius.
686.	l. 3. a fine.	fragantiam	fragrantiam.
692.	l. 7.	mum	ctum.
726.	l. 20.	Jadaici	Judaici.
727.	l. 15.	ſeſtum	feſtum.
737.	l. 2.	Babylon	Babylone.
748.	l. 20.	Eximium	Eximiam.
856.	DISSERTATIONIBUS.		DISSERTATIONIS.
882.	l. 4. a fine.	יברא יהדח ואס בריאה	ואסבריאה יברא יהוה.
963.	l. 20.	Doctorum	Doctorem.
988.	l. 3. a fine.	corpus in	corporis.
992.	l. 20.	diſtituantur	deſtituantur.
1001.	l. 25.	fuſſet	fuiſſet.
1002	l. 29.	obtaſſet	optaſſet.
1007.	l. 3.	uoſtram	noſtram.
	l. 9.	duntaxnt	duntaxat.
	l. 29.	quum	quam.
1019.	l. 16.	Sacra	Sacro.
1026.	l. 9. a fine.	ſecundam	ſecundum.
1062.	l. 21.	inſurrerant	inſurrexerant.
1078.	l. 10.	cœto	cœlo.
1095.	l. 4.	Cuncellarii	Cancellarii.
1115.	l. 15.	plorumque	plerorumque.

J.6 4955

ULB Halle
007 663 196
3

VD18

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-836857-p0617-0


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-836857-p0618-5



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-836857-p0619-4


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-836857-p0620-6

1,2

J. JACOBI ZIMMERMANNI,
S. THEOLOGIÆ IN GYMNASIO TIGURINO PROFESSORIS,
REG. BORUSS. SOC. SCIENT. SODALIS

OPUSCULA

THEOLOGICI, HISTORICI ET PHILOSOPHICI ARGUMENTI.

TOMI PRIORIS

PARS II.



TIGURI,
TYPIS GESSNERIANIS.

AN. MDCCLI.